



~~27 a. r. 27.~~

A  
B  
C


*Handwritten text, possibly "27 a. r. 27."*



A



*Del colegio de la comp. de Jesus de granada. Ba.*



VSVS ET EXERCITATIO.

DE MONSTRATIONIS  
& ejusdē variae, multiplicisque for-  
mae imago, suis exercitationibus, &  
integris orationibus, oculis subjecta  
lectoris, & eloquentiae professori-  
bus, & divini verbi concionato-  
ribus nimium utilis, ac val-  
de necessaria.

*AVCTORE MELCHIORE*  
*de la Cerda Societatis IESV,*  
*Hispani eloquentiae*  
*professore.*

AD EXCELLENTISSI-  
mum Dominum Ioannem  
de la Cerda, Medinae  
Caeli. D. C.

CVM PRIVILEGIO.

*HISPALI.*

Excudebat Rodericus Cabrera.

Anno. 1598.



## Summa del Privilegio.

**D**io Privilegio el Rey nuestro Señor al P. Melchior de la Cerda de la Compañia de I E S V S , para q̄ por espacio de diez años pueda imprimir, y vender el libro, que se intitula *Vfus & exercitatio Demōstrationis*, y que ninguno otro sin su licēcia pueda imprimir, o venderlo, so pena de perder la impressiō, que hiziere, con los moldes y aparejos della, y mas incurrir en pena de cinquenta mil maravedis. Dada en . S . Lorenço veynte y vn dias del mes de Agosto de mil y quinientos y novēta y siete años. Ante el secretario don Luys de Salazar.

## Tassa.

Esta tassado este libro que se intitula *Vfus & Exercitatio Demonstrationis*, por los Señores del Consejo a tres maravedis el pliego.

## Errata.

*P. 2. post rerum adde copiis. p. 271. l. 13. leg. absit. P. 60. l. 12. leg. multitudine chirothecarum. P. 240. leg. confertissimos plenissimosque. P. 342. leg. bonorum copiis. P. 312. leg. politissimae gentis. P. 377, l. ult. l. quae. P. 492. l. credibile sit? cum interrog. P. 536. l. 27. l. pedes non caput. P. 283. leg. emersos*

FRANCISCUS de Quesada Provincialis Societatis  
 IESU in provincia Baetica, potestate ad id mihi facta a  
 Reverendo admodum Patre Claudio Aquaviva Praeposito no-  
 stro Generali facultatem concedo, ut Liber Demonstrationis a  
 P. Melchiore dela Cerda nostrae Societatis compositus, & ab elo-  
 quentiae professoribus doctissimis diligenter perlectus, & appro-  
 batus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu no-  
 stra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus Hispali die  
 4. mensis Iunii. Anno. 1597.

Franciscus de Quesada.

APPROBATIO PRIMA.


EX commissione Regii Senatus legi, qua potui, diligentia opus  
 hoc eloquentissimi patris Melchioris dela Cerda, Sacerdotis  
 Professi Societatis IESU, eloquentiae professoris, quod inscribitur,  
 vsus & Exercitatio Demonstrationis: in quo nihil deprehendi fidei  
 adversum, imo pias, eruditas, admirabiles exercitationes Christianae  
 Reip, maximū proculdubio emolumentū allaturas. Madriti in no-  
 stro monasterio sanctissimae Trinitatis pridie Calendas Augusti.  
 Anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo septimo.

Frater Luisus a Calatajud  
 Magister & Minister.


ALTERA APPROBATIO.

Quavis tibi aliquod opus alumnorum Societatis IESU, Regii Consilii  
 mandato censendum suscipio, nomine tantum Societatis IESU in spe  
 esto ab eo munere obeundo revocor, & auctoribus fasces submittens laborum il-  
 los meorum censores exopto: at vero ne datam mihi provinciam negligere vi-  
 dear Melchioris Cerdae, Sacerdotis Societatis IESU Professi, pietate & elo-  
 quentia viri praestantis usum & exercitationem Demonstrationis, & ejusdem  
 multiplicis formae imaginem suis exercitationibus, & integris orationibus ad  
 Ciceronis formam expressam animo nequaquam peregrinanti perlegi. Quae om-  
 nia non modo cum Catholica fide consentiunt, verū etiam, (nec sane Societatis  
 amore decipior) iis utilissima sunt, qui in eloquentia Romana progressus maxi-  
 mos facere concupiscunt. Dat. Compluti idib<sup>9</sup> Februarii anno a partu Virginis 1597

Magister Gaspar Guerau in Complu-  
 tensi Schola Doctor Eloquentiae.



D. IOAN. DE LA CER-  
 DA MEDINAE  
 CAELI. D. C.





CLARISSIMO POTEN  
TISSIMOQUE DOMI-  
NO IOANNI DE LA CER-  
DA, DVCI MEDINAE CAELI  
PRAECELLENTISSIMO,

*MELCHIOR DE LA  
Cerde S. E. P. J. precatur.*



Vod erat appetendum maxi-  
me, Dux excellētissime, &  
quod unum ad splendorē De-  
mōstrationis nostrae, dignita-  
temque retinēdam maxime  
pertinebat, id non casu ali-  
quo, sed dono ac munere di-  
vino datū, atque oblatū nobis ex tot Heroibus,  
& Principibus Hispaniarū potentissimis delecto  
te secūdi huiusce voluminis maximo celsissimo  
que Mecoenate videtur. Nam cū inveteraverit  
usitata cōsuetudo librorū scriptoribus honorifi-  
ca, doctissimorūque hominū vigilis, & lucubra-  
tioni

tionibus necessaria, quae saeculorum omnium memoria confirmata permāsit ad aetatem usque nostram conservandis, liberandisque ab iniquitate temporum libris idoneos, & aptos admodum, qui in honore, & gloria maxima sint, praepotentes Dominos praeparatione multa, longaque provisione quaerēdi: post Hispaniarum Principis Philippi Tertii patrocinium ad Apparatus honorem excussi susceptum, neque clariorem profecto, neque tanto Principi propinquiorem ad aliquam Demonstrationis operi conciliādam auctoritatem magis optandum, praecellentissimo, potentissimoque Duce Medinae Caeli, nobis abhinc tot dies multum prospicientibus, longeque providētibus, & rem ipsam divinae Majestati saepe commēdantibus, divinitus oblata fortuna praebere potuisset quenquam. Nam in hoc ipso foetu Demonstrationis non inferioris Apparatus volumine cum deligendus esset is, qui claritate nominis, & splendore generis ad illum, qui Rex Hispaniarum futurus brevi sit, propius accederet, Dux ille a me ad libri patrocinium adoptatus est Mecoenas inclytus, qui cunctorum suffragiis, & expectatione deligendus esset: qui conservaret dignitate sua libri auctoritatem, & hominum in praefationes statim oculos, & mentē  
inji-

injiētium, & eas adeo suis manibus versantiū cōmuni expectationi satisfaceret. Delegi enim Mecoenatem, in quo recognoscere oēs Regiam majorum sobolem, intueri excelsa Regum Castella, videre terrificos Hispaniarum Leones, caelestia de beatorum sedibus delapsa Gallorū Lilia, atque haec omnia stemmata Regalia, non a lateribus, quasi in Regum familiam vi obtrusa, nullis aliis privatarum permista familiarum insignibus, sed a Regum Hispaniarum stirpe stirpitus, & primitus procreatae sobolis, Reges longo ordine ac serie a primis Hispaniae cunabulis, jam inde ab Vvisigotthorum regnis vetustissimis florentissimisque feliciter glorioseque deferentis, Regia plane claritate semper, & ubique splendentia praedicare possint, & ob eā causam te filium Principum maximorum, decus Regum Hispaniarum, lumen & ornamentum Gallorum Regum sublime, celsissimumque. Quae si magna sunt, si plane excelsa, si vim habēt maximam ad percipiendos fructus ex libris optatos, ac necessarios, illa, quae virtutem tuā praedicant, cum splendore Regio, ditionisque amplissimae dominatu conjuncta, quantopere valere debent ad tuam dignitatem appetendam nostrae Demonstrationis augendae, decorandaeque causa?  
Quid

Quid cum tibi tantum se debere fateatur nostra  
Societas tuis maximis & innumerabilibus ob-  
stricta beneficiis, quantum propter magnitudi-  
nem tuorum in nos meritorum commemoran-  
dā quotidie praedicat, neque praedicare desinet  
ulla saeculorum memoria? Qui tāto in nos amo-  
re propensus ferri visus es, ut quoquo gentium  
contendas, Societatis I E S V alumnos tecum  
velles deferre, cum eis esse, cum eisdē colloqui,  
tuorum consiliorum participes facere, & quod  
caput est, ipsis, animi tui salutem committere?  
Quid si patria, si nomen, si debita observantia cō-  
sideretur? Vincula sunt ista, quae corporibus, &  
animis injiciuntur: quibus solvi sine summa per-  
fidia nemo potest. In libri inscriptionem oculos  
cōjice, & quantum onus observantiae mihi im-  
posueris, intelliges. neque de patria tacere pos-  
sum. Est autem patria oppidum Cifontanum, nō  
procula Medinensi tuo conditum, illustrissimi  
Comitis ditioni subiectum, dioeceseos Sagunti-  
nae claritate non ignotum, sed clarum magis tē-  
perie caeli, salubritate aeris, agrorum fertilitate,  
camporum spatii frugiferis, vineis, hortis, fon-  
tium gelidis perennitatibus, ubertate tanta om-  
nis generis fructuum, & amoenitatum jucundi-  
tate, ut non Capuam, non Campaniam deside-  
res

res: Paradisum omnibus bonorū copiis, & amoe-  
nitatibus quibuscunque redundantē te diceres  
intueri. Quo Pōtificates Sagūtini salutis conservā-  
dae, aurae captādae, & amoenitatis tantae per-  
fruēdae causa contēdere solēt ab ineunte vere.  
Ab ipsis enim aedibus de fenestris prolatis capiti-  
bus, nō prospicere solū tantam tāque multiplicē  
ubertatē, copiāque redundantē, sed manibus pru-  
na, cerasa, poma, reliquosque fructus in celae &  
habitatores Cifontani percipere nimium hilares  
atque laeti valent. Hic nobiles familiae non de-  
siderantur. Humanitas & cultus civilis, ac pro-  
pe aulicorum ritus, & elegantia perspicitur  
propter Comitum illustrissimorum tanti oppi-  
di palatium celebre sedem suam & domicilium  
a primis acceptae ditionis amplissimo domina-  
tu nunquam hic non habentium. Hic pietas &  
religio coluntur cum templis, & coenobiis aliis,  
tū una virginū aede sacra, unde virgines a teneris  
annis moribus integerrimis, & sanctitate maxi-  
ma altae semper educūtur in matrimoniū collo-  
cādae filiae nobiliū virorū pecuniis maximis ad-  
stat<sup>9</sup> hujusce collocationē adjunctae. hoc in oppido  
nostri parentes orti, quicūque sint, se multū Me-  
dinae Caeli Ducibus praecellētissimis debere  
fatētur, & fatebuntur in perpetuū. Sed quid plu-  
ra? visa est nostrae Societatis schola beneficiū, quo



hyeme praeterita, tui adventus splendore nostra gymnasia illustrasti, magnitudine devincta, prorsus ingratitude accusare, si tui proxime, & secundum Hispaniarum Principem rationem non haberem. Quid? quod Collegium beato Ermenegildo sacrum Regis hujusce celsissimi nepotes, posterosque clarissimos, teipsum stirpem ac sobolem Vvisigothorum vetustissimam, ac Regum nostrorum florem maximum, a Recaredo Rege, fratre tanti Regis ortum ac procreatum justissime verissimeque quaerit? Quare quod deprecemur tot aequissimis justissimisque adducti rationibus, patrocinium Cerdarum, & ob eam causam Vvisigothorum clarissimorum potentissimorumque, urbe quasi Hispali suum defensorum agnoscente, & ipso sacro Ermenegildo ad sui Collegii honorem, & gloriam immortalem his e sedibus Hispaniae florentissimis evocante, suscipias oportet, & pro tuo non splendore solum, sed eximia virtute munificus ac liberalis, Ermenegildi sanguine dignissimus impertiaris.




## AVCTOR LECTORI.

**A**pparatus Latini sermonis primo nostrorum operum volumine contentus, optime Lector, eo spectavit, ut bipartitus longe lateque patentem eloquentiae campum tantarum descriptionum multitudine, varietateque scripturis, acturisque Latine adolescentibus demonstraret. Atque haec Descriptio tam multiplex est varia quamquam ex diversis argumentis petita, dissimili fere semper schematum vestitu ornatuque distincta exulta. Verit in Apparatus praedicti latissimo capite tamen quod proprium est est peculiare Rhetoricae, fusius est uberioris descriptionis tractandae munus suis praecipue praecipue, argumentis, figuris, est officio multiplici, generibusque descriptionum dissimillimis, tanta specie, formaque ex auctorum, ac praecipue ex Ciceronis voluminibus accepta distinctum, tum rationem ostendendae partis, quam illa sibi vindicat in dicendo, nec in partibus aliquot solum, dictionis illustri mirandaque progressionem, sed in integra est continenti fere oratione, quae nisi ad hoc rhetoricae lumen revocetur, tota, necesse erit, exanguis est

Et enervata videatur, ad secundum Demonstrationis volumen, qua potuimus, perspicuitate revocavimus. Id autem eo consilio fecimus, ut Rhetorem, quod facit Cicero in suo Oratore, praeceptionibus imbutum nos exercitationibus institueremus et informaremus, atque adeo non ad orationes solum elegantes et disertas, sed ad conciones graves, et homine Christiano dignas futurum concionatorem expoliremus. Novum fuit Apparatus foras emissi genus, atque ante hoc tempus, id quod praevilegii testimonio, me minime deoscente confirmatum exivit, et emanavit in vulgus, ab ullo nostrorum hominum non modo non perfectum, sed neque tentatum quidem. Novum etiam videri debet a nobis prolatae Demonstrationis, id est Descriptionis argumentum, tot divitiis, et ornamentis eloquentiae locupletatum, et omnibus plane luminibus Ciceronis, et insignibus distinctum et illustratum. Quod si nos primum tanti operis amplitudinem praestitimus, mirum videri cuiquam non debet, quod adjuvante Deo potissimum his nos ab adolescentia studiis dedimus, penitusque devovimus: et quidquid legendi, aut commentando, vel scribendo in eloquentiae studiis temporis diuturnitate moliebamur, id totum ad usum semper exercitationemque nostrorum operum conferebamus. Nimirum illud erat, quod  
nobis

nobis neque scientibus, neque cogitantibus huc conatus et appetitionem, et fructus laborum, et vigiliarum, qui inscientibus scientiam et sapientiam dedit loquendi mirabilem, celsissimus ille terrae, caelique moderator Deus conferebat. Itaque adolescentem Latinum Apparatus volumine, praesenti Demonstrationis opere rhetorem instituerem et formare volumus: quem, ut speramus brevi, ornatum nimis, et perpolitum ostendere conabimur, quae agimus, et molimur indies, cum inchoata perpoliverimus, reliqui usus et exercitationis opera in publicum proferetes. Quae quo magis patent, et ad Philosophos, et ad Medicos, et ad Iurisperitos, et ad Theologos, et ad omnem studiosorum ordinem latius pertinet, magis cuicumque minime malevolorum generi probari videbuntur: et his, qui ingenio, et eloquentia plurimum potuerint, quidquam addendi, quod collibitum fuerit, id quod praeprius nostri ingenii foetu fieri necesse erit, facultas non voluntate nostra solum, sed etiam obsecratione concedetur in posterum: nobis spes afferetur minime dubia, quod in labore quocumque expectari volumus, mercedem primi conatus ab immortali Deo veram ac solidam accipiendi.




**QVSVS, ET EXERCITATIO**  
 demonstrationis, et ejusdem variae  
 multiplicisque formae imago, suis e-  
 xercitationibus, et integris orationi-  
 bus, oculis subjecta lectoris, et elo-  
 quentiae professoribus, et divini ver-  
 bi concionatoribus nimium uti-  
 lis, ac valde necessaria, Auctore  
 patre Melchiore dela Cer-  
 da, Sacerdote Societatis  
 I E S V, et Hispali  
 eloquentiae pro-  
 fessore.

*Demonstrationis Liber primus.*



**P**RIMVM omnium, principio hu-  
 jusce secundi voluminis, generatim, et  
 universe libet demonstrare rhetoricae  
 studiosis, quam late descriptio pateat,  
 et quemadmodum ex omnibus in sitis,  
 et remotis argumentis petatur: postea  
 totius operis decursu sigillatim for-

A mas



mas ostendā. Atque imprimis a causis ordiar, quod sine causa nihil fieri queat ab hominibus: et illi finem sibi rerū agendarum proponant, ratione ducti, qua cum bruta careant, conatus, et impetus habent omni ratione vacuos. A procreanti igitur causa suscipiatur exercitatio prima. Atque si quis velit ex fabrica hujusce mūdi Opificē tāti operis ostēdere, arbitror, ita describeret, quantū imbecillitas humani ingenii consequeretur.

A CAUSIS PROCREANTIBVS, ET  
aliis, Deus ostenditur.

**A**B hac fabrica totius mundi elegantissima mentis oculos tollamus in Creatorē, et Opificē tanti operis. Consideremus divinū quendā, et excellētē Spiritū, summū, praepotētēque Dominū rerū omniū, quae supra Lunā sunt, neq; effectorē solū, sed summū, potentissimūque: qui mūdos alios multitudine innumerabiles, pulcritudine illustriores, et omniū rerū magis abundātes creare potuisset infinita suae Majestatis potētia, nullis neque locorū, neque tēporum finibus terminata, Parentē communem generis hominum, cui non infimi solum, atque mediocres, summi homines ortum suum referre debent acceptum: sed ipsi Principes terrarum, Reges clarissimi, Imperatores invictissimi: qui praeter humanā naturā, ab eodē praepotenti Deo potētiā, atque dignitatē acceperunt. Atque ita consideremus Deum praesidentē de caelorū sedibus generi hominū, neque universe solum, sed unicuiq; sigillatim: quē prae Majestate Parentem hujus universitatis cōprehēdere mētes humanae non possūt, neq; cū minima ex parte voluerint, prae sua infinitate indicare. Ille eximia pulcritudinis venustate rerū pulcerrimarū multitudinē, et varietatē distinxit: quibus nihil abest, omnia in sunt, atque ea in suo genere perfectissima. In cujus pulcritudinis aspectu mortaliū oculi cōquiescūt, neq; satiātur, cū expleātur incredibiliter: sed magis ac magis delectātur, et pascūtur in magnitudinē tātae pulcritudinis intuētes. Qui cum

divitias omnes, opes, et facultates largiatur, imperia deferat, detrahat ad volūtātē, Principes in Regno collocet, deturbet de solio, locupletissimus, et opulētissimus est Dominus cunctorū Regū hujusce saeculi, et beatorū civiū celsissimus potentissimusque, omnibus bonorū copiis circūfluēs: quo nihil affluētius, qui nullius rei eget, abūdat omnibus, et illius beneficētia, et largitate suppetunt nobis, quae habemus ad victū, et ad delicias. Neque nos beneficio illius solū alimur, sed bruta animātia pascūtur: ipsi pisces in mari, aves in aēre sustentantur a tāta Majestate creatae. Quare fortissimū, atque potentissimū recognoscām<sup>9</sup> necesse est, atque profiteamur: cujus robore ac virtute caelesti fugantur acies inimicorū, prosteruntur copiae, reportātur victoriae, et insignia victoriarū: ipsa navigamus maria mortales, eadē trāquillātur, et perturbātur omnia: nihil denique est, quod non in sua manu ac potestate sitū sit, atque collocatū. Qui infinitate suae potētiaē hāc omnē machinā architectat<sup>9</sup> est, atque sine labore ullo, nullo ferro, nullis vectibus, nullis machinationib<sup>9</sup>, sed uno verbo atque volūtate sua. Cū vero thesauros sapiētiaē suae cōmunicaverit generi sapiētissimorū hominū, notitia tantarū rerū mētes altius ascēderūt, et evolarūt per res abstrusas, et involutas, per caelestes atque divinas, et in aliquā divinae sapiētiaē partē ingressae incredibili, atque divina laetitiae voluptate perfundūtur. Cū idem etiā sanctissimorū hominū vitā, mores integerrimos, et praestātissimos, absolutionē omnē, et perfectionē, quomodo sacri doctores tradiderūt, viris summa sanctitate praeditis, suae bonitatis infinita magnitudine communicet, atque illos in virtutis actiones clarissimas dirigēs, atq; provehēs, ad tantā sanctitatis amplitudinē produxerit, quid erit aequum de largitore Deo, de tātae virtutis auctore nos praedicare? Nō illū videmus totius esse virtutis perennem, et inexhaustum fontem, unde tot rivuli, tot fontes, tot flumina sanctorum, aquas virtutum omnium hauserint, et collegerint ad satius animorū suorum copiose admodū, et abundanter irrigandos? Atque cum tantum divino-

rum munerum, atque donorum datum, et impertitum fuerit mortalibus, tantum largitum eisdem opum, atque divitiarum, tantum cognitionis, et scientiae, tantum fortitudinis, et virium: cum universa maria, terrarum situs, et circumscriptio, aeris circumfusi regio, a terris tanto intervallo caelorum altitudo distans, quaeque illorum finibus longissimis latissimisque continetur, ab eodem immortali Deo creata fuerint, et effecta, partim ad usum, partim ad delectationem hominum. Nihil de divina potentia, de fortitudine, de sapientia, de virtute, caeterisque donis, ac muneribus commemoratis imminutum, aut detractum fuisse divinae Majestatis, nec ullo unquam tempore imminutionem fieri posse minimam certum est, sed in tanta illum gloria, in tanta bonorum omnium affluentia, in summis gaudiis atque voluptatibus divinis futurum esse semper, atque fuisse ab infinita saeculorum omnium aeternitate suae gloriae caelestis immortalitate circumfusum, quo nihil beatius, nihil omnibus bonorum copiis abundantius cogitari possit, qui nullo principio iniens, neque fine Majestatem suam concludens, aeternus, et immortalis, infinita divinarum voluptatum abundantia divinas mentes pascit: atque idem nobis omnium, quae sunt opus, rerum copiam et abundantiam suppeditat, his abundantius, illis angustius, aliis mediocriter, atque parce: ut tanti Numinis Majestati sempiternae collibitum est, et nonnullis videt ad salutem animorum conducere. Quare cum Deus effector mundi, atque molitor opus effecerit, quod pulcherrimum in rerum natura intelligi possit, et quod omni ex parte absolutissimum sit, unum quidem mirandum in modum spectabile, in quo rerum omnium, et animantium genera continentur: ille, quem tanta fabricae praefecit, rector, et moderator homo, quemadmodum bonos homines ex suis operibus, et Deum immortalem ex hujusce mundi opere magnificentissimo potest agnoscere: quamquam infinitis partibus, cum plus cognitionis habuerimus, notitia nostra Majestate tanti Numinis haberi debet inferior.

EX

EX ADIVVANTI, ET CONSERVANTI  
urbis a Praetore gubernata.

**I**ntueor Praetorem strenuum, ac diligentem, publicae utilitatis amantem, dantem operam Reipublicae, et vias omnes, atque rationes tentantem ad conservandam Rempublicam: qui leges, et sanctiones, quae prohibent, aut imperant aliquid, servandas curat in civitate: et hujusce rei causa senatum habet statis diebus, et frequentem convenire saepius jubet. Ab illo nunquam Praetor abest, neque discedit, nisi cum tempus est dimittendi Senatus: et indicta poena, si res omnium indiget deliberatione Senatorum, venire cogit. Ad deliberationes, quas habet domi de civitate, principes Senatus adhibet. Habet administratos diligentes, et aequi, bonique amantes, nunquam precibus, neque amicitia, neque pecuniis corruptos, integros, et incorruptos a largitionibus, et munerum corruptelis, nunquam a foro, a locis celebrioribus absentes, sed praesentes, et accurrentes illico, si quid edixerit Praetor, si quid factum opus fuerit. Ipsi diebus, atque locis, et temporibus, quae suspiciosa sunt, et cum aliquid tumultus propter concursum hominum, et frequentiam timeri potest, vias omnes petunt, repetuntque administrati saepissime satellitum stipati grege plurimorum: qui quos comprehendere necessarium est, comprehendant, et deducant in carcerem. Ille totam urbem perlustrat, et in omnes partes oculos convertens aspectu suo, fascibus praetoriis genus hominum componit, et in officio suo continet, tremere facit, et horrere praesentiam suam venditores panis, fructuum, et aliarum rerum, atque mercium, dum minus opinantes opprimit, et si quid iusto carius vendunt, continuo poenam constitutam jubet illos persolvere: et graviolem imponit, si quid in posterum committant, quod ille animadverterit, vel administrati sui, vel qui libet de populo detulerit. Domos aditus multorum Principum,

A 3 quo


quorum promos, quoniam illis interdictum est poenis constitutis gravissimis carnes aedibus dominorum appedere suorum: si fortasse vendentes opprefferit, nulla spectata comprehensione, neque sui purgandi facultate concessa, omni ad Auditores Regios exclusa appellatione, cum venisse contra legem illos aspiciat, in iumentum impositos ab aedibus ipsis per vias pulsari jubet voce praekonis causam praedicantis. Ita terrorem reliquis injicit, et ab hac consuetudine promos alios abducit metu virgarum, quas semel toleratas de tergis auferre nequibunt domini: cum praesertim illi maneant infames in perpetuum. Inde se recipit in macellum, et in lanienam, observat appendentes carnes, suae praesentiae incios, si bonae sunt, si non infectae, si male olentes, si lances acquisissimae. Saepe spectat, ut a lanionibus videri possit in laniena. Hos vendentes, illos jugulantes arietes, exenterantes alios cogit officium suum facere. Ita quidem tabernis in ipsis fructuariis, in officinis leges, quae vendendi sunt, incorrupte integreque servantur. Atque molendinarios ipsos non omittit, si quae sancta sunt de molendi pretio, de iumentis, quae habituri sunt ad farinam deportandam, referendamque praestant: si nullos modios neque de tritico, neque de farina clam homines furantur. In diversoriis quanti horreum, paleaeque vendantur, requirit: quemadmodum cubicula comparentur, lecti strati, caeteraeque operae praestitae quoto pretio constant hospitibus: si exhauriant eos, et exinaniant, an mediocri iustoque quaestu contenti sint accipientes hospites in diversoria. Atque cum haec ille per se requirat saepissime, tum occulte mittit homines sine virgis, sine fascibus, ne internoscantur, ut de vicinis, aut de hospitibus percontentur: cum diversorium plenum intueatur hospitibus, et si quod tempus sit, illud esse videt potissimum hospites spoliandi non alienum. Idem mittit suos ministros in angiportus, in porticus publicas, in suburbia, ut vagos atque solutos, pictis foliis, aut aliis detentos

tos Judis diebus profectis, in carcerem comprehensos trahant. Eidem quanta praetori, quamque maximae curae fuit semper, ut alvei de domibus tollerentur collusorii: ut mulieres profligatae meretricio more viventes ejiciantur de civitatibus: ut supplicii improbos afficiat, defendat ac tueatur bonos, vitia hominum atque fraudes vinculis, ignominiiis, exiliis, verberibus, morte coerceat. Manus furum abstinet ab alienis domibus, non rapinae, non furta audiuntur, non dissidia, non rixae, non facinora, non caedes. Unus profecto Praetor, a suis adjutus ministris atque hi a satellitibus adeo navant operam Reip. ut status civitatis constitutus, ac legibus temperatus in otio, ac pace conservetur.

## AB EFFICIENTIBVS CONS.

cientiae vis,

(?)



VID ME ab studio virtutis conaris abducere, quam unice colo, quod illa scrupulis omnibus, qui meum animum angebant, et stimulant, liberat, et facit, ut pacato sim, atque quieto animo, si ve domi, si ve foris sim, aut prandeam vel coenam, vel cum meis aequalibus colloquar, aut mecum solus agam, si ve cubitum eam, aut expergis car somno fatigatus, aut surgam, et me in aliquot partes civitatis conferam? Quaecunque fuerint tempora, pacata, et tranquilla, turbulenta, et concitata: cum coelum serenum est, atque laetum, aut cum nebulosum, et caliginosum, ut noctem tenebris suis terrarum sedibus obducere velle videatur: si tonitrus existant quasi ruentis aetheris fragore, aut non multo audito cre-

pitur: si fulmina cecidisse dicantur, et illorum ictu, terrae tā-  
 ctae fuisse, percussa loca plurima, deflagasse nonnullus ho-  
 mo: nihil me angunt haec, neque sollicitum habent. Quid  
 cum morbos lethales gigni, pervadere pestilentiam civita-  
 tem, et tolli de medio millia mortalium audimus? Minus ista  
 me movet conscium conscientiae, quae nullo peccati mor-  
 su cruciatur. Arbitror in Dei gratia me positum esse, atque si  
 decederem hoc ipso tempore, mecum praeclare fuisse actum:  
 qui vocarer ad caelorum sedes, et domicilia beatorum. Cum  
 alios pallere, cum albere video, cum totis artibus, atque me-  
 bris contremiscere, quaerere latebras ad se abdédos, aut sal-  
 tem in cubicula se recipere fugiētēs lucem, celebritatemque  
 mortalium, cōcludere fores, fenestras, rimulas infercire om-  
 nes, per quas fulgura sese inferunt, occludere linteorum, aut  
 tabularum oppositu, aut obtrudédō, quae fors, aut casus de-  
 derit, magis laetus sum, et hilaris: qui nihil illis commovear  
 caeli perturbationibus, non auditione tonitrus, non fulguris  
 ardore, non fulminis accepta strage. Me magis in publicum  
 do, accuro in fenestras, specto aquarum vim, et tempestates  
 gaudens ac gestiens: neque minus laete fulgura intueor, quā  
 lucernas ardentes. Quid plura? si cadant ante oculos fulmina,  
 tam forti sum, et constanti animo, atque eram antea, cū cae-  
 lum tranquillum erat, atque serenū. Quid consciētia valeat,  
 tunc intelligo maxime, cum alii corporibus, et animis cadāt,  
 et ego vix apud me prae laetitia sim in tanto, tamque ingen-  
 ti reliquorum terrore mortalium. Non timet animus homi-  
 nis, qui est in Dei summi praepotētisque gratia: poenam an-  
 te oculos versari putant, qui suis sceleribus Numen divinum  
 violarunt: jam in se ipsos pestilentiam invadere, jam etiam  
 mortis interventu repētino se praecoccupatos putant, suspi-  
 cere non audent homines miserandi caelum: atque, exhor-  
 rent strepitus, et fragores omnes. Cū vidēt fulgura, magis a-  
 nimis contremiscunt, et corporibus, quod in se fulmē jactu-  
 ram esse Majestatem Dei metunt: quem ab hinc tot annos  
 li

libidinibus, stupris, et impuritatibus carnis offenderunt. Sed  
 quid ego commemoro pravae conscientiam morsus gravio-  
 res, cum minimos strepitus muris, cum auram leniter flantē,  
 cum motus foliorum in arboribus flatu ventorum minimo  
 existentes, exhorreant, et jam jam adesse gladium divinae  
 Iustitiae timeant ad invicem in viscera sceleratorum in sin-  
 geridam? Nōcōtes equidem, atque totos dies eorum exedun-  
 tur animi mortis memoria mente praecoccupante, damna-  
 torum suppliciis versantibus in animo, poenae timore, quo  
 afficerentur, si peccato capitali cōstricti decederent. Vidēt  
 sane, si mors illos id temporis oppressisset se deturbandos in  
 inferorum regiones, et in omnem saeculorum aeternitatem  
 flammarum perpetuis ardoribus conflagratos, reliquisque  
 poenis afficiendos: quae impiis apud inferorum sedes praepa-  
 ratae sint in perpetuum. Ita vivunt denique, ut animā vix du-  
 cere de caelo queant: nunquam enim angor conscientiae  
 eos finit respirare, nūquam acquiescere. Pondera Aetna gra-  
 vius se sustinere arbitrantur: quod a se nullo modo valeant  
 amovere.

PROGRESSVS VIRI DOCTI, EX  
 EFFICIENTIBUS.

Sed quid miror virum hūc doctissimum tātum excelluis-  
 se caeteris, cum ad litterarum studium plurima ei fuerint  
 incitamento: nam ipse ab adolescentia, tam egregia fuit in-  
 dole, sic a ludo abstractus, et a caeteris oblectamentis, quae  
 mentem a litterarum studiis abducunt, et eo deflectunt, ut se  
 perditum eant: boni saepe juvenes ingeniis maximis praedi-  
 ti: ut ad litteras sua naturali propensione ferretur. Versare igitur  
 libros, describere delecta quaeque de bonis auctoribus,  
 multa commentari secum, plura mandare litteris, audire li-  
 benter de re litteraria disputantes, hos argumentantes, alios  
 respondentes, et obijcientes, et vicissim diluentes, post mult-

tum tempus a libris divelli non posse, inhaerere magnam partem noctis, surgere ante diluculum duas horas, et totum se tradere studio librorum. Atque cum multa mandaret memoriae, multa referret in codice, nihil unquam legebat, quod non in memoria penitus insideret ad opportuna tempora. Parentibus tantae fuit curae conatus illius, et bonos impetus provehendi, nunquam ut magis solidum gaudium gavisi viderentur, quam cum hunc litteris dantem operam audiebant, et sic arripentem avidae, ut jucunditas sua, deliciaeque fuissent librorum multa supellex, et clarissimorum, et doctissimorum auctorum, quae quotidie foras dabantur, typis excussa monumenta. Quamobrem paedagogum de scientissimis, et de optimis academiae magistris, magna mercede proposita quaesierunt, qui deduceret eum in scholas, atque domum ab scholis reduceret, nunquam ab illius latere discedens, semper cum illo repetens, quae puer audierat a praeceptoribus: ne permitteret aliorum puerorum ingeniis improbis, et moribus nefariis depravari. In illo omnes cogitationes positae erant ad augendum magis puerum, et utriusque paratis studia conferebantur. Adjuvat pueri conatus, et industriam florentissima bonarum artium parens, et omnium disciplinarum officina, locupletissima Complutensis Academia: qui locus opportunus litteris, et quibuscumque disciplinis percipiendis segetem uberem, et copiosam suppeditabat. Praeceptores celeberrima orbis terrarum parente exquisiti, cum viderent tam bonum adolescentem, tam egregia indole, et ingenio praeditum, illum incitabant, privatim, atque publice, tribuendo plus temporis hujus progressionibus: atque illum inflammabant ipsis in gymnasiis, in media scholasticorum corona, ut in coepto litterarum itinere pergeret. Cum spem, quam de illo habebant omnes, alere sua doctrina praeceptores omni modo studerent, ille studio, laboribus, vigiliis auxit, atque adeo postea publicis artium, et sacrae theologiae disputationibus superavit. Itaque cum magnam spem attulisset suarum progressionum universae academiae

miae, vigilare non desinebat, multumque desudare, nullum ut otiosum, ac tranquillum spiritum duceret. Media de nocte praelectiones audita, cum scholasticus esset, et argumentum in classe ponendum, et passim oblatae difficultates, et involucra quaestionum excitabant, et ad operam litteris dandam de lecto surgere nihil hyemis asperitatem, nihil caloris molestias curantem compellebant. Cum tamen accessissent tempora examinis, atque licentiae lauream consequendi, cum magistri, cum doctoris honorem adipiscendi praestitutus terminus, complectens animo suam habitam opinionem, spem excitatam, concursum ad audiendum illum respondentem de rebus arduis atque difficillimis, et in hoc munere necessitatem impositam condiscipulos superandi, cum honore ageretur, cum gloria maxima, cum spes reliquae vitae penderet, ex his certaminibus, ex honorum gradu in publicis renunciationibus consequuto, an illum quieto potuisse existimatis animo consistere? somnum capere jucundissimum? cum scholasticis commorari suis in conventiculis? usitatos a praelectionibus contulisse sermones hominem avidum honoris, appetentem primae laureae, et ad illam tanta corporis, et animi contentione properantem? Erant alii stimuli non mediocres, alia profecto adolescenti calcaria non leviora, quibus processus faciebat magis, quam curru quadrigarum vectus. Illa fuerunt mater spectatissima foemina, sorores aliquot ornatissimae, et jam maturae viro, quae biennio ante patrem mortuum spe fratris istius reliqua solum pendebant, et in illum ascensurum ad honores maximos, ad florentem fortunam invitabantur, ut eas omni reliquo destitutas auxilio partim in matrimonium collocaret, partim in coenobium monialium cooptandas curaret. Idque ut speraret, faciebat patruus Consiliarius Regius, qui gratia plurimum apud Regiam Majestatem, et apud Principes regni, non auctoritate minore valens, de nepotis ingenio, de litteris, de expectatione docens spem magis injectam cum etorum animis adauxerat. Quod si ad hoc litterarum studium virtutem adjungimus, et aviti-



DEMONSTRATIONIS

is omnibus abstractum, cunctis virtutibus dedicatum, virtutibus custodem, exemplar honestatis, lumen integritatis cunctis academiae raras scholasticis elucens, singularis hebdomadis expiantem conscientiam, accedentem ad sacram synaxim cōtemplatur, quis acriores stimulos, et calcaria sibi unquam de scholasticorum numero maximo ad litterarū cursum cōficiendū subdita fuisse numerabit?

AD A FORMAM, VERTUTIS, DIGNITATIS

Virtus a veteribus lectissima fingebatur, et ornatissima foemina, forma ac figura spectatissima, Solis splendore clarior, naturali rubore, nullo fuce, neque pigmentis aspersa commentitiis, dignitate oris, et honestate singulari, talis palla, multis distincta gemmis. Illa vero sedebat in folio Regali Majestate vifenda, diadema gerens in capite, multarū fulgore margaritarum illustratum, in manu sceptrū ex lauro purissimo factum. Quae cum mortem infra pedes positā haberet, de genere hominum universo triumphantem, cum factem, et oculos tolleret in caelum, quibus sublatis, et intētis aetherine, caelum ipsum, atque ipsius eximiam, et illustrem claritatem intuebatur.

EX EADEM FORMA, FACIES

Necnon forea se libidinosi homines ab imperis libidinis assensu cohibere suum, si Cupidinis formā a veteribus fictā aspexerint. Is filius impurae Veneris, impurus, et impudēs finge batur, sertis coronatus roseis, spoliatus vestibus, ab humero pennas utroque pendentibus, et alatis etiam pedibus, obtutum oculorum tænia tegente, ne partem ullā lucis aspiceret. Huic ebrietas, supor, et inattonies praecipue circumstebant, rixae, similitates, odia, probra, dedecora. Atque

LIBER PRIMVS. 13

que in dextra arcum ille gerebat intentum, et ad ductū, quae sagittis de pharetra depromis, cum contendisset, collineans passim feriebat multitudinem innumerabilem virorum, atque mulierū, nefariis amoribus deflagrantem, atque ut ex superioribus aspexistis, apertam corporum, et animorū perniciem cum suarum spoliatione fortunarum, cū multo proprio et dedecore sibi ipsis passim asciscentem.

AD A MATERIAM, FIENESTRAE, SPECULARES.

AD A MOTUM, M. E. M. E. X. 3

Haec fenestrae speculares sunt, ex fulgentissimis factae vitreis speculis, atque pellucetibus: ut in avertis, ad versisque speculis formae videantur, et appareant effictae, atque Zonulis plumbeis rectis, atque transversis laboratae praebentibus fenestrarum speciem parvularum, in ferreis singulae insertae clathris, aut orbibus. Pictae sunt, et politae multis venustis imaginibus, opere vario laboratis ornatae.

AD A EADEM MATERIA, PALATIUM.

Palatium istud quadratum, non minus materia sua, quam forma speciosum est. Parietes ex vivo lapide facti sunt, atque transitus, per quem ad illud ingredimur, ex lateribus Malacitanis. Idem parietes opere rectorio laborati, emblematicis multis, et incisuris ex ebore, atque laspide praetio for atque pars media parietum pavimento, propinquior tessellatis nitet vario opere factis, atque nitentibus clarissime. Pavimentum totum est ex lapide politissimo, non minore distinctum varietate tessellarum: tectū ex incorrupta cedro, et auro totam obductum, trabibus ab uno in alterum parietem projectis, et deauratis longitudine, latitudineque Zonarum mirabili: probetes vero trabium ex ordine sua, quibus tectū sustentatur, variis colorum aspersi pigmentis: et medii sunt

auri splendore collucentes. Atque nequid deesset ex omni fere materia pretiosa ad istius palatii ornatum, tegulae bitumine vario oblitae distinguebantur: tubi vero in utroque tecti cornu ex ferro, ac plumbo facti vim, et multitudinem aquarum hyemali tempore, cum plurimae aquae exstitissent, praecipitem dejiciebāt in impluvium: quae doliis fictilibus excipiebantur utriusque canali suppositis ad aquam pluviam, et per aliquot anni tempora continendam: et quotiescunque eam Domini bibere voluissent, in promptuario conservandam.

EX FINE .M. ANTONII AD  
Caesarem concio.

**V**o Marce Antoni C. Caesare occiso tua verba? quo seditiosa temere concitata concio? quo prolata populo, cruentata vestis spectabat? quid agebas? quid moliebaris? nisi ut Rempublicam oppressam Caesaris dominatu, et Brutorum virtute, tyrannidis imperio liberatam in servitutem iterum redigeres? Cum mortem lamentabaris, et affectus movebas miserabiles, cum ostendebas vestem sanguine stillantem, non id agebas, ut populus dominum tui similem, impurum, et latronem hominem, praedari solitum in Republica vellet, ac deposceret, et cogeret patriae liberatores partim exire e civitate, partim se dare in tenebras, partim occupare Capitolium, partim in exsiliū proficisci, patria carentes sua, ea orbatos civitate, a qua jugum servile deiecerant? non id visus es agere, ut cogeres fugere multitudinem ad arma, arripere lapides, glebas jacere, quae sibi tela venirent in manus, projicere in patriae defensores, usque eo persequi, quo ad illi, foribus oppilatis, multorum impetum retardassent? Quoniam vero Brutus in Capitolium se receperunt, non crudelitas, et nefaria dominandi libido tuae orationi nervos, viresque conferebat, ut armati Capitolium obsideret? ut admovent scalas? ut arcem scanderet? ut captos ad mortem Bru-

tos

tos traherent? aut illorum se contaminarent interneccione, qui servitutem a patria depulerant? Cum cadaver Caesaris vulneribus, et caeli volucris, vel ut melius dicam, canibus lacerandum, discerpendumque deberet exponi, non eo se conferebat oratio, ut in Campo Martio pyram multitudo exstrueret in altitudinem infinitam? ut sterneret lectum intra aedem factam contentum? ut proponeret imaginem Veneris? ut suspenderet trophaea? ut Aquilam Argenteam in celsiorem locum efferret? sacra faceret, et tribueret omnes divinos honores patriae tyranno detestabili? non eo coniecisti multitudinem, ut bustum homines audaces, sceleratique facerent, qui insepultam sepulturam prius effecerant, et erexerant columnam patriae evertori detestandam? clamabat, (dicebas) sanguis, vindictamque de teterrimis percussoribus efflagitabat. Quid volebas, nisi ut serviret magis patria? et tibi uni, quae domina gentium erat, ancillaretur? tuas expleret nefarias libidines? neque se tam fortes praestaret filii sui, quam invictos praebuerunt, cum Superbos illi Reges, per vim, et crudelitatem dominantes, suis non modo Regiis aedibus, arce sede Regum celsissima, sed Regio dominatu fortiter depulerunt?

EX EODEM FINE, SACRIFICIUM  
rei divinae tractandum.



**S**i sacerdotes in sacrificio rei divinae memoria complecterentur, quae Mater Ecclesia vult: quod praecipit Assertor humani generis, cum coenam cum suis sociis, et comitibus celebraret, et eisdem escam largiretur Corporis sui sanctissimi, quos voluit recordari vitam illius sanctissimam, laborum maximorum tolerantiam, cruciatus Passionis acerbissimos, atque adeo mortis indignitatem, Crucis acerbissimam, quam multi aliter, atque faciunt, facerent rem divinam?

B 4 quan

quanta demissione, quantaque religione accederet ad aram? Illi lacrymas prae sensu maximo tenere non potuissent, et praesentes sacro afficerentur eodem sensu, quo sacerdotes affectos viderent: neque se componerent solum ad modestiam et ad sacrificium summa attentione audiendum, sed in easdem, quas sacerdotes fundunt, lacrymas adducerentur auditores. Non profecto, quod incuria multorum accidit quotidie presbyterorum, evenire videremus, ut cum multi intersint sacro, corporibus magis, quam animis videantur adesse. Non idem ipsi sacrum breve semper appeterent, breve sacrum deposcerent, illas adirent ecclesias, ubi brevius vident fieri divinam: quodque sacrum amplius semihora non durat, semihoram vero raro explet, longissimum non putarent. Non ipsi annum commemoratum fuisse presbyterum jactitarent, neque dictitaret isti homines hunc se sacerdotem in animo conditum habituros fuisse, simul et satis cognitum, ut fugiant prodeuntem ad sacrificandum, neque illius sacro unquam intersint. Hunc igitur finem mente defixum sacerdos habeat, ut memoria virgarum, recordatione spinarum, et reliquorum Christi Iesu cruciatuum fructus capiat tanto sacrificio dignissimos. Atque in illum spectet, quo cum loquetur, quem de caelorum sedibus verbis ipsius consecrationis trahet in haec terrarum sola: quem suis indignissimis tenebit manibus, quem spectabit oculis fidei, quem in hospitio accipiet, et in animi sui domicilio collocabit: qui Deus est Opifex, et Architectus hujus, quam aspiciamus, pulcherrimae magnificentissimaeque fabricae caelorum. In hunc cum sacerdos aspiciat, et se abjiciet, ac prosternet ad tantam Domini Majestatem, in vermiculi morem se contrahet, animo colliget, et quantum in se erit, indignitatem suam angustabit, contrahetque, angustatam videns, et coarctatam exiguis Hostiae finibus: Celsitate sempiterni Numinis infinitam: quam neque caelorum, neque terrarum spatiis longissimis, latissimisque contineri posse scimus.

DE

DE FINE BONI SACERDOTIS,  
in faciendo sacro.

**E**quidem cum facientem sacrum bonum aliquem, atque perfectum sacerdotem aspicio, atque ritus, et caerimonias sacri accurate servantem, clare distincteque legentem, non deglutientem verba, non properantem, non accelerantem, tanta cum modestia, summa cum religione, omni statu, utriusque genu flexione, conversione oris ad populum, omni motu corporis sacerdotis dignitati consentaneo, et sacrificii, quod facit, celsitate dignissimo, credo ego spectare virum perfectum in Deum immortalem, in tanti Domini Majestatem, in sacrificii celsitate, in Christi Iesu cruciatu acerbissimos, in verbera, in spinas, atque denique in mortem pro genere hominum toleratam. Quae cernens animo prospicit plane id, quod videt, qua religione sit aequum, et oporteat fieri rem divinam.

## EFFECTA VIRTUTIS.

**Q**vae clariora signa dari possunt, et argumenta quaeritiora virtutis ad suam praestantiam, et amplitudinem commendandam, quam proprium istud esse virtutis, et id suis comparatum assidua constantique exercitatione cultoribus, ut, quam multis modis, et rationibus a Deo provisum esset justis, ignorare nemo queat? Quanvis equidem Deus universe consulat hominum generi, praecipuam tamen habet bonorum curam, quos in suis oculis, in suo ore fert, in magnis habet deliciis, cum eis se oblectat, robore divino munus, fert auxilium in periculis, malis eminentibus eripit, actiones illorum dirigit, et confert ad animorum salutem, vitam ad multos annos perducit, propagat genus, et familiam illustriorem reddit Indies, afficit gratia Spiritus caelestis, et par-

C ti

icipes facit quodammodo naturae divinae, id est, bonitatis, sanctimoniae, integritatis, et praestantiae caelorum, quae exsunt homo humilitatem, et indignitatem ab Adami stirpe tractam et acceptam, atque participat sanctimoniam, et nobilitatem divinam spoliatione sui ipsius honorificentissimam Christi Iesu personam suscipiens. Hanc consequuntur dona, ac munera Spiritus ejusdem caelestis, cultus pretiosissimus divinarum virtutum, claritas splendoris aeterni: id est enim hominem indui vestibus immortalitatis, ornari caput ejusdem diademate fulgenti, collum torque circumdari speciosissimo. Quid quod facilem hominem reddit ad omnes virtutis actiones, et munia suscipienda, ut queat pedibus calcare Daemone, non horrere paratas insidias, et ut intelligat verba, facta cogitationes gratas ac per jucundas esse Deo immortalis? cernit ille filium se Dei dici, et haberi jure adoptionis, atque ob eam causam haeredem regni caelorum esse, in Sanctorum ordinem ascribi, et post excessum vitae illum jus habere ad eundem caelestem haereditatem. Ne tantum autem boni desinat adipisci, videt plane ad omnem virtutis actionem indies effici se magis promptum, et habilem, planum magis, et expeditum iter fieri caelorum, jugum facile toleratum, suaviusque virtutis, mentem illustrari divinorum clariore luce radiorum, inflammari accendique voluntatem, memoriam rerum innumerabilium in animo comprehensarum contineri, ne se effundant, et animum, voluntatemque perturbent, arbitrium excitari liberum ad bene agendum, cogitandumque, appetitus omnes cogi ad parendum obtemperandumque rationi, ac ne perturbationes depravatae appetitu carnis incitatae violenter invadant arcem animi, deque suo statu hominem virtutis cultorem dejiciant, quasi custodes occludere turbulentis hisce, et temerariis affectionibus aditum omnem virtuti contrariis, et infestis. Itaque cernimus ab excursionibus honoris, demissione, ab appetitu carnis, castitate, ab ingluvie ventris, temperantia protegi defendique mortales, atque gratiae hos-

pi-

pitio magnifico, et liberali Deum immortalem exceptum in animo sedem habere, ut gubernatorem, Ducem, patrem, Regem praesidentem divino cum imperio, et majestate caelesti. Iam vero quanta est sapientiae magnitudo? quanta lucis divinae claritas, quae castis, et integris mentibus notitia rerum accedente caelestium oboritur, ut arcana Fidei recodita, et abstrusa magis explorata habeant, et illorum pulcritudinem, et convenientiam admirabiliter rationi, naturaeque congruentem intelligant? Inde consilium est illis plenum prudentiae, quo saepe indigent mortales, neque ex re, neque ex tempore facile capi potest: quo abundant sancti homines in dubiis rebus ad tollendam dubitationem. Ab his errores erepti, opiniones pravae depulsa, nullae relictae dubitationes, evulsi scrupuli, tenebrae disjectae, perfecta veritas, lux allata, omnis modus cognoscendi veri repertus est, et adhibitus. Iam vero suavitates animorum, divini motus, jucunditates, voluptatesque perceptae maximae, caelestesque, quibus dies noctesque cum suis in precibus, in commentationibus usitatis perfunduntur, cum eo usque omnem accipiant consolationem spiritus, ut perferre vix posse videantur, neque eas dari sibi abundantius saepe optent praemagnitudine dulcedinis, et suavitatis infinitae, quae cum demulcet sensus omnes, delinit animos, adhibet voluptates solidas, et abstrahit ab humanis, ad caelestia omnino convertit, quot quantaeque sunt? Minima harum jucunditatum particula puncto hausta temporis omnibus saeculi voluptatibus praestat. Quanta etiam quies est, et pax animorum? tranquillitas, et jucunditas conscientiae? atque in mediis caeli perturbationibus, in crebro tonitru, atque fulgure, in jactu fulminum horrido, in pestilentia saeviente crudelissime, in strage, interituque mortali maximo bonos animis quietis, atque pacatis esse, et nihil eorum, quae homines horrere videtur, metuere, quantum habet laudem, et admirationem? Quanta bonis spes est in caelorum ascendendi regiones, et in perpetuum post istius vitae excessum, vita immortalis Dei aspectu perfruedi? tantum spei habet ad

gaudia beatorum, quantum acceperunt de divina misericordia, deque singulari suo in virtutem amore testimoniū. Quemadmodum quoque illorum preces in tribunali celsissimo sempiternae Majestatis exaudiuntur, et ad illorū voluntatē expediuntur postulationes, qui postulatis indies respondēt, eventus tacentibus nobis testantur. Horum precibus conservamur omnes, non opprimimur propter flagitia nostra a Majestate divina, res nostrae secundos exitus habent, diram a capitibus nostris pestem avertimus. Atque illi sunt nostri status, nostrae fortunae primū semper, atque commune per fugium. Atque cum adversa bonis eveniunt, cum naufragia fortunarum, jactura honoris, orbitas filiorum, parentū, probra, et ignominiae ab improbis illatae, quanto robore, atque magnitudine animorum perferuntur? quam non libentibus solum, sed laetantibus animis perferunt, et graviores contumelias injuriasque quascunque perpeti concupiscunt? Id temporis se in filiorum numero delectorū habitos a Deo ducūt, et sui memoriam praeclaram tantum Dominum habere putant, et singularem, cum illos in hos conjicit fluctus, atque tempestates: ut quemadmodum igne aurum, et adeundis periculis famuli in Deum egregie fidelis fortitudo spectetur. Ac nequis putet in aliam vitā solum spectare beneficia, quae Deus immortalis in bonos viros cōtulit, agri istorum quanto uberiores fructus ferunt? quam secunda vehuntur saepius fortuna eorundem res? quemadmodum illorum precibus fertilitas agrorum, ubertas frugum, et annui reliqui fructus referri debent accepti, litterarum sacrarum monumenta testantur. Illis non opinantibus, neque sentientibus amplificatur patrimonium, et augētur opes, atque fortunae maximae. Quid tandem ad bonorum felicitatem restat, nisi ut in mortis angustiis, imminente profectioe sua, non minus parati sint devita decedere, quā cum aliquo proficiscuntur homines hujusce saeculi, ubi melius sibi sit, atque feliciter ad honores capiundos, et ad habendos magistratus honorificos.

Lac-

Laeti sunt nuntio moriendi dato, tanquam magno quodam, mirandoque bono. Id temporis Caelites, quorū in vita studiosi fuerunt, Angelum Custodē, Virginem Mariam, quam a pueritia pie sancteque coluerunt, ad futuram sibi sperant, et patrocinio suo defensuram apud Filium mansuetissimum, atque Christum Iesum aeterno Patri non merita solum administrari sui, sed plagas toto corpore splendentes ostēs surum esse, ad hominis iltius animum in caelorum sedes evehendū, inque beatorum militum coetus gloria immortaliter perfruentes referēdum. Hae praerogativae sunt, et immunitates vitae, sanctitatis, virtutum, quibus de bonorum dignitate satis inter omnes constare cernimus: ut ad illam, si tantorum volumus participes esse bonorum, dignitatem, celsitatēque clarissimam enitamur, atque contendamus.

## EFFECTA LITTERATI HOMINIS.

**M**agno satis indicio sunt fructus litterarū, cū videamus tanto suffragatorū numero delatam huic homini fuisse cathedram. Cum antea primum ille in publicis renuntiationibus locum obtinuisset, atque magno audiri concursu scholasticorū, inauditaque multitudine suum magis, quam aliorum gymnasia compleri, expectari tempus ingrediēdi ab scholasticis duas horas ante videamus: dum quisque praecire contendit ad locum occupādum, omnes constrictos compressosque considerare, tantum doctorem praelegentem, et explicantem sacra mysteria audire libēter, et ex illius ore pendentes, summum esse silentium, summam attentionē, omnes corporibus, et animis intentis nullū praetermittere verbum, omnia excipere, in papyraceos referre codices, jactari tota academia, et omniū maxime celebrari scripta tanti doctoris, laudari a viris doctissimis, praeferrī caeteris, quae sunt de simili materia praelecta publicis in gymnasiis, dictataque de suggestis, magni emi, efferri foras in alias academias, effla-

C 3.

gi.

gitata a viris doctissimis, atque magna mercede scriptores haberi in academia, qui celeriter describant, quae fuerit interpretatus tantus iste doctor, et ad illos mittant, ubicunque locorú sient, egregie, fideliterque transcripta, probe sciamus. Quae cú ita sint, nullú neque de recentioribus, neque de antiquis patribus cum tanto doctore contédere, atque ita omnibus fama illum ac nominis celebritate praestare, satis haec argumento esse debent.

#### A SIMILITVDINE, ANIMVS, TEM- plum est Spiritus Sancti.

**L**Oquar cum animo, quem téplum Sancti Spiritus Paulus appellat. Quod ut melius intelligatis, templú est mihi describendum pulcerrimum, et magnificentissimum: cuius parietes auro multo conuestiti sunt, et illud multis undique circumdatum sacellis, in quorum maximo sacrariú est Assertoris Iesu, auri splendore clarissimum, atque lampades accensae dies noctesque sacellum ipsum illustrant. In hoc téplo conciones habentur, sacra fiunt, preces diuinae concinútur, denique Majestas colitur sempiterni Dei: quo de cum agimus, in quo cum sumus, cú observátia summa, cú summa religione loqui debemus, et in illo caste, integreque versari, nihil aliud nisi de Deo agentes, et Numen tantum colentes, et suspicientes: in quo sermones habere saeculi, res quidem in usus humanos conferre scelus est, et sacrilegium omni supplicio vindicandum. Ad istius similitudinem templi fingere debet homo suum animum, et sanctissime religiosissimeque formare: qui sit illustri gratiae pulcritudine ornatus, multis virtutum ornamentis praeditus: in quo virtutes omnes sedem, et domicilium suum habeant, neque excludantur unquam vitiorum agminibus aditum obstruentibus: Deus vero maxime praesentia sui Numinis coret, splendore claritatis a tanta Majestate profecto Sole clarius il-  
luf

lustret. Nullae rerum humanarum voces, nulli strépitus, neque tumultus saeculi ipsis in animi penetralibus audiantur. Abeant vitia, secedát libidines, excedat Daemon cum suis ad inferos satellitibus: nihil hic homo audeat, nihil moliat unquam contra Majestatem sempiterni Numinis. Non aures Sirenum cantibus, non oculis inanitati saeculi, non os sermonibus impuris, non denique partem ullam corporis, neque animi rebus a Dei voluntate abhorrentibus praebit. Sive solus ille sit, sive cum aliis agat, Deum mente complectatur, honestatem cogitet, hanc loquatur, somniet, appetat, exerceat virtutes, mortes mille patiatur potius, quam suum derelinquat, deseratque Creatorem. Cum aliquot agat negotia, cum rei familiaris occupationibus distineatur, in mediis actionibus, in ipsis semper negotiis Deum cogitet, ac loquatur. Cum aliquo mentem avocaverit, ad amores, et delicias suas Christum Iesum confestim redeat: neque quidquam sit homini jucundius, quam in ore, in animo Deum gerere: corpus enim, et animum, utrunque, totumque, Deus efflagitat: neque minimum vult impertiri cuiquam homini, vel rerum generi. Sic equidem cum ab ineptiis, et deliciis affuerit homo, totumque se Deo corpore, et animo dederit, verum templum Paulo testante Majestatis aeternae, dici debet, et haberi.

#### A SIMILITVDINE, VANA HVIVSCE saeculi fallaxque species.

**P**VELLAE delectantur pupulis, quas virgines Veneri quondam cum ex infantia excesserant, consecrabant: quae quamquam habeant speciem, et venustatem aliquam formatam in habitum, atque formam puellarum ex secturis mul-

tis sericis, quae nulli fuissent usui, neque utilitati: quam verò ridiculae sint, et pueriles, nemo non sanae mentis intelligit. Si quis in tabernas institorias contendens, et secum multum pecuniarum deferens has uxori suae, filiabus jam nubilibus emisisset, reversus autem domum clamaret de impluvio, illae cum accurrerent statim, et suspensis, et intentis corporibus, et animis exspectarent in aures aliquot, muraenulas aureas, alia decora, et ornamenta corporis, pater pupulas protulisset, et valde pulcras, valde venustas diceret: quae nam filiarum non insanire patrem arbitraretur, qui pecunias in pupulas ridiculas, et inanes contulisset, et quibus deludere puellas magis, quam nobiles jam virgines delectare posset? deo ne illae dicerent, in forum contendisti pater? ideo tantum pecuniarum detulisti tecum in nundinas, ut haec nundinareris, quae nemo unquam nisi insanus, et excors nundinatus esset? Quae nam fallax, et fraudulenta mulier, quae te patrem nostrum, et tantum hominem in fraudem induxit? Ita quidem saepe sunt non minores huius saeculi fraudes, et fallaciae, atque machinationes Daemonis non minus obscurae, quibus nos ille tamquam pueros nullius iudicii, neque mentis integrae, ludicris rebus, et vanis, jocans, ludensque infatuare non desinit, et quasi pupulis puellas, uno pomo pueros, rubro pileo Aethiopes infescare: ne veram, et solidam virtutis effigiem, lumina caelestis gloriae, caelestes, et immortales Sanctorum opes appetentes, ad sedes, et divina Beatorum civium domicilia omni cum festinatione contendamus. Ut alia praetercamus, ipse Mundus aurum, quod natura sua magni pretii, et aestimationis est, et eximii splendoris claritate collucens, in nummis factis, in torque pretiosissimo, in diademate Regum, et Imperatorum clarissimo demonstrat, et objicit oculis visendum, ut accurrant, et ad volent inani specie capti mortales. Quid Venus? mulieres multo fuce, multisque pigmentis aspersas, serico nitentes ornatu, fulgenti oneratas auro, suis blanditiis, et leno-

ci-

cinis alliciētes ad carnis impuritates opponit: quid autem infirmali, quid veneni mortiferi, tegumento foris apparentis fucati splendoris occultit. Dissipant haec homines miseros, ac perdunt, et miserandum in modum detrudunt ad inferos. Cum minime considerent, quidquid infra Lunam fuerit, quod ad Deum animos non extulerit, quanvis insigni simulationis specie tectum, totum id, quod insanissimorum hominum iudicio maximum videatur, futile quidem esse, atque id perniciosum animis: cum non conferatur ad praestantiam, et magnitudinem bonorum caelestium.

#### A SIMILITVDINE, DE CONGIONA- toribus, ne statim in homines invehantur.



Primi quidem parentes, qui magnum laborem capiunt ob filios suos, ubi sciunt eos sceleratos esse ac perditos, qui colludant, qui scortentur, qui corrupti iam, et depravati seipsum, aliosque adolescentes perditum eant, primum lenitate conantur corrigere: atque ita sensim, ac leniter illis verba faciunt. Equidem si quae mihi dicta sunt, vera scirem, magnum in vos exemplum statuerem, primum compedibus vincitos in obscurum, et remotissimum aedium angulum includerem, ne multos dies foras exiretis: quid dies dico, menses multos, et annos profecto, ut in tenebris, et caligine summa, nullam lucem aspiceretis, neque radios Solis minimos, per rimulas se se inferentes: prius tamen dederem vos spoliatos vestibus mancipiis ad lassitudinem usque verberibus caedendos. Vos tam immania flagitia, tam turpia, detestandaque facinora? filios ex me natos, meis vos moribus, et disciplina institutos ea fecisse, quae neque dissoluti ac perditum, nullo nomine, infimo genere, nullo honore fecissent. vel propter infamiam, et sermones hominum? Id profecto cum fuit ad me delatum in animum inducere non potui: quid ut habeam

D mo.

modo fidem cum vos negetis, cum testemini me patrem, et matrem vestram, omnem a vobis culpam abesse. Quod si resciverim, si quidquã veri repererim, aut vos affines supplicio, qui culpae non esse dicitis, atque adeo juratis, proculdubio feretis poenas. Id quisquam in hac civitate suscepit, nisi turpis, et infamis homo, atque dedecorare volens genus, et familiam suam? Quid optime natus, et institutus? Non est nisi oblitorum sanguinis, et parentum, ex quibus nati fuerint, qui sic se otio, desidiaeque dederint, ut oderint virtutem, et suos praeceptores, scholam frequentare nolint: ubi libros audiunt, pestem nominari putent. Credo igitur vos esse, qui culpa non vacetis solum, sed extra omnem sitis suspensionem. Date igitur operam, si me vultis eum esse, quem videtis, Patrẽ: si me cupitis dici filii, et haberi, matre nobilissima, et matrona splendidissima nati: ut non modo non malefici, sed neque cuiquã suspiciosi possitis esse. Haecenus pater ad filios. Qui verba patris audierunt, et bonorum, et virtutis amantium, et opinionem, et famam apud patrem tenere volunt, aut quia certo sciunt non ita leni futurum patrem in posterum animo, nisi suum illi fecerint officium, respiscunt illico, et alios mores, aliam vitam instituunt. Ita quidem oportet aliquando concionatores divini verbi facere, ne distringant gladium illico, et virus objurgationis evomant in viros honoratos, et principes civitatis, sed se districturos esse clamant, et objurgaturos acerrime, suis appellaturos nominibus, si scirent certo, quod sibi dictum est, de pernoctationibus, de ludis diurnis, nocturnisque, de nutibus, et significationibus, cum innuunt, cum quid significant in Ecclesia audientibus sacrũ mulieribus magno cum detrimento, et offensione virorum, et mulierum: quae vident illos aperte, tam alieno, tam plane nunquam in sacrũ, in loci religionem, in Deum, qui praesens est, et adest in altaris Hostia, intento animo. Nam si Deus emptores, et venditores columbarum ejecit, et exclusit de templo, ne post admonitionem publicam verbo de suggestu deter-

rebit, et se nominaturũ esse minabitur nisi nutibus, et significationibus, aut colloquiis abstinerint? Is profecto qui nominatur, graviter posset offendi. monitionibus aures patefaciens ad se redire solet aliquando, et ultro veniens, ad pedes concionatoris abjectus cum multis lacrymis veniam delictorum postulans, fidem astringens suam, se nihil in posterum indignum tanti religione loci, et praesentia divini Numinis, quod inest, et continetur in Sacrario, commissurum esse, quin paratum se esse, quam imponere poenam concionator voluerit. non suscipere solum, sed perferre libenter, et quidem inspectante populo, quo magis de sua pravitate constet hominibus, et ipsi concionatori de hominis vitam in melius commutandi voluntate promptissima. Sic suspirat, sic lacrymatur, tanto cum dolore, ut concionatorem adducat in fletum.

#### A DISSIMILITVDINE, VIRTVS BONORUM ostenditur.

**Q**uam dissimiles sepulchrorum videntur homines esse probi, virtutis, et justitiae cultores? Cum sepulchra sint ex marmore facta politissimo, aut ex alabastro, nive candidiore, extrinsecus ad speciem pulcherrima, quae virorum, qui jacent in sepulchris abditi, simulachris, et imaginibus ornantur. Quae venustatem habent eximiam, et illustrem aspectum propter insignia, quibus decorantur, Ducum, Principum, aut sacrorum Ecclesiae Praefectorum, qui in hujusmodi sepulchra illati fuerunt. Si Duces fuerint, quia galea caput istorum superstitum in bello, os, et barba buccula teguntur, corpus thorace ferreo, vel lorica lata, et insigni, squamis, et annulis suis referta obducitur, quam pectoralia antecedunt, et consequuntur ocreae ferreae ad indumenta pedum: atque gladium a sinistra habent, a dextra sicam in sepulchris recti simulatis, et fictis ex marmo-



re muniti sunt armis. Si Pontifex est homo vita functus, coronatus tiara, cum baculo Pastoralis, reliquoque ornatu Pontificio spectatur illustri specie formaque visendus. Si denique Rex, aut Imperator, majore cum majestate visitur sepulchrum, et Regio splendore collucet illustratum. Atque cum haec sint ad magnificentiam sepulchrorum amplissimam: tum latera variis picturis, et omnibus politissimis ornantur. Cumque is foris appareat, et omnium oculis visatur splendor illustris: pro Deum immortalé. Quam intus est deforme, quam foedum, et horridum, quam plenissimum sordium, araneorum, foetidae ac putidae carnis, quam exest vermiculorum scurientium multitudo. Quod si post annos aliquot, quoniam cadaver in sepulchrum illatum est, caro absumpta fuit, et exarsa penitus, nihil praeter ossa reperies exarmata prorsus, atque cranium nudatum, atque deforme. Huc scarabaei, huc vermiculi, huc lacertae plurimae, colubri non raro ingétes, murium vis plurima se recipit, et abscondit. Quid magis dissimile bonorum hominum, et virtutis, et honestatis amanti, quos extrinsecus nullos dices, infimos potius, et contemtos ad oculorum aspectum, prae demissione sua, prae vestitus humilitate, prae rerum humanarum inopia, prae nuntio saeculi voluptatibus, et ejusdem inanissimis honoribus jam pridem remisso? Hi vix verbu loquuntur, cedunt loco cuicumque hominum generi, in remotis aedium angulis se condunt, non in hominum oculis, et luce versari volunt. Quod datur, accipiunt ad vestitum corporis, humile semper, et contemptum indumentum, officia libenter faciunt demissionis, non contemuntur de injuriis, et passim indignissima probra subeunt, et maxima dedecora: atque sic ab improborum hominum genere tractantur, ac si lucis hujusce claritate videretur indigni: qui intus, id est ipsis in animis, quanti sint, et quam insignes homines, quantis virtutibus praediti, quatis divinae claritatis radiis illustrati, plane boni recognoscet: cum ea, quae sunt in hoc saeculo, tanti habeat, quanti semper illis fuerint,

et

et sunt, quae trahuntur pedibus: ut in illorum animis sedé, et domicilium virtutes collocauisse videantur. Nullam suscipit, nec habere scit bonorum, animus, nisi de castitate cogitationem. Nihil appetere novit unquam, nisi quod ad laudem, et ad decus Majestatis divinae spectat, Deum immortalé rebus omnibus praeponens, atque cuicumque generi hominum, ejusdem Numinis honorandi colendique causa res omnes agens. Hos cum convenias, Deum spirare dices, et voluntaté divina verbis, et actionibus quibuscunque susceptis: ut plane videantur ostendere, nihil esse laudabile, nihil solidum, quod a Deo absit, et in Deum non conferatur. Normam te dicas bene vivendi, speculumque in terris, verae ac solidae reperisse sanctitatis. Quodcumque desideraveris virtutis genus, suis omnibus numeris absolutum, et expletum, ab illis accipies hominibus. Quantas etiam fraudes, et fallacias inani simulationis specie vanitas hujusce saeculi portet ad irretiendos suis mortalium animos laqueis, optime considerantem fugiet neminem: qui in bonorum hominum genus, et oculorum, et mentis aciem intenderit.

### DISSIMILITUDO DEI, ET HOMINIS.

Quantu interest inter immensam Dei bonitaté, et hominis improbitatem summam, arbitror, ex hac descriptione colligent aliquantulum boni. Cum Deus ipse sit summa bonitas, atque ipsa virtus, et consummatae sanctitatis absolutio, tantis hominem beneficiis cumulavit, quanta nullius dicendi facultas minima ex parte consequetur. Hominem Deus ad suae Majestatis effigiem, et similitudiné effingés rectum fecit, et excelsu, et tribus donavit animi muneribus, memoriae, voluntatis, et intelligentiae, ut illa omni studio conferret ad caelorum gloriam immortalem consequendam: quasque Daemon improbus, et reliqui sectatores elatione sua sedes amiserant, ille cum confortibus immorta-


D 3 lis

lis gloriae compleret. Et quoniam genus hominum natum ad honestatem, malo cultu, pravisque opinionibus corruptum est, et quanvis ipse Deus saepius pulset animum, multisque motibus, quid divina Majestas velit, et desideret, ac quaerat, non significet solum, sed etiam ostendat: nosque obsurdicimus, nescio quomodo, nec ea, quae a tanto Domino admonemur, quaeque intus docemur, audire volumus, Duce[m] dedit, atque praeceptorem suum Christum Iesum, qui nos praeceptis, doctrinaque sua ad beatam vitam, si suarum praeceptionum itineribus ire voluissemus perduceret. Atque sacramentis munivit Ecclesiam Christus Iesus, et Fidei sanctissimae religionem: quippe quae praesidio fuissent bonis ad persequendam virtutis viam, subsidio debilibus, et infirmis, qui a virtute defecerat, ad seipsum reficiendos ex naufragio miserimo: ut simulatque ad se redissent, et virtutis iter repetissent, in omni continuo honestate versarentur, et a traductione sua iter ingrederentur poenitendi, confessionis scilicet, lacrymarum, doloris, suarum compressionis perturbationum: inde gradum facerent illustrem, et patentem ad consilia sequenda perfectionis absolutae, qua Francisci, qua Dominici, qua sacrarum familiarum Principes, et Antesignani contenderunt. At quam alii sunt homines multi versantes in hoc saeculo, quis non videt, qui sentina scelerum, colluvio flagitiorum omnium, atque ipsi Daemones in humana figura latentes videntur esse, avari, libidinosi, iracundi, edaces, vinolenti, desides, invidi, arrogantes, quasi ad peccandum nati, qui nomine Christiani, re Pagani videtur: qui neque videntur intelligentiam, neque memoriam, neque arbitrium a Deo liberum accepisse, neque ullam de Deo notionem in animis impressam habere? Sic feruntur proclives in omnia vitiorum genera. Non illi solum ab aliis se depravari patiuntur, sed alios ipsimet contaminant, atque corrumpunt. Quos intus facit Deus animorum motus, quibus aculeis pungit, atque stimulat, prae consuetudine, et callo jam obducto peccatorum,

non

non sentiunt. Sic obduruerunt jam, ut deplorati desperatique videantur, ex beatorum exempti quasi numero, deque grege damnatorum habendi. Christum Iesum, quem speculum sanctitatis, magistrum virtutis dedit Pater aeternus intuendum, abjiciunt, neque sua norunt sacramenta, non praecepta divinae legis, et Ecclesiae, nisi ad utraque repagula per summam perfidiam perfringenda. Quanto igitur magis a consiliis divinis abhorrent improbi homines, tanto magis a Deo dissident, atque discordant, tanta cum dissensione ac dissidio, ut Gigantum more pugnantes bellum omni scelere imbutum immortalis Deo facere videantur.

### AB ENUMERATIONE, INGRESSVS hominis in Ecclesiam.




ngredientibus Christianis hominibus in Ecclesiam multa quidem ante oculos versantur, quae summam animis afferant religionem, et eadem oculos, sensus omnes, corpus, et animum componere debeant, et ad modestiam praeclare constituere, ne vagentur, et errent oculi, neque varias in partes facile convertantur, aut retorquantur rei cujuscunque respiciendae, vel hominis conveniendi gratia: ut taceant, labia comprimant, neque minimum se commoveant, nullis sermonibus praebeant aures, neque rerum ullarum, nisi divinarum auditioni: denique mentes suas nullae pervagentur cogitationes a loci majestate procul alienae. Haec cultores Christianae Religionis praestare non est difficile: cum ingressi templum fuerint, et simulatque pedem intulerint speciem omnem, et formam rerum divinarum corporis oculis, et animi cernant. Quocunque enim se oculis, et animis conuertant, videbunt aras, a lateribus excitaras, munditia plu-

rima, et illustri nitore splendentes, et in illis effigies plurimas, et imagines sanctorum, facella non pauca imaginibus decorata heroum Christi caelestium, quorum maxime studiosi fuerunt conditores auctoresque facellorum, et inter alias integerrimae Virginis Mariae sine labe parentum nostrorum communi conceptae, vel natae jam, aut aduentis in templum oblatum puerum Simeoni bellissimum, vel nuntium accipientis a Gabriele societatis naturae divinae cum humana, quam in teruentu Spiritus divini in illius utero Filius Patris aeterni, copulandam ineundamque non dubitavit, aut denique sublatae in caelorum regiones tanta divinarum Mentium gaudenti lactantique cohorte circumfusa. Inter aras autem maxima praecipue animum excitabit amplitudine, maiestateque Sacrarum, quod fulgore lampadis accensae collucet semper, et illustratur: in quo sedem habet summus ille caelorum Opifex, et Architectus, vindex nostrae libertatis Christus Iesus: atque quamquam panis tegumentis contentus, corpore tamen, et animo consistit in Hostia sanctissima, terrarum domicilia nobiscum incolens, et nobis ipsis se totum dedens, et impertiens ad morbos animorum sanandos, et ad virtutes, et caelorum gloriam sua nobis liberalitate comparanda. Hunc Dominum adire videbimus omnes, quotquot boni Christiani templum ingrediuntur, se se ad Sacrarum tantae Majestatis abjicere, quae sibi sunt opus ad corporum, et animorum salutem, remedia postulare, obire facella multitudinem, maxime pium mulierum genus, et preces ad imaginem hanc, et ad alias, quae propter religionem suam, et hominum studium singulare frequenter invisuntur, adhibere. Illa vero, quae sunt templorum omnium communia, in illis fieri sacra, decantari preces divinas, haberi conciones usitatas, homines expiare conscientias, reliquaque munera praestari pietatis, sanctitatisque plenissima, quantam habent vim, et pondus, ut seipsum colligant mortales, et cum pedem in templo posuerint, in sacro se putent omnes, et religioso loco consistere? quid illos agere de

deceat, et oporteat, ex templorum aspectu, ex illorum religione considerent.

### AB EADEM ENUMERATIONE

mercatura tractatur.



Quantum habet difficultatis, et quam plena laboris est mercatura, multitudo rerum, quas praestare debent mercatores ad suam artem exercendam, facile satis ostendit. Cum quaestiosi sunt, qui magnas partes habent mercatorum, ab his mutuas assumunt pecunias, aliis credunt, hos sublevent, iacentes, alios decocturos aliter fide sustentant, locupletant non paucos, res illorum multis in locis versantur. Quamobrem multa emunt, multa comportant, idem exportant merces varias, et in abundantia summa. Cum Burgensibus, cum Metinensibus contrahunt, cum Flandris, et Italis vicissim negotiatur, in Indiam utranque onerant, mittunt multis cum mercibus, cum oneribus procuratores suos, domibus suis versant libros, codices evolvunt rationum suarum, haec in libros referre suos, alia describere, atque in eo laborare vehementer nunquam cessant, ut cognitae rationes habeant. Ob hanc causam librariorum scribendi gratia debent habere domi, his demandare pecunias in libros referendas, ab his accipere rationes, subducere, addere, conferre, quoad cum summa rationum omnia convenient, denique conficiendas curare. Hinc necessarium est illos, expectare classem, et argentum, et aurum, quod sibi deportatur, et illorum expectatione pendere. Si res bene successit in oneranda navi, mittendaque rursus in Indiam, procedere longius solent, neque suas solum pecunias conferre, sed etiam mutuas amicorum, multa emere, multa cogere: ut jam palam id agere videatur, ut quod in Indiam mittatur, multis ex partibus augendum curent. Nihil his sollicitius, nihil laboriosius, dum classis solvit, dum in Indiam pervenit,

E dum

dum navigat, dum expectatur in tempus hominum opinione reversura: si commoratur in hyemale tempus, cum tempestates commoventur maximae, cum in hos, et in illos vatos potest contrarios incurrere, cum referto praedonum mari navigatur, et metus est, ne a praedonibus naves aliquot capiantur, vento reflante detentae, vel jactatae tempestate. Quid cum certior factus est mercator aliquot ex suis debitoribus decoxisse, fidem alios, atque rem coepisse deficere, et fidei iussores non esse solvendo, aut si fuerint, ad conditiones, ut pars aliqua debitorum solvatur, cogere creditorem descendere, fallacias, et fraudes portare nonnullos, ducere, quoad illis collibitum fuerit, donec hominem eo deduxerunt, ut cum aperte deludere videantur, litae intendendi necessitas imponatur, et in litibus persequendis, in exigendis numis tantos sumtus fieri necesse sit, quanta sunt saepe, quae exiguntur debita. Illa vero quam plena sollicitudinis sunt, atque laboris, merces omnes, atque fortunas suas fortunae varia multiplicique vicissitudine pendere, et non raro, ac insolenter, cum magis quaestuosissimi viderentur, uno ictu calamitatis acceptae rem omnem, fortunasque suas, spem maximam, et expectationem amisisse mercatores, ut nihil illis spoliatus, nihil perditius futurum esse videatur? quoties hos, quoties inquam audivimus, et vidimus corrogatis pecuniis in carcere saepe ali necessarium fuisse, filiis quoque stipem miserabiliter vicatim cogentibus ad seipsum, suamque Matrem alendam? Atque cum in has miseras saepe mercatores incidant, mercaturae praeter modum studiosi sunt homines, obliti prorsus, aliis hominibus ars hujusmodi quam male ceciderit.

AB ADIVNCTIS, VIRTUS CHRISTI  
in ejiciendis de templo venditoribus, et nummulariis.

**M**ihi quidem apertum plane videtur virtutis divinae testimonium dedisse Iesus Christus, illo die, cum ingressus in  
tem

templum evertit mensas nummulariorum, et emtores ejecit, venditoresque colubarum: cum tantam auctoritatem habuisse visus est, quantum timor hominum, praecipuus, et incitata fuga multorum, et imperandi potestas ostenderunt. Cum Christus igitur Iesus videret templum illud esse consecratum immortali Deo, tantis miraculis, et sacrificiis ornatum, responsis coherentium Angelorum, et praesentia sui sempiterni Numinis celebratum: cumque tam parvi viderentur homines improbi habere augustissimam sacri loci religionem, ut in illo nihilominus negotiaretur, et contraherent emendo, vendendoque, atque in aliquo foro rerum venalium, et emporio communi, quo indicto mercatu, venditum, et emptum hominum multitudo maxima concurret: cum illi vendere, alii mercari pergerent, de pretio dando agere, licitari, pacisci, expromere pecunias, numerare, et additam rem, quanti convenerat, inter illos accipere, concursu, strepitu, clamoribusque percrepare templum, templum inquam, quod sanctum, et religiosum apud Iudaeos erat, contaminari, pollui inexpressibili scelere contrahentium, quid agit divino spiritu afflatus tantus tamque praepotens Dominus? Vide Dominum arripientem flagellum cum oris sui divini majestate mensas evertere nummulariorum, nummos diffundere, et alio, atque alio dissipare, venditores, et emtores insectari flagello sublato, et eorum tergibus atque cervicibus imminenti, neque verbis increpare solum, sed ipsis funiculis caedere, pulsare terga, omnes sic infugam conjicere, ut diversi, praecipitesque se fugae maderent: qua quisque praevire posset, et alterum antevertere, omniratione conari, neque Assertorem hominum desistere, donec vacuum reliquit templum, nusquam ut loci quisquam eorum consisteret: non denique manere auderet.

EX EISDEM ADIVNCTIS LOQUITVR,  
licenciatus appetens collegium Salmanticense vetus.

**A**C mihi quidem collegium beati Bartholomaei vetus, dignitate conditoris illustre, antiquitate sua vetustum, redivitibus

annuis locuples, collegarum numero celebre, nominis celebritate conspicuum, et sapientia vestra illustre deposceti venit in mentem ab omnibus tanti habitum fuisse, quantum declarat multitudo candidatorum, qui de vestro ordine consequendo tantopere laborant, atque contendunt. Atque cum ingenio praestantes aliquot adolefcentes in academia videntur excellere, ad illud contendendum aspirant, atque nituntur: cum confecto litterarum curriculo per tempus, et aetatem, et sapientiam tantum auctoritatis consequuti fuerunt, quantum honori tantorum patrum adipiscendo vestrae sanctiones, et decreta mandandum esse voluerunt. Sic hos adolefcentes ad collegas beati Bartholomaei adhaerere, ad illorum habitum sua conferre studia, eisdem studere potissimum, magis illud placere sibi, prae caeteris appeti collegis, atque illud unum magis opportunum ad suos conatus, et scopum studiorum consequendum videri. Neque hos tantos juvenes de Salmanticensi academia praecellentes, atque comendatos, sed de caeteris Hispaniarum partibus ad sua studia, et honorum contentionem licentiatos, et doctores praestantiores in illud cooperandi studio flagrantem Salmaticam appetuisse, semperque venisse vidimus, et accepimus, et a patrio solo, et a suis extores sedibus. In ipsa vero academia quantum habent auctoritatis, quantum nominis, et splendoris collegae Divi Bartholomaei ad litterarios honores, ad disputationes publicas, ad jurisperitiae, philosophiae, sacraeque theologiae cathedram obtinendam, cum illorum vocibus multa gymnasia personent, et ad illos audiendos ex omni genere scholasticorum, magnus stans praelectionum horis concursus fiat: illorum vulgo magni scripta habeantur, et ab omnibus avidissime doctissimis appetantur, enixeque comparentur. Cathedras autem neque numero plures, neque dignitate praestantiores, aliorum competitores collegiorum obtinuerunt: neque postea maiore cum opinione cognitionis litterariae, vel auditorum admiratione consequuti sunt. Hinc factum est, ut ce-

lebritate sua collegium istud ac fama nominis consequuti totum terrarum orbem pervaserit: et nullae sint Christianae ditionis partes, nullae celebriores ecclesiae, nullae Praefecturae clariores, nulla Consilia Regum Hispaniarum, nullus Fidei Censorum ordo, nulli honores, nulli denique magistratus, sive in Hispania, sive in Indiarum regnis disjunctissimis, quorum partem maximam collegae sancti Bartholomaei non habuerint. Ipsae Pontificum amplissimae Praefecturae, Archiepiscoporum sedes celsissimae, vestrae semper magna ex parte fuerunt. Nullus terrarum angulus, nulla pars, neque a nobis tam disjuncta, neque tam propinqua esse reperietur: quae collegarum amplitudine tantorum, et honore non illustri decoretur. Ipsa Regis Philippi Aula, summa Consilia cujuscumque ordinis, atque status, ille maximus celsissimusque Regni Senatus ordo, firmamentum Hispaniarum, et regnorum Hispaniae summus praepotensque gubernator, ac dominus tantorum illustratur splendore collegarum. Quare non immerito pervagatissimus ille sermo mortaliu aures quotidie complevit, Bartholomaeis nullum non plenum esse terrarum angulum: quod commune, et pervulgatum proverbium ideo inveteravit, et apud omnes partes consenuit, quod ubique locorum se vetus jactet collegium, et in nulla terrarum parte collegae tanti summo cum principatu non gloriose magnificeque dominetur. Atque ita moenibus ipsis, atque adeo intra moenia Salmanticensis civitatis collegium tantum continetur, ut ubique gentium videatur esse suis alumnis, et filiis orbis gubernacula tractantibus, atque ut paucis complectar rem ipsam, amplissime, magnificentissimeque rerum omnium potentiis.

EX ADIVNCTIS, DESCRIBITVR IN  
caelorum sedes sublata Virgo Maria.

**C**ernamus mentis oculis integerrimam, sanctissimamque Virginem Mariam in caelorum sedes gloriosissime as-

cedentem, atque propter meritorum multitudinem magnitudinemque suorum, hoc dono ac munere affecta ab immortali Deo, ut corpore efferatur, et animo sublimis in beatorum regiones celsissimas. Atque praerogativa singulari, illustri claritate conspicuam immortalitatis splendore circumfusam aspiciamus, ipsis Angelorum manibus elata in sublime, et a terra paulatim, et cum admiratione summa, regionem aeris universam praetereuntem, et altius atque altius ascendente, atque ita pedetentim, et quasi gradatim accessum ad caelorum palatia, discessum ab hac infima regione facientem, et ab humilioribus hisce sedibus plane caelestia loca conscendentem. Hanc tantam tamque praepotentem caelorum Reginam praeter illorum divinorum spirituum flore, quibus ministris Virgo Sanctissima tanquam in lectica aurea, fulgentique eximia claritate vehebatur, multitudo comitabatur Angelorum laudem, et honorem immortalem tantae Reginae tribuentium. Atque horum vocibus, illorum tibiis, aliorum citharis, et reliquis instrumentis suaviter, atque divinitus concinentibus, efferretur: cum usque caelum ipsum ascenderent, etiam usque infima haec terrarum sola cantus modulationesque divinae referebantur. Illa vero potentissima clarissimaque Regina opera caelestium sublata ministrorum, Luna pedes induta, et Solis amicta splendore, fulgore coronata clarissime micantium stellarum, in caelum intentis oculis Majestatem divinam in ore ferebat, et in oculis. Atque cum totum corpus radios spiraret clarissimos, a quibus Solis vincebatur claritas, et Angelorum obscurabatur aspectus, quid Virgine Maria clarius? quid illustrius cogitari posset? Patent praepotenti Reginae, valvae caelorum, et sponte sua aperiunt se se summae potentissimaeque Principi. occurrit Filius Christus Iesus, agminibus stipatus beatorum civium innumerabilibus, atque suae immortalitatis splendore claritatem Matris reddit illustriorem: et accipit magnificentissime gloriosissimeque ascendente modulatione caelesti universis caelorum palatiis personantibus, plausu

su, popa, splendore post ingressum Filii nunquam ante diem illum perspecto, neque perspicendo quidem ulla saeculorum omnium aetate consequente. Abjicere se Patres sanctissimi, Vates omnes divini, tot Patriarchae, tot Reges veteris Testamenti ad Virginis sanctissimae pedes, unus omnium laetari maxime spiritus tantae Virginis Iosephus amatissimus sponsae caelorum gaudio, apparatuque magnificentissimo, omnes divinae Mentes mirari, obstupescere tantam in humanae mulieris natura fuisse virtutem, ut altius seipsis divinis Mentibus ascenderet, et suum in caelorum sedibus tabernaculum collocaret tantis gradibus cujuscumque Beatorum militis sede sublimius, quantum ab unoquoque folio, in sede usque Iesu Christi proximam, maxima potest esse distantia, intervallumque locorum. Itaque virgo celsissima vias caelorum, plateasque omnes auro, gemmisque stratas praetervecta transire, coetus hos, et alios, et omnis ordinis beatorum civium, a tergo relinquere, praeterire sedes, et gradus magnitudine gloriae infinitos, neque consistere, quoad in amplexus sanctissimae Triados, Filio inspectate, deducenteque Paratem dignissimam, propter suarum virtutum merita Reginae caelorum nomine, et honore afficitur, et a sanctissima sempiternaque Triade, principatus, et dominationis aeternae potestate delata concessaque collocatur a Filio proxima sibi, diademate coronata fulgenti, in folio regali magnificentissimo, a Christo Iesu prima, ab augustissima celsissimaque Triade, cum immortalis imperii maiestate sedes in saeculorum omnium memoriam immortalitatemque tertia. Hanc ut Reginam suspiciendam, summopereque venerandam, de suis sedibus intuentur omnes beatorum civium ordines, coetusque gloriosissimi: nos ut Paratem nostram, communem hominum Matrem, perfugium Adami filiorum tutissimum obsecremus precemurque, ut nos filios suos, tot Daemonis telis expositos, in tantis periculis constitutos, de suo folio respiciat, et implorantes, et efflagitantes operam ad Filium Christum Iesum placandum, quas potest, preces adhibeat in tantum dignitatis honorem evecta.

EX ANTECEDENTIBVS, REGVM  
adventus in urbem aliquam.

**A**Dventum in urbem aliquam Principum, et Regū hū-  
jusce saeculi clarissimorum, ex his, quae solent antece-  
dere, jā inde ab illo tempore, cum illum venturum esse litte-  
rae, nuntiique detulerunt, perspiciamus. Vix equidem profe-  
ctionem decreverunt suam, cum iter constituitur, quod fac-  
turi sunt, et distantiam locorum partiūtur dierum interval-  
lo certo conficiendam. Numerantur populi, civitates, et op-  
pida florentissima, quae praeterituri sunt, et ad illa dimittū-  
tur cursores, qui mutatis ad celeritatem jumentis advolant,  
ut nuntient de regum accessu, et cum illis metatores, vel pau-  
lo post accedunt ad urbē. Hi disponere domos omnes, cōpa-  
rare sedes, in quas aulici sunt accipiendi, collocandique: ma-  
xime si civitas palatium non habeat, vel arcem Regiā ad Re-  
giam Majestatem magnificentissime recipiendam. Interea  
dum Rex iter facit, dum praeterit haec, et alia loca, in haec  
ingreditur, ab aliis exit, dum appropinquat, et ab urbe non  
multos dies abesse dicitur, nullus sermo, nisi de Regis adven-  
tu, de suo incivitem ingressu, de porta, qua ingressurus est,  
de viis, per quas deducendus est in Regiam: deviarum orna-  
tu, de pompa celebri, de ludis in singulos dies exhibendis, de  
praestitutis certaminib⁹, de honore per omnes coetus, et or-  
dines tribuendo. Senatores, cuja magis interest ad compa-  
rationē ingressus Regii omnia praevidere, Praetorē ipsum,  
et suos ministros dare operam videas, ne quid sit, quod nō  
praecautum, atque provisum fuerit. Videas etiā factores om-  
nes in vestibus conficiendis ad ludos occupatos esse, picto-  
res in simulachris, in imaginibus pingendis. Mercatoriae ta-  
bernae vix sufficere possunt sericis telis, et aureo filo: vel ar-  
genteo intertextis praebendis. Ex vicinis populis commo-  
dati deferūtur equi, ephippia, phaleraeque pretiosiores quae-  
run-

runtur, novae artes, nova inventa fiunt, suisque in locis dis-  
ponuntur tormenta, quae displodantur transeunte Rege viā  
unā, et alterā, arcus fabricatione multiplici, nullae non ma-  
chinationes excitātur. Et quoniā postridie eius diei certū est  
Regem in civitatem ingressurum esse, magis cōmoveri ci-  
ves, magis omnes ordines, atque omnes agere oppidani de  
vestiendis parietibus suarum aedium aulacorum quā mag-  
nifico visendoque apparatu, atque proxima luce, cum primū  
lucere coeperit, de parte domum attingente suam ornanda,  
de purgandis, verrendisque viis, et si vernum tempus est,  
herbarum, et fforum varietate sternendis. Senatores frequē-  
ter convenire, Senatum habere, Consilarii Regii ad delibe-  
rationes adesse, modum cogitare secum exeundi, prodeundi  
que obviam Regi, idem facere, et convētus habere suos por-  
tionarii, canonicique, denique sic omnes omnia expedire  
diligēter, ut nihil ad diem sequētem, et ad tempus, et modū,  
ordinēque praestitutum deesse possit. Ipse Praetor cū mini-  
stris obire loca, lustrare vias, nullum desistere videtur pūctū  
temporis lustratione, peragratiōneque frequēti: quoad tem-  
pus adesset obviam prodeundi ad illum usque locum, quo  
per portam praestitutam ad regem excipiendum, omnes exi-  
turi fuissent.

EX EISDEM ANTECEDENTIBVS,  
adventus Christi IESV.

**V**Ideamus jam, quae compleverint adventum Assertoris  
Iesu, ut de suis sacris solennibusque natalitiis dicamus.  
Nam jam omnia videmus eventu comprobata fuisse, quae  
gaudium animorum, et voluntatem complere debent. Nam  
praedictiones Vatum divinorum, quidquid Michaeas, quid-  
quid Isaias praedixit, votis aspiciamus respondisse sancto-  
rum Patrum, atque illam exoptatam, et expetitam pacem fa-  
ctam fuisse toto terrarum orbe, Augusto Caesare summum  
Imperii Romani tenente principatum. Nulli jam bellici tu-

multus audiebatur, non castra armorum horrifono strepitu, nō buccinarum clangore percrepabāt: nulli delectus, nullae copiae, neque pedestres, neque equestres habebantur. Non classes rebus omnibus ornatae, instructaeque maria aliquot occupabant, pacatis, sedatisque locis terrarum universis omnis strepitus militaris conticuerat, siluerant tympanorū sonit⁹, milites accincti gladiis, armis muniti fulgētibus, nec videbantur, nec audiebantur usquam locorum. Tutam jam, et tranquillam pacem habebant homines: quam cū omnes gētes haberent, quod semper in bellis gerendis templum aperiebatur, id temporis clausum erat. Itaque pro summa tranquillitate, et otio magno, quo terra potita fuerat, pax in albeti veste, redimita lauro faciebat, ut nō modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam agri, atque tecta laetari viderentur. Caelum ipsum, et omnis rerum facies exhilarabatur: atque certissima spes videbatur oborta mortalibus omne genus malorum a se propulsandi. Exierant, et emanaverant invulgus edicta Caesaris, quibus cum caveretur, ut genus censeretur omne mortalium, plenae viae celebrabātur ab omni hominum genere, qui conferebant iter in suas civitates, in patrium solum, ut ascriberentur, et censerentur omnes. Atque ingredientium multitudine perstrepebāt civitates, omnia diversoria complebantur: nihil loci vacabat, excludebatur a potentioribus imbecilliores, a locupletibus egētes. Atque id temporis in Romanorum potestatem Iudaei venerāt, quos inter viros, atque mulieres, flos lectissimus mulierum, quae de stirpe Davidis erat, sanctissima Virgo Maria Bethlehemi iter suum petere contendit: quo perventura erat, ut devatum divinorum praedictionibus Vindicē humanae libertatis in lucem ederet.

EX EISDEM ANTECEDENTIBVS,

labores litterarii.

**A**Tque si illa, quae laureā licētiati praecedunt, animadverteritis, si memoria repetere hominis litterati cursū  
in

in studiis factū, contentumque volueritis. Is puer vix duodecim annos natus, cū ingrederetur in litterarū studia, mirū videri debet cuique vestrū, quemadmodū tot quasi tēpestatibus jactatus portū tandē aliquādo tenuerit. Nā ab ipsis cunabulis, et primis grammaticae fundamētis patriā exsulavit, et a gremio parentū suorū abstractus, Salmaticā officinā bonarū artiū, atque disciplinarū contendens: in qua, nō quod alii facere solēt, vir ille litterat⁹ fecit, ut anno, vel biennio cōfecto, patriā corporis reficiēdi causa repetiverit, ut aurā patriā captans, vētosque notos, atque salutare iucūditatibus se honestis daret, exspectās Salmaticā redeundi tēpus opportunū, praefinitūque studiorū instaurationi: sed hyeme nebulas et caliginē caeli Salmaticēsis, vim frigorū, et magnitudinem, nives, et pruinas pertulit, aestus tēpore calorum molestias, et importunitatē omnē, qua infesti sunt in urbe Salmanticensi semper mēses isti quattuor. Sic navabat operā litteris, ut ab his nullo unquā illū tēpore, neque caligo caeli, neque vis ipsa frigorū, neque aquarū hyemalium multitudo, neque dolores multi capitis, neque metus morborū, aut nō semel tētata valetudo avocaverit. Ille secū hāc inibat rationē, si moreretur, se mortē obiturum esse gloriosam. Fractus laboribus, atque vigiliis enervatus incidit in graves, periculososque morbos, quibus cum medici studium adimerēt, et ut litteras intermitteret in aliquod tēpus, edixissent, bis, aut ter a mortis periculo parū abfuit. Nūquā abesse a praelectionibus, frequētare scholas, audire diligenter praeceptores, relegere cum cōdiscipulis, argumētari, respōdere, objicere, diluere, interesse disputationibus, sustinere, tuerique opinionē auctoris, omnibus satisfacere, et quod omnes huic viro litterato dabāt, anteire visus est reliquis acrimonia, celeritateque respōdēdi, atq; tāta cum praestātia, ut nullum prorsus dubitādi locū relinqueret. Quamobrē factum satis ab eodē spectatoribus, atq; ipsis magistris laudē tātā, et magnitudinē ingenii admirātib⁹. Atque his laboribus, hoc assiduo studio aluit ipse nomē, quod



omnes sciūt, ingenii, et sustinuit opinionē progressionū maximarum, et auxit famā, et celebritatem ad hunc usque diē: quo illum ad lauream petendam tandem appulisse cernitis, post vigilias, quas praeter naturam, et virium humanarum imbecillitatem tantas suscepit, ut nullam noctem cubitum ierit nisi post duodecimam: neque lux unquam iacentē oppresserit in lecto, cum signum illi surgendi sonus esset cymbalorum cujuscunque templi tota civitate personantiū ad albentem auroram, duas plerunque horas ante diem, denunciandam. Non illum gallorum cātus, non opificum antelucana industria, strepitusque a somno dormientem suscitabant, sed cōsuetudo jam, quae vim in illo naturae habebat, cū his curis, atque proposito cubitum euntem semper lectū relinquere quocunque die cogebat. Atque socios, comitesque suos ictus ferri de silice ignem excutientis ad lucernam inflammandam excitabant saepissime: neque id famulo negotii dari volebat, sed propter seipsum apponebat silicē cū ferro, fomitem, et paleas sulphure oblitas, et ad ignem concipiendum aptissimas: ne dum excitatur famulus, dum inflammat lucernam, dum affert in cubiculum, temporis quidquam perderet. Adde quod saepe administri deluderent illum, neque excitarent in tempore, somniculosi praesertim, aut oblitum munus, quod facturi essent. Neque a servis ipse pendere volebat, spe dubia sollicitus, semperque suspensus: quibus quamquam de lecto clamaret, dum expergiscūtur, dum latera de lecto sublevant, dum abstergunt oculos, et torporem omnem amandant, magna pars temporis praeterit, et ab incupido praesertim nullum punctum, neque momentū amittendi minimum. Atque cum pransi valetudinis causa scholastici non se cum libris abdant in cubicula sua, nihil equidē huic prius fuit, neque magis usitatum, quam cū escis in ore, (quod dicitur) e sociorū se auferre cōspectu nō raro: et saepe quasi actum aliud ire simulasset, se paulatim recipiebat, abdebatque in cubiculum sermones intermittens saepissime in

coeptos, aut aliquāto magis productos, Atque cum illius cōsuetudinem omnes notam haberēt, et pro comperto simul, libros studiorum nūquam insolenti minime nocere scholastico istiusmodi, relinquebant adolescentem, mittebātque: quod etsi vellent, et cum illo vehementer contenderēt, nūquam abducturi fuissent ab studiis. Quin et illa tēpora, quae scholastici reficiēdorū corporum causa rusticationibus dare solent, nūquā ille captabat: manebat domi solus cū libris, atque hos ipse suos agros, suas delectationes, suas rusticationes ducebat, et appellabat. Sic scholastici suam industriam commendare, laudare diligentiam, et assiduitatem in litteris, tollere in caelum labores, et vigilias, ille dare quotidie majora suarum documenta progressionum. Neque profecto similē illius vidisse praepceptores, neque academiam unquam tulisse Salmanticensem fama erat. Illum aggregare sibi collegae cōtendebāt omnes ad sua collegia, jam inde ab scholastico expetere, allegare socios ejusdem, atque magis familiares, et intimos, qui dicerent, qui persuaderent, si suum collegium cōtenderet, certam relaturum de candidatis esse victoriam, exploratum ac plane conditum habere collegiū hominem, cūctis collegii summa consensione suffragatoribus illū ipsum laudatibus, atq; vehementer appetētibus. Erat in oculis, in ore, in sermone scholasticorū, in collegiis, in gymnasiis laudabatur, celebrabatur a praepceptorib⁹ de suggestu saepissime, deque bacchalaurei laurea deferenda ipsi patres, lumina et ornamenta academiae decertabant. Atque ille sic totus in studiis erat, sic animo cogitationeque defixus, ut corpore maciem, ore pallorem praeferreret Philosophorū similis antiquorum: quem nihil loqui, nihil agere, nihil cogitare, nihil somniare, nisi litteras, atque virtutem certo sibi persuadebāt omnes. Quod si hunc Antonium patrimonium exhausisse suum in studiis, et magnam partem haereditatis fratrum, quā opinione fratris, et spe multo majora commoda capiendi, libenter effuderūt, addamus: vos labores, et vigilias, sumtus factos,

offensionē valetudinis quaeque fiunt, reliqua damna, rei litterariae cōsequendae gratia, ante hoc tēpus facile quidē intelligetis.

EX CONSEQUENTIBVS, AD-  
ventus Praetoris in academiam.

**C**VM invisisset academiam Praetor illustrissimus, singulaque gymnasia obiisset, de suggestis audisset praeceptores omnes, vidisset multitudinē scholasticorum singulis in gymnasiis frequentissimā, cōfertissimāque, reliquit in praeceptorum animis pignus amoris in litteratos maximū, dedit etiā testificationē scholasticis propēssae in litteras voluntatis apertā. Scholastici ipsi mirari comitatē, benignitatemque Praetoris, in suis animis impressam habere, neque divellere velle, neque posse nō laudare suis in circulis, et singuli narrare, quae ipsis in gymnasiis ad tantum Praetorē excipiēdum fecisset, quae dedisset ipse praetor signa comitatis, et humanitatis, quātā adhibuisset ad ea, quae dicebātur, attentionē, quos uni, et alteri, de actoribus sermones fecisset. Excitados videres scholasticos ad labores in litteris suscipiēdos, ad virtutē summa corporis, et animi cōtētionē colendā, ad nullam occasionem tēporis praetermittendam, ut ad utriusque rei studium incumberent. Cum de singulis gymnasiis discederet, multi relictis suis stationibus teneri non poterāt, quin in alias classes contendētē comitarentur. Atque sic in illum affecti mirum in modum manebāt, ut illum sublatis oculis, suspensio vultu, similes stupērium, et attonitorum prosequerētur. Quid plura? In valvas scholarum, comitatum praeceptoribus, patribus, et fratribus Societatis prosequēbantur, neque aspicere desistebant in lecticā ascendētē: donec illum abeuntē, et omnes valere iubentē, e conspectu amiserunt. Sic omnibus videbatur praeclare cum singulis gymnasiis, cum omni coetu, et ordine scholasticorum, cum omni academia actum fuisse, nō utilitates solum allatas fuisse plurimas offici-

cinis litterariis, quod ad absolvendum, perficiēdumque opus animat⁹ excessisset ipse Praetor, atque operis perficiēdi quā primum posset, occasionem se quaesiturum esse dixisset: sed quod illius ingressus in sequētē saeculorum posteritatē spectaret. Atque hoc deberi tāto beneficio putaverunt omnes; ut cum vivā tunc illius memoriā tenerent, eam immortalem redderent, si possent, affigendo carmina parietibus, et incidēdo celebrioribus gymnasiolorum locis ad conservandā retinēdāque in perpetuum. Is enim Praetor, et Praefecturae Hispaniensis fasces, et insignia tāti Magistratus, dignitatē Comitatus, et nobilitatem Mendoziorum, de quorum stirpe Regia, et excelsa procreatus fuerat, atque ipsam Catholici, potētissimiq; Regis Philippi celsitatem, cujus in Praetura personā fastinebat, infixā, et inhaerentē in scholasticorum animis reliquit. Quibus ornāmētis, majorum splēdore, atque adeo Majestate Regis Hispaniarum, nihil post hominum memoriā gloriosius, nihil illustrius, neque honorificentius ad posterorum memoriā, neque nostri homines relinquere, neque, qui nos consequētur, assequi potuisset. Advētum hunc, et honorē gymnasiis tributum spargi statim in vulgus, et per omnium oravitare necessarium erat: atque ita vicos, plateas omnes, et domos oppidanorum cōpleri, et excitari multos Principes civitatis ad suos filios litteris saltē humanioribus imbuēdos, et eosdem Duces, atque Magnates ad eundem honorē academiis praestādū magnos animos capere. Et quoniā comes hic illustrissimus, quamquā via saeculi cōtendens, nō modo non erat alienus ab studiis, sed Graecis litteris, et Latinis praedit⁹, in historicis, et veterum Romanorum monumentis versatus, liberalium artium, philosophiae, sacrae, caelestisque disciplinae peritissimus, in mentem veniebat. Scholasticis sapientiae varia multiplexque cognitio. Cernebatur animorum oculis splendor obortus, et clarissima lux omnis generis, varietatisque disciplinarum, quibus partim veteres illos Scipiones, et Pompejos, atque Caesares non

adaequabat solum, sed etiam superabat, divinae, quam illi non cognoverunt, sapientiae praestantia. Atque cum haec nostris in animis versarentur, tum assidua, caelestique laude tollebantur in caelum.

EX CONSEQUENTIBVS, SACRA-  
rum concionum fructus.



Vdivit ille peccator concionem, in qua sic affectus fuit animus hominis, ut statim post auditum, nescio quod, verbum, quod in animo magis haesit, et penitus fuit impressum; poenitere statim illum coeperit peccatorum, atque adeo taedere vitae praeteritae: ut conquiescere non potuerit dolens flagitia praeterita, quoad confessarium adierit, et illi sensus, et motus animi factos indicaverit, et patefecerit vulnera suae conscientiae, cumque eodem egerit de relinquendis omnino vitiis, et de nova vitae ratione instituenda, deque comparanda nervis omnibus, atque totis viribus corporis, et animi, gloria caelorum. Itaque ad confessarii pedes se abjicere, instituere confessionem magno cum sensu, summo cum dolore, atque tantis adeo lacrymis: ut neque verbum facere prae multitudine lacrymarum, neque confessarius praespectaculi praesentis acerbitate lacrymare non posset, nisi duro fuisset, et ferreo prorsus animo. Consolari confessarius, et ad agendas gratias immortalis Deo hominem hunc hortari, qui tantum animo dolorem peccatorum attulisset, tantum in posterum desiderium cupiditatemque divinae Majestati serviendi, donum esse maximum, et caeleste beneficium, incoeptam esse confessionem, ea, quae sequeretur, die, vel vesperi, si temporis moram tantam pati non potuisset, absolvi posse: qui fecisset initium expiandae conscientiae, finem cum maxime vellet, afferre studeret: ille cederet domum reliquas labe in memoriam redactum, et de praedictis temporibus, quod

vel

vellet ad confessionem, eligeret. Obtemperare confessario peccator, recipere se domum: quem ubi viderunt domestici, subtristem, atque demissum, nihil loquentem, non succensentem, non maledicentem, quod illi commune fuerat vix pedem in aedium limen inferenti, mirari omnes, expectare, quorsum evaderet illa taciturnitas. Ille intrare cubiculum, observare multi, quid ageret, conspiciari. In genua procumbentem herum, et ad imaginem Christi Iesu Cruci affixi, non modo lacrymas abstergentem videre, sed gemitus cum singultu crebro audire quidem omnes potuerunt, et hos tractos ex imo pectore. Denique post multum tempus, tumetibus oculis (quippe qui tantum lacrymarum profuderat) prodire visus est vocatus ad prandium, jam alia voce, ut prorsus immutatum intuereris atque diceres. Denique rediens ad vesperam confessione generatim eluit sordes vitae totius praeteritae. Iam aliud erat, atque videbatur omnibus. Quotidie audire sacrum, octavo quoque die expiare conscientiam, nullum diem festum a concionibus abesse, virgineos recitare globulos, agere de rebus divinis, totam familiam praecclare sancteque constitutere, non ille secus fugere peccatum, ac pestilentiam, et luem omnem, neque a capitalibus solum, sed a levioribus abstinere peccatis, in Deum suas omnes dirigere actiones, et de gloria dumtaxat cogitare beatorum, totos dies festos ab albenti caelo in horam usque duodecimam non a templis discedere, nunquam precibus non interesse vespertinis, gaudere cum religiosi hominibus, de virtutibus, de perfectione, de spiritus progressionibus loqui, de perturbationibus comprimendis, et de cumulandis augendisque bonarum actionum meritis, de consequenda summa sanctitate sollicitus esse, atque id agere dies, et noctes, ut hominem veterem exsuat, induat novum, et ad consiliorum Christi Iesu rationem conformet, ejus rei causa sacros libros legere, versare gesta sanctorum Patrum, horas multas in rerum divinarum commentatione ponere. Quid plura deo perfectionis adductus erat, ut quidquid

G

vir-

virtutis sequi constitueret, assequeretur plane multo usu, et exercitatione virtutum assidua: qua tantum nominis in civitate consequutus fuit, ut cunctorum hominum ore vir sanctus, atque omni virtute cumulatus appellaretur. Vides, quae unius concionis auditionem consequuta fuerint: quemadmodum hominem profus verbum divinum immutet, et de malo, per vetusque bonum virum, et imitatore[m] consiliorum Christi Iesu reddat.

EX ANTECEDENTIBVS, CON-  
 junctis, et consequentibus triumphus  
 Romanorum.

**D**escribam vobis gloriosissimos Romanorum Imperatorum triumphos, et suorum litteris commendatos apparatus magnificentissimos: ad quorum gloriam, et honores, quos maximos omnium, S. P. Q. R. tribuere poterat, illi tantis laboribus, et periculis perveniebant. Nam domitis bellicosissimis nationibus, aut Regibus potentissimis bello devictis, cum victori decretus fuisset triumphus auctoritate Senatus, et jussu populi Romani, quae pro rebus praecclare gestis, pro suis in Rempublicam meritis, antea de more veteri Imperator ipse petierat, omnes ex tribubus mos erat obvia exire Magistratus, et sacros, et profanos, omnes Flamines in purpura fulgentes, sacerdotes, et Pontifices apiculis velatos, victoriae gratulationem, et omnium saeculorum pro re bene gesta quasi aeternitatem immortalitatemque donantes, et omni laude, et exquisito genere verborum. Viri etiam Consulares, Triumphalesque, cuncta nobilitas, et ordo Senatorius, in praetexta, et lato clavo, pro antiquitate, dignitateque sua prodibat. Denique sese effudebat multitudo Romani generis cum conjugibus, atque liberis, et ad excipiendum, et ad visendum triumphantem Imperatorem alacris, et erecta. Dies aliquot ante viae, per quam tanta tamque solenni pompa triumphat.

triumphans Imperator vehendus erat, cum purgatae, versaeque fuissent, tum ipso die multis herbis, et floribus stratae, atque suavissimis odoribus perfusae thuris, et aliarum suavitatum mirifice redolentium, parietes conchyliatis convestiti peristromatibus erant, et in locis celebrioribus ab uno in alterum parietem arcus effecti triumphales opere vario, politissimoque, inscriptis titulis, et incisus carminibus ad triumphantis Imperatoris laudem immortalem spectantibus. In his eminere videbantur in celsiore loco formae, figuraeque populorum, et urbium bello domitarum, statucae loricatae, manicaeque nonnullae cum suis galeis, aut bullis de collo pedentibus, imagines rerum bellicarum, ipsa Prudentia, invicta Fortitudo, secunda Fortuna, omnes in habitum figuramque speciosissimam. Cum tepla paterent omnia, ornatuque visendo collucerent, tum balatibus ovium, boium mugitibus, et omnis generis armentorum, quae mactabantur, fremitu perfonabant. Atque omnium magnificentissime visebatur ornatum Capitolium, quo pompa comparabatur: arae vestitae, lecti pulcherrime strati, et in illis deorum, deorumque imagines, quae vel stabant, vel in sellis collocatae erant, aut in solis habebant eximiam illustremque dignitatem. Hac provisione, longaque comparatione rerum antecedente, jam in aede Bellonae, vel in aede Martis Imperator exspectabat, ut qua pompa, quo apparatu, quo studio, quo splendore triumphantium in urbem ingressus Imperatorum, et suus etiam maxime Equestri ordine, Senatorioque comitante celebraretur. Ea igitur erat triumphus pompa, ut ab aede Bellonae, usque Iovis templum, quod erat in Capitolio, perpetuum agmen, et militum, et oppidanorum videretur. Sed prius longo ordine, montium, fluviorum, et urbium imagines, quas, et viribus oppugnaverat, et bello ceperat Imperator, visebantur: inter quas simulachra hostium interjecta nomine, ac fama celeberrimorum, et Principum defectionis alicujus, aut seditio[n]is concitatae, qui ducendi belli fuerant auctores, et acrius

nomini Romano, et Imperii tanti viribus, atque potentiae resistendi terrarum: qui cum Ducibus Romanis collatis signis aequo, vel dubio Marte decertare non recusassent: qui denique in aliqua re bellica, virtuteque militari singulares adversariae partis cohortibus praestitissent. Inter haec bellorum insignia tabulae plurimae, litteris grandioribus inscriptae, longo ordine, atque serie, nominibus civitatum inscriptis, quae in ditione venerant, quae datis obsidibus in fidem acceptae, quae ferri viribus oppugnatae, quae tributariae, quae vectigales factae, quae liberae, et immunes, quae pro beneficiis aliquot in exercitum, et Imperium Romanum collatis conservatae, quae denique in fide sepe, et amicitia Imperii Romani fuerant, aut venientibus copiis, et Imperatoribus Romanis se suaque ultro dederant, recensebantur. In eodem numero visebantur simulachra praeliorum artificioso opere elaborata, descriptiones locorum, in quibus commissa praelia, confertae manus cum hostibus, hostes bello devicti, vel fusi atque fugati, vel acies ex utraque parte laborantes, hostiles exercitus ad internecionem delati. In his autem facile erat cernere fugam hostium, et internecionem, excidia castrorum, populorum everSIONES, depopulationes agrorum, direptiones urbium, vastationes igni ferroque civitatibus allatas, disiecta deturbataque moenia, perfractas portas, revulsa claustra, claram denique speciem, multiplicemque praeliorum: ut ad spectandum cuncta clarissime oculis proposita viderentur. His accedebant hostibus detracta spolia, arma capta, spoliis onusti currus, militaria signa, non erecta, sed inversa: inde catapultae, ballistae, tormentorum omne genus, omnes bellici apparatus, et machinationes hostium manibus excitatae. Quod si classes omnibus rebus ornatae, atque instructae, fuissent superatae, navium vi captarum puppes, proraeque, saepe naves integrae rostratae comportabantur: quemadmodum etiam captae fuerant, ex aliqua parte labefactatae, vel discissae. His proximi afferebantur falcati currus, insignes chypei,

lecti-

lecticae auratae, aenea, vel argentea signa, vasa ex eadem materia, coronae ex auro, argentoque factae, munera magnificentissima, quibus sociorum urbes, et confederatae Ducem Romanum pro sua insigni claraque virtute donaverant. Denique si quid a civitate praecipuum, et singulare ad speciem, et magnificentiam visendum clarissimumque, praesertim si nunquam antea Romanorum oculis aspectum, aut ipsorum auribus ullo unquam tempore non fuisset acceptum. Atque cum hoc tanto, tamque visendo apparatu conspicua tantopere redderetur, et visenda totius pompa triumphi. quid elephantorum, quid equorum in bello captorum aspectus, quid obsides dati, pacis pignora jucundissima splendoris, et claritatis haberent? quid esset procedere tibicines, vario multiplicique sono bellicum concinentes, quos longo ordine consequerentur boves candidi, taurique auratis cornibus, infulis et vittis ornati, et auro multo splendentes ad caedendas in Capitolio, Iovique suo praebendas Statori victimas? Quid esset intueri Tribunos militum, tot Centuriones, tot Praefectos, tot equites singulares, et pedites insignes victoris exercitus, et omnes propter strenuam in re militari navatam operam donis militibus affectos, quorum in bello spectatissima virtus fuerat? videre esset praere milites, et hos civicas coronas, illos militares, alios castrenses, multos torques aureos gerentes, omnes spoliis, armisque fulgentes, sequi deinde Legatos, et Tribunos legionum in equis: quos consequi mos erat captos in acie singulares hostes, Ducelque fortissimos, nobili genere natos, praesertim Reges, atque hos in vehiculis, inferculis stantes, ut ab omnibus viderentur, et suis insignibus notati: ut ex quo fastigio dejecti fuissent, ex tanta multitudine ignorasset nemo. Reliqui procedebant catervatim, in turbam coniecti, suis inultis notis, gravitate, et onere catenarum oppressi, in morem, et habitum prope servilem. Quod si duces in acie concidissent, cum illorum in pompa triumphi simulachra portaretur, qua facie, quo ore, qua statura fuissent.

G 3. sent.


sent, aspiciébātur. Iam vero ipse triūphum agens Imperator in curru deaurato quattuor equorum, eximio candore prae-cellentium, incredibili specie, et maiestate visenda caeteris sublimior vehebatur. Antecedebant actores laureati, inter quos tibicines, et citharoedi concinentes, coronis virētibus ornati, atque interjectus inter currum, et tubicines circulator aliquis, qui per jocum ridicula jaceret, et incondita carmina funderet ad risum, et cachinnationem multam commovendam. Ipse vero Imperator in multa purpura conspicuus cum insignibus Imperii habebat dignitatem, et maiestatem augustam, et excelsam, in Persarum morē atque Medorum, minio nōnunquā oculos illitus, et faciem praeclare depictus. Atque cum ille auro coronatus, in una manu laurum, in altera sceptrum teneret, tum in equis pueri ingenua forma, ac liberali, pretiosissimo cultu corporis ornati, proximi sanguinis communione conjuncti, et habenas equorū idem ipsi tenebāt manibus affines, atque cognati, latera cingebant currus triumphalis scribae, ministri, caeteri, qui ducē sequuti, comites expeditionis fuerāt, omnes in veste pulcherrima, atque candenti. Interea dum haec tam magnifica, tamque solēnis pompa procedebat per vias, et per celebriora loca, homines effusi omnis sexus, et aetatis, omnibus gaudiis, atque laetitias bacchantes, certatim flores spargere, passim diis victimas maētare, sacrificia diversa facere, thus, et odores omnes accendere currū consequēte diversi generis multitudine quacunq; bello captorum, et tandem aliquando Imperatoris virtute jugo servitutis exemptorum, et abrahis capitibus, et pileatis, ut servitute liberati, in pristinam libertatem vindicati fuisse viderentur. Hac pompa, hoc apparatus hac laetitia publica triumphans Imperator Capitolium usque deducebatur: ut nullum in terris tantum honorē existisse auditum fuerit, tantum decus, tantam gloriā. Haec enim erat species pōpae, ut ab aede Bellonae, quemadmodū praedixi, usque Capitolinam arcem agmen perpetuum per unū, fac-

saepe per tres dies continuos totius pompae videretur: neque regio erat ulla, neque municipiū, neque praefectura, aut colonia, cujus non legati, qui publice ad triumphantem Imperatorem missi venerant gratulatum, inter Romanos, suis in locis, pro antiquitate, meritisq; in Rēpublicā exstātibus, nō progredierentur in pompa. Quid dicam adventus finitimorū Italiae populorū? quid Latinorum legationes? quid Sabinarum gratulationes? quid reliqui generis Italorum cōcurus? quid effusiones ex agris patrum familias cum conjugibus, ac liberis? quid illos consequutos dies? qui quasi Deorum suorum festi, ac solennes erant honore triumphi, pompaque celebrati? Illi quidem dies Imperatoribus instar immortalitatis videbantur, quibus in arcem Capitolinam triumphantes incurru sublimes augusta, plusquamque humana specie deducebantur: cum populum universum, cum equites Romanos, cum Senatorium ordinem ad excipiendum suum Imperatorem, tanquam conservatorem comitatu tam honorifico, tam illustri, ut clarior esse non posset, splendore, obviam exire mos esset, et inveterata consuetudo. Qui sic illos accipiebant, sic comitabantur, ita cohonestabant ad Iovis usque pulvinaria, ut nō modo omnis generis, et ordinis, omnis fortunae ac loci, viri, mulieresque, sed etiam ipsa moenia viderentur, et tecta urbis, ac templa laetari. Consequēbātur triūphi pompam dies pleni laetitiae, pleni que honoris. Imperatorem Praetores, Cōsules, Pontifices honoribus maximis, et extraordinariis afficiebant: praebant victimas magnificētissimas in templis omnibus, maxime in sacello Iovis. Quis est, qui non acceperit epulum magnificētissimum, omni genere laetitiae abūdans, expēsis, et sumtibus immodicis magnificētissime datum? quis, qui non legerit carmina in epulis decantata ad tibicinem de clarissimis Imperatorū laudibus? quis etiam aurum coronarium, quis dona triumphanti a Senatu, Populoque Romano tributa veterum monumentis consignata non fuit admiratus? quantum habet honoris ab

illo die praefiniri locum in circo ad spectanda certamina, cū laurea, et sella Curuli inter viros Triūphales, Consularesque triumphātibus Imperatoribus, posterisque suis? quantū laudis habet eisdē habere jus spectandi ludos, dum superstites essent in veste triūphali? effici marmoreos arcus? statui pedestres, et equestres statuas, ampliore sumtu, maiore cum honore titulis, et insignibus visendis illustratas, in foro, in Comitio, in Rostris, in Capitolio, in Cella Iovis? deferri multos alios honores? omnia decora, et ornamenta, summae gloriae maximaeque dignitatis? Haec tanti semper habebantur, ut etiam moderati Duces, atque natura sua reperiati triumphādi cupiditate flagraverint: pauci vero fuisse memorētur, qui tantum honorem contemnendum repudiādumque putaverint. Nam ad illos excitandos ad res gloriose gerendas, quid habebat ille currus, quid vincti ante currum Duces, quid simulachra oppidorum, quid aurum, quid argentum, quid Legati in equis, et Tribuni, quid clamor militum, quid tota illa pompa: quanta fuissent ista laborum pro patria suscipiendorum incitamenta, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle, laudari magnifice, oculis designari, indicari digitis, tolli clamoribus in caelum, quibus ex rebus nihil erat quod solidum tenere, nihil quod referri ad immortalitatem animorum posset: adita pro triumphis agendis mortis aperta pericula declarabunt.

#### FACTVM PHARAONIS EX EIS

dem antecedentibus, conjunctis, et consequentibus.



Vid Pharaone sceleratius, qui cum genti Iudaeorum, quam affixerat, et modis omnibus vexaverat in regno suo, tot jam tandem malis edoctus, et coactus plagis innumerabilibus, potestatem abeundi fecisset, profectum jam, et AEGYPT-

AEGYPTI fines relinquens, multo peditatu, magnoque equitatu persequi solymorū genus nō desistit, et accelerare currendo, quanta cum velocitate potest, strepitu ac tumultu ingenti loca omnia commovens, quae praetervolabat, si nancisci posset, ut adeptum in servitutē redigeret. Praeire equitibus Pharao, excitare eosdem ad volandum, et ad consequendam gentem, ex oculis, ex ore flammās, ex intimo pectore crudelitatem spirare, agitare, vexare equos, et subditis crebro calcaribus inflammare, coarguere desidiaē equites nō adaequantes cursus ipsius incitatos, tanta cum celeritate processus incredibiles facere, ut nō currere, sed ad volare videretur. Currentium, et advolātium equorū, crepitu, et horribili fragore commoveri solum, eorundem exaudiri jam hinnitus equorum, videri multitudo insidentium in equis, et velocissime procurrentium AEGYPTIORUM, omnium maxime celsissimus Rex, et Imperator eminere Pharao, collucere longe lateque scutorum, et omnis generis armorum splendore distinctus equitatus, atque illae manus nefariae vibrare gladios, videri velle vim infinitam intorquere telorum, audiri nō procul clamores equitum deposcentium gentem Iudaeorum, et magis quā reliquos, ipsum ad caedem Moysen Ducē, et Antesignanum. Denique cū nō longe abessent, et jā Iudaeos consequi velle videretur AEGYPTII, in summo Iudaeorū timore, spe divina fretus Moyses virga tetigit maris Rubri fluctus horribiles. Erigere se se fluctus statim, ad dexteram, et ad sinistram, et instar muri ab utraque parte consistere, patefacere transitum clarum, et illustrem sui generis hominibus, Iudaei transire viam inter fluctus patefactam, aridam atque siccam, et intra breve tempus dare se in alterum maris littus. Videre AEGYPTII, intueri praecipue Pharao, atque in eadem se viam dare, ingredi mare Rubrum, consequi reliqui AEGYPTII rati se tuto et sine metu, aequae transire posse, atque Iudaei transierunt. Sed ecce subito, de improviso, cū medium tenuissent iter insultantes, atque inveci in Iudaeos, spectante Moy-

H se,

se, reliquaque gente Iudaeorum, fluctibus divinitus reductis in Aegyptios obrutus fuit Pharaon, obruti fuerunt equites, omnes una miserabiliter interierunt. Moyses laudare Deum immortalem, gratias maximas agere, omnes tollere voces in caelum, et carmen illud concinere quam intentis vocibus gestientes incredibiliter, et omnibus gaudiis triumphantes. Pharaonem, et exercitum ejus, equum, et equitem tyrannum oppressit, et fluctibus obruit summus praepotesque Iudaeorum Deus.

## EX EISDEM ANTECEDENTIBVS,

adjunctis, et consequentibus, obedientia

Abrahami.

**E**xemplum obedientiae pulcherrimum ab Abrahamo petamus. Cum enim Deus voluntatem filii sacrificandi viro sanctissimo declarasset, nihil ille prius, nec antiquius habuit, quam ut gereret more immortalis Deo. Itaque continuo non dubitavit relinquere patriam, cognatos, uxorem, amicos, domum, omnia, quae cara sunt, ac per jucunda mortalibus, atque ita domo discedere, patriisque de laribus, duobus ministris contentus, filioque Isaco, haerede bonorum unico in montem contendere, ignem secum, gladiumque deferre. Cum procul sublatis oculis montem a Domino demonstratum aspexisset, jubet servos admotis radices manere, opperiri reverfionem suam. Ille montem ascendere cum igne, gladioque, Isaac fasciculum lignorum comportare, rogare parentem de hostia, de victima caedenda. video enim (inquit Isaac) gladium, et ligna, arietem non utique video. Abrahamus in hunc respondere modum, ut illum omni cura liberaret, Deum prospecturum id, quod providendum sit: quin pergere juberet, et iter persequi reliquum. Denique cum eo perventum esset, quo contendebant, neque pergere longius necessarium esset, expedire funiculos Abrahamus, ligare filium, in struem conjicere, manum attollere, intendere gladium in cervicem Isaci, jam velle demittere, et

fi.

filium morte mactare, Angelus adesse protinus, manum injicere, retinere brachium, et a filio caedendo jubere manum abstinere, nuntiare, nihil amplius velle Deum, quam egregiam animi voluntatem explorare: perspectam jam, et plane cognitam esse divinae Majestati, neque abituram sine mercede, cumulatissime Deum relaturum esse. Respicere statim cum Abrahamus coepisset, visus est aries, quem gratam victimam pro filio Isaco sine cunctatione praebet. Augere sobolem Abrahami deinde Deus immortalis non destitit, constituere parentem omnium gentium, quae per omnes aetates numero cresceret infinito, maiore proculdubio, quam arenae maris, et caelorum astra, multitudine quae sunt utraque innumerabilia.

## EX EISDEM ANTECEDENTIBVS, CON-

junctis, et consequentibus, laurea Doctoris tractatur.

**S**edebat in theatro Decanus amplissimus, ornatus ille suis insignibus, et doctoris apice, epotimide nigra, et albo colore distincta, in medium usque pectus decedente, a lateribus doctores omnes, et magistri, suis omnes etiam honorificis insignibus ornati: inferiores theatri gradus a multitudine complebantur, cum magna pars staret, atque haec compressa nimium contractaque: quod prae multitudine ad tuae laureae celebritatem, omnis generis, et ordinis scholasticis confluentibus nullus vacaret locus. Illud primum tuae laureae spectaculum, ut statim antequam lauream peteres, simulatque visus es ad petendum gradum surgere, tibiis modulate sonantibus, plausus fuerit, et admurmuratio consequuta spectantium: deinde magno silentio lauream oratione perpolitam petens audita postulatio tua: atque tandem facto sine dicendi Cancellarius pauca verba fecit de laboribus, de vigiliis susceptis, de consuetudine academiae, de honore, quem licenciatus efflagitavisti: idque toto plaudente theatro. Quid aliud? tu ipse licenciatus in genua statim procumbere, honoris insignia de



Cancellarii manibus accipere, personare tiliarum cantibus theatrum univcrsum, tanto plausu, tanto spectaculo exhilarari omnes, et prope gestire parietes, compresso plausu, intermissoque tiliarum cantu, pro beneficio accepto ipse gratias agere Cancellario, et ordini patrum gravissimorum: qui illum apice Doctoris, et insignibus honorificentissimis afficere voluerint, et in tantum ordinem ascriptum recipere, polliceri suum studium, et operam ad honorem sibi delatum cum dignitate tuendum. Haec postquam oratione brevissima licenciatus praestitit, quod ultimum restat, id efficitur, prodeuntibus ministris cum argentea multa paropside recentium conferta chirothecarum, ipsae distribuuntur, et pro antiquitate, et dignitate ab ipsis accipiuntur doctoribus, cum praestituta, praefinitaque ex academiae sanctionibus legitima partitione nummorum. Atque haec nunquam mortuo plausu, qui semper ab initio dari visus est, geruntur, qui id temporis major excitatur: cum idem, qua pompa fuit in theatrum deductus, tympanorum, et tiliarum sono per vias publicas a teatro domum usque, eadem celebritate, splendoreque re-ducatur.



## DEMONSTRATIONIS

## Liber Secundus.

## DE SCHEMATIBVS DEMONSTRATIONIS, Evidentiae, Energiac, Hypotyposeos.




Vae superiore libro Demonstrationis argumeta exercuimus, hoc, qui sequitur, secundo, suis schematibus tractanda sunt, illustrandaque. Atque ut alias omittamus formas, quae ad descriptionem conferuntur, et de quibus progressu istius operis dicturi sumus in Demonstratione, quam nos hypotyposin, et evidentiam appellamus, huicque adjungimus imaginem (neque enim quod alii fecerunt, ut diversas tres saltem superiores putent describendi formas, id nos sequemur, propterea quod re convenient, diversis quamquam nominibus appellentur) eo Demonstratio spectabit, ut rem suis coloribus depingens ante oculos ita statuatur, ut non narrari, qui audiatur, sed oculis ipsis quasi cernere videantur. Quae cum ex omnibus locis supra dictis confecturatum schematibus ornatur suis familiaribusque, articulo, repetitione, similiter cadentibus, et similiter desinentibus, metaphora, interrogatione, ad jun-

etione, disjunctione, correctione, ironia, incremento, cōparatione, apostrophe, praeteritione, acclamatione: quae cōsequētib<sup>9</sup> in exercitationibus facile erit cernere. Neque existimet eloquentiae studiosus concursu horum omnium schematum unamquamque constare descriptionē, cum pro natura rei, quae tractatur, iudicio oratoris, quae magis convenire videantur, schemata potissimum adhibenda sint. Neque ego nisi tribus, aut quattuor ad summum figuris video Ciceronem usum fuisse quaecumque in descriptione versantē. Quod mihi necessario hac de re late fuseque scribenti demonstrandum iudico separatim: ne quis me tanta eloquentiae lumina ad animi voluntatem confixisse magis putet, quam cum verum sequutum, tum Cicerone principe dictionis, et auctore ductum. Et quamvis in officiis Demonstrationis cujuscunque proferendis ex superioribus praepositis exercitationib<sup>9</sup> eloquentiae alumni usum nosse potuerunt: tamen hujusce partis praestandae laborem libens suscipiam, quod quo minore numero, quo mediocri, quo majore possit effici demonstratio, sequentibus exercitationibus demonstrare mihi fuerit in animo. Atque equidem puto non parum splendoris arti benedicendi me allaturum esse, si quemadmodū cupio, adjuvante Deo res ipsa mihi processerit.

## EXERCITATIO PRIMI GENERIS

de fuga Pompeii, insequente Caesare, in speciem narrationis, sine schematibus.




Vixit Caesar inusitato genere praeliandi, cum victoria potitus esset, nihil prius faciendum ratus, quam ut Pompeium fugientem insequeretur. Atrepta igitur navi properat Alexandriam dies noctesque nulla facta intermissione navigandi praebat Pompeius, et consequebatur  
Cae-

Caesar. Vix in Alexandriae finibus pedē posuerat Pompeius, cū opem implorare coepit Ptolomaei, quem regno ejectum sua auctoritate veterem in statum restituerat. Ptolomaeus immemor beneficii mittere continuo properat ministrū suum, cujus fortuna explorata, misera multumque jactata, non ut debuit, Imperatorem fugientem adjuvit: imo prodidit per summum scelus administer, et tanti Imperatoris nationum, gētiumque omnium prope victoris caput a cervicibus abscidit. Iacere Pompeius obruncato capite, pulvere sordidatus, ipso in littore, in quod usque si Rex cum universo regno Pompeium exceptum venisset, et obviam processisset, totumque suum effudisset imperium pro restituenda Pompei dignitate, cum gratum fecisset. S. P. Q. R. tum nihil officio suo, beneficiisque acceptis a Pompejo magis debitum. At eo progressa fuit tyranni crudelitas, ut sine vita, et sanguine, atque capite sine ipso relinqueret cadaver obruncatum, deformatumque Caesaris oculis conspiciendum: quem natura mitem, et mansuetum credibile fuit (atque ita litterarum monumenta testantur) per multum tempus vix sui ipsius compotem fuisse, sensibus alienatum prae stupore, et prae dolore lacrymarum ingenti vi manantibus oculis; quibus os, et faciem Regiam opplebat, et suos Duces, qui tanto interfuerant spectaculo, quamvis milites, et natura sua duros, et immites, in easdem lacrymas adducebat.

## SECUNDA EXERCITATIO EIVS-

dem primi generis sine schematis, in abaco describendo.




ACCIPITE abacum non nudum, et inanem, neque vasis fictilibus, aut vitreis exornatum atque instructum: qui multo magis animū cujusquā, et oculos, quam ego describā;

poterit commovere. Etenim vir iste nobilis ab hinc annos multos paulo studiosius hunc Abacum ornandum semper, et novis vasis augendum curavit, non suae solum delectationis causa, sed etiam ad invitationes, adventusque oppidanorum divitum, suorum amicorum, atque hospitem, et ad communem usum, quotidianumque prandiorum: ut quicumque duobus hisce temporibus ingressus fuisset, facile domum divitis, atque praepotentis hominis se ingredi putavisset. Sic enim bene facto argeto, atque auro abacus utroque tempore collucebat ornatus, ut gradus multis scutellis, et salinis, patellis, et patinis, lancibus, et cymbiis, et carchesiis, et paropside multa, et escalibus quam plurimis, et trullis, et urceis, pateris, atque scyphis, et crateribus, poculisque omnis generis, et nostro, et antiquo opere, atque summo artificio elaboratis, cum suis emblematis, atque inscrutationibus maximi pretii, et aestimationis, quae suis in locis omnia sunt pro proportione, ordine singulari collocata, collucerent. In his mira pulcritudine niterent aequales argentei auro caelati, atque inter hos non minore venustate aenophora, caeteraque vasa splenderent, quae ad varios usus, et ad elegantiam, et magnificentiam praesentis abaci desiderari possunt.

## EXERCITATIO SECVNDIGENE-

tis, ex dissolutis, et adjunctionibus, ad sacrum

Pontificium abaci ornatus.



Præfectus Hispalensis Ecclesiae facturus sacrum, ut mos est, ritu caerimoniisque Pontificiis in templo maximo mittit in ecclesiam vasa omnia satis pretiosa, quae ad usum rei divinae in abaco fuerant exponenda: quod visum etiam fuerat aulaeorum, peripetasmatum, mantilium, et eximii candoris mapparum de gaza Pontificia: deinde aliquos Magna-

tes

res ad cohonestandam suam Pontificiam dignitatem in sacrum invitavit. Exornatur ample, magnificeque sacellum, exponuntur ea, quibus abundabat, plurima, ac pulcherrima vasa argentea, atque aurea. Omnibus vasis instructus erat, et apparatus abacus, et expositis cunctis fere suis opibus nitebat tantum argentum, ampullae, paropsides, paterae, calices, thuribula, et reliqua vasa ex auro: in quorum multis, quae majestas est Pontificum, et maxime Archiepiscoporum ecclesiae Hispalensis, atque Toletanae emblemata fuerant inclusa pretiosissima: atque adeo in illustrioribus alligata, ut ea ad illam rem nata esse appareret. Inter haec collucebant praecipue aliquot Pontificiae tiarae, atque aliis aliae pretiosiores, et illustriores, omnes gemis distinctae clarissimis. Erant etiam calices, et ex auro facti, atque suis sustentati basibus extetis, rotundatisque magni ponderis, ac pretii maximi. Cruces sese efferebant, et eminebant plurimum, plenae omnis generis gemmarum, eximio illustrique fulgore micantium. Interim dum tempus erat faciendi sacrum, accedere viri nobiles, Magnates omnes, quorum accessus propter nobilitatem, et splendorem suum prohiberi non poterat, unum, et alterum in manus sumere, laudare, mirari, non satiari omnes aspectu auri, splendoreque. Sed candelabra, quae ab utroque cornu abaci videbantur, sub lata altitudine sua prae caeteris vasis omnibus nitebant mirum in modum: quod essentae gemmis clarissimis, opere mirabili perfecta: neque ea exponere, neque vulgo proferri mos erat, nisi diebus hisce solennibus rei divinae ritu Pontificio faciendae: quibus abacus magnificentius illustrabatur. Cum haec hisce diebus inter alia multa ponerentur, et alia vasa clariora viserentur, cum saepe pulchritudo illorum splendens ad oculos multorum hominum quasi recens, et nova perveniret: apparatus, et ornatus abaci fuit ejusmodi, quem omnes confirmare poterant dignum esse majestate Praesulis Hispalensis, et amplitudine tantae ecclesiae, et tanti Principis Cardinalis que praecellentissimi. Etenim erat eo splendore, qui ex claris-

ris-

rissimis; et plurimis vasis esse cernebatur: ea varietate operū, ut ars certare videretur cum copia multiplici: denique ea magnificentia, ut appareret aperte ad tanti Principis apparatus, et ad ecclesiae tantū decus, et ornamentum apparatus hunc fuisse prolatū. Sic eum homines defixis, et stupētibus oculis, dū abacus propositus erat in claro lumine facelli, etiā atque etiam considerare non desistebant, et nunquam equidem respiciendo, contemplandoque satiati.

## EXERCITATIO TERTII GENERIS

per interrogationem, cum repetitione, adjunctione, et articulo, in laudem beati Laurentii.

**N**onne haec vobis, quae audistis cernere oculis videmini? non ipsum divum Laurentium, cupidū mortis pro Christo subeundae exeuntem e publica custodia videtis? non peragratiōem viarum, non lustrationem vicorum aspicitis? non versatur ante oculos in ignibus accēdendis, et inflammandis ministrorum diligentia? non crepantium, et horribili stridore se se efferentium in sublime, longe lateque micantium flammaram ardor? non adsunt craticulae jā ardentes, et inflammatae, stratae prunis urentibus incredibiliter? non Praetor jubet Laurentium vestibibus spoliatū, atque nudatum omnino in accensas craticulas imponi? nō hos administrōs fovere ignē? alere flammās? alios versare craticulas in omnes partes? torrere corpus Martyris invictissimi? non tyrannus instat, et urget, ut torrendi finem nullum faciāt satellites, et administrōi crudelitatis? non ipsum intuemini Laurentiū laetum, atque hilarem, ducentē craticulas, lectū mollissime stratū, prunas, rosas afflantes odorē suavissimū? non cernere videmini forti, magnoque animo provocatē tyrannū ad corpus versandū in alterū latus, quoniā alterū assumptis esset, atque tostū ad vescendū, id est ad tyrāni sitim insati-

tiabile Christiani sanguinis exhauriēdi carnibus Laurētii saturadā.

## EXERCITATIO QVARTIGENERIS

cum interrogatione, praeteritione, correctione, repetitione, et notatione. Apparatus hominis, et ostentatio.

**E**cce tibi descēdit vir de palatio suo, et de superiorib⁹ aedibus. Habet animi relaxādi gratia hortos amoenissimos, et jucundissimos, et eosdē, quod mirabile videtur, urbanos, unū ante illos viridariū, neque tamen illud nisi singulari solertia atque arte cōstitū. Domus est cōvestita peristromatib⁹ Damascenis, et telis aureo filo intertextis: in quibus sunt stēmata majorū, opere inserta mirabili: quae partim magno pretio mercatus est, partim a majoribus accepit: ut qui invisiuri domū ingrediātur, Principis se alicujus domū intrare arbitretur. Quid praeterea argēti, aurique caelati, quid vasorū, et omniū ex auro pulcerrimorū, quid stragulae vestis, quid pictarū tabularū, quid signorū, quid omnis generis ornamentorū apud illū fuisse putatis? Tantū scilicet, quātū ex duabus locupletissimis, splēdidissimisque domibus in haereditate addeunda, et postea pecuniis Optimatū maximorū ad usum, et ad ornatū coacervari una in potentissima domo potuit. Familiā vero quantā, et quā variis cū artificiis quid ego dicam? Mitto has artes vulgares, coquos, pistores, cubicularios, praefectos palatii: animi relaxandi causa tot homines habet, ut quotidiano cātu vocū, et nervorū prādiis, coenisque magnificentissimis tota vicinitas personet. In hac autē domo quos sūtus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quae convivia? mediocria credo in istiusmodi domo (si domus haec habēda est potius, quā hospitium apertū, et diversoriū commune omnis ordinis, equitum, et civium honestissimorum) ipse vero quemadmodum alacris, et erectus, cultu, et ornatu pretiosissimo per vias omnes, et plateas pedes nonnunquam, saepius

eques, saepe etiam lectica sese ostendit cum maxime multitudine famulorum, et puerorum consequentium? videtis, ut illum civitas solum divitem, solum potentem putet. Quae vero largiatur, quae impertiat magnificentissime, si vellem commemorare, vereor equidem, ne quis alienigena, qui mores, et liberalitatem istius hominis non viderit, existimet me splendorem, et amplitudinem tantae familiae voluisse luminibus orationis illustrare.

## EXERCITATIO QUINTI GENERIS

cum similiter cadentibus, et desinentibus, et non solum ex adjunctis, dissimilitudine, de

Regina Angliae.



Uta enim haec Regina Angliae deterrima, et in Deum, et in homines impie, nefarieque commisit: quorum scelerum multitudine, magnitudineque non sacrilegam, et detestabilem mulierem agitari, et a mente iudicioque abduci notum est. Agunt eam praecipitem poenae multitudinis infinitae Christianorum, quos partim in exilium misit, partim bonis evertit, partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim tractos, et raptatos patibulum usque egit in crucem proficentes, atque incredibili constantia testantes sanctitatem nostrae Religionis. Rapiunt hanc scelestam, atque execrabilem Reginam ad poenas inferorum jam pridem suis sceleribus debitas milites Religiosorum Familiarum innumerabiles, qui comprehensi, vinculis constricti, et ferro onerati, in iumentum impositi, quasi latrones, et grassatores viarum, qui sanguine mortalium pascerentur, praekonio publico, satellitum suorum, et administratorum armatorum strepitu atque tumultu horribili concrepante, multo cum probro, atque dedecore, maximis injuriis nunquam non illatis ad custodiam, ad vincula, ad tormenta, ad necem tracti fuerunt. Sacrae vero arae disiectae, soloque adaequatae Sanctorum, de Anglia

cul-

cultus omnis Christianae Religionis, caerimoniae sacrorum omnium non violatae solum, sed etiam sublatae, simulachra Divorum per summum scelus, et impietatem sacrilegis concitata pedibus, multa comminuta penitus, quae jacent in angulis innumerabilia, pulveris, sordium, et squaloris plenissima, sine specie, sine forma, vel detrutata, vel ad minimum veteri splendore spoliata, quae, qui praetereunt, cultores occulti Christianae Fidei sedibus in illis, atque locis prostratae, perditaeque Anglorum nationis inspicientes, ingemiscunt: et quoniam aperte loqui non audent, tacite Deum precantur, ut ulciscatur injurias factas Sanctorum imaginibus, consistere pessimae detestataeque Isabelae mentem, et animum non sinat. Neque haec solum, sed sacris monialibus vis allata, erepta per vim factam virginitatis pulcritudo, tot libidines impurissimae, et religiosae in locis, atque adeo intra sacros parietes monialium immortalis Deo consecratos supra facta, a vallo religionis abductae virgines, et tractae ad libidines effraenatas hominum turpissimorum subeundas, illam neque corpore, neque mente consistere dies noctesque patiuntur. Non istud solum mentem eripit huic improbissimae Isabelae, sed quod efficit dolorem maximum, quod lacrymas a ferreis hominibus exprimit, depulsam fuisse Fidem ex universis Angliae finibus, et nusquam illam locorum consistere, nusquam urbium, nusquam populorum; neque vicinorum urbi Lodinensi duntaxat, sed neque pagorum etiam rusticorum: ubi vero fuerit, si usquam locorum Angliae fuerit, retrusam, atque abditam in obscura tenebrarum loco jacere. Hujus depulsione cum illae gentes novam religionem, novam ecclesiam (quam ipsae Anglicanam appellant) intulerint in suas sedes, atque domicilia, more suo vivendi turpissimo, et dogmatibus ex fraude mendacioque factis: quam vere dixerimus officinam scelerum, diversorium libidinum, receptaculum totius impietatis. Quae poenae manent mulierem, principem tantarum haereson, perniciem generis Anglorum ultimam, cum etiam per confes-

I 3, fio

sionem ablata fuerit peccata expiandi facultas, non sacra iam Hostia in sacrariis condita magnificentissimis, cultu religio- neque Christianorum colatur: cum auctorem vitae Christum Iesum sacrae Hostiae tegumentis contentum videre nolint, (quid adorare velle dicam, cum abjiciant, respuant, et oderint: cum ita execrentur, atque detestentur, et pugionibus, si nasciscerentur, similes Iudaeorum confoderent, et saepe mille plagas inferentes, facientesque sceleratissime: propter tantam scelerum immanitatem, et impietatem inauditam, quibus Isabelam angoribus cruciari necessarium est, et taedis furiarum ardentibus, omni loco, atque tempore perterreri?)

## EXERCITATIO SEXTI GENERIS,

cum adjunctione, articulo, et similiter cadenti.

Liberalitas hominis.

**H**omo, qui semper liberalissimus, munificentissimusque fuisset, in extremo vitae curriculo hoc voluit clarissimum relinquere indicium suae liberalitatis, de qua non audire aliquando, sed quotidie videre possemus. Quaesivit num munifice, et large dari quidquam potuisset? Cum responsum esset, templum esse monialium, quod vetustate exesum, ex multis partibus ruinam minitaretur, terra, glebaeque plurimae lacunatis multis in locis, aut perforatis parietibus dilaberetur: nihil tam liberale ac munificum, tamque gratum Deo, quam opus illud sibi ad liberalitatem fuisse ratus, templum amplitudine mira, opere antiquo, statim ante mortem jactis praeclare fundamentis inchoandum, aedificandumque praecepit. Atque idem signa, vasa plurima, et ornamenta magni pretii, et aestimationis, quae magni sibi costiterunt, simulachra sanctorum ad sacellum maximum, et ad aras reliquas ornandas reliquit. Ipsum autem templum ejusmodi jussit esse, quod cum viderint omnes, qui in illud ingrediantur, considerent undique tectum, pulcerrime ornatum, suis sacellis, et uno

ma-

maximo, praeterea reliquas partes novo, et illustri splendore clarissimas.

## EXERCITATIO SEPTIMI GENE-

ris, translationibus, Ironia, exclamatione. Of-

tenditur loci infelicitas.

**S**cilicet audivimus locum esse uberrimum, maximeque fertilem, latos atque jucundos campos, quibus feraciores, et uberiores nullos audierimus, politos, et humanos homines, ad omnem elegantiam, et munditiam cultos, natos in media Baetica, quae pars Hispaniarum valde laudatur, et propter ubertatem, et fertilitatem agrorum, propter amoenitatem, et jucunditatem appetitur: quo confluant omnes relictis patriis sedibus, et unde propter temperationem caeli, salubritatem aeris demigraverit unquam nemo. O fortunatas sedes. O beatam terram, quae omnibus his abundat commoditatibus, et jucunditatibus maximis: in qua mortales ad multam senectutem perducuntur, non gravedinosi, non morbofi sunt. Vbi pestilentia nunquam fuit, caelum nunquam ita caliginosum, quin Solem illius diei homines viderint. Media hyeme, cum aliis in locis horrida est, atque deformis terra, et pruinis albet plurimis campi, montesque praecelsi, maxime cum urbium gelu congelant viae, et omnia loca rigeant frigore, viridis visitur, et amoena facies agrorum: omnia nitet, et splendet in agris. Prae temperatione summa veris speciem praebere visum est rus istud: et tamquam Paradisum amoenum, jucundos oblectationum hortos, perfugium aegrotorum, et subsidium fesso, fractoque laboribus generi mortaliu[m] appetimus: ubi senectus viget, in qua acquiescunt debiles, quo confugiunt recuperatum vires valetudinarii, quo omnis aspirat aetas: et cum illam terram nacti fuerint, ab ejus gremio abstrahi nisi mortis intervetu nequeunt. Tanto illius homines desiderio flagrant, tanta ardet cupiditate vitam in illis locis agendi: ut matrem, et altricem rerum omnium ducant, praedicent, et caeteris terrarum partibus anteponant.

I 4 EXER

## EXERCITATIO OCTAVI GENERIS

cum exclamatione, articulo, compari, acclamatione. Misericordia Christi IESU demonstratur.

**O** Rem non modo laudatu dignam, sed etiam saeculorum omnium immortalitati commendandam. Christus Iesus, ipse vindex humanae libertatis suis ipsis manibus, suis sanctissimis pedibus clavorum diritate transfixus, nudus, et spoliatus vestibus, expositus aëris immanitati, duos inter latrones medius interpositus, tanquam de vertice ac summo montis jugo, sibilo boni pastoris oves vagas, et errantes in ovile cogit, atque compellit, et compellat benignitate sua, misericordiaeque plane infinita ad uberrima sacrae Religionis pascula, et post veniam peccatorum datam, ad Beatorum gloriam immortalem perfruendam. Cum seipsum totum nudatum ostendat, transfixum, et exagum, et vulnus illud lateris patens, et apertum, multo manans sanguine patefaciat, tanquam portam patefacientem aditum in beatorum sedes: tum brachia extenta offert, ad suos invitat amplexus, accurrere jubet hominem, in sinum ad volare suum, medium quoque completi, secum inquam in sua gratia semper esse, ut illum efferat in caelorum sedes, ubi aspectu Dei sempiterno perfruatur. Tanta est Afferitoris Iesu benignitas, et in genus hominum inusitata mansuetudo.

## EXERCITATIO NONI GENERIS,

per Apostrophen cum subiectione, et acclamatione, de Vituperatore concionatoris.

**Q**uid erat Antoni in illo concionatore non audiendum? Quid non admirabile? Concionatoris credo alicujus, aut adolescentis, aut elegantis hominis Hispani auditores sermo

de-

delectaret solum: qui te flosculis verborum oblectaret, tanquam cithara suavi demulceret sonos edens ad aurium sensus jucundissimos. Qui levis videretur pigmetis aspergens orationem suam, et captans plausus populares, ut eloquens videretur, animis nullos passus caelorum capeffentibus. Non animos ad vitiorum execrationem, non ad virtutis amorem, non ad gloriam afficiebat beatorum, qui maximi sunt fructus, et percipi debent ex divini verbi concionatoribus. Ille, ille inquam fuit, cujus cum concionem audivisses, de templo discederes aridus atque jejunos, nullo animi sensu, neque motu praecipuo: ut te audisse dicere potuisses garrietem in carminibus Hispanis hominem, suavitate vocis, agendi dignitate, argutis digitorum, rapida, et incitata volubilitate dicentem, nunquam haesitantem, non revocantem seipsum: ut carduelis alicujus, et lusciniarum cantus in aures nostras influere viderentur. Quod ad spiritus rationem, ad movendos animos pertinet, nihil est, quod ab homine petas: qui humanae solus eloquentiae studuisse videbatur. Concionatorem audivisti, cujus, ut antiquitatem praeteream, quae desiderari possent, omnia in illo sine dubitatione reperiretur, vitae sanctimonia, absoluta perfectio, vis in excitandis animis ad virtutem, et in eisdem revocandis a vitiis praestans, et admirabilis. Cum primum historiam sacri Evangelii narraverat, sic finem, quo tendebat concio, consequebatur, ut quae vellet auditorum animos ad virtutem colendam, ad nuntium saeculo remittendum, ad bellum vitiis indicendum omnibus, impelleret. Ille de suggestu celsior cunctis auditoribus, circumfusus innumerablem multitudinem virorum, atque mulierum in celebrioribus hujusce civitatis templis concionatur, et tanta vi, contentioneque dicendi, ut suspensos teneat omnium auditorum animos, nullo neque minimo strepitu, non se commovete ququam ex auditoribus, neque os, neque oculos convertete in partem aliquam: ut neque conspuere, neque tussire audeant homines. Horam cum audiverunt, tum illum incoepisse pu-

K

tant:

tant: et cum concionandi finem facit, tunc illum instituere concionem cuperent omnes. Inter concionandum sic afficiuntur auditores, ut lacrymae nolentibus oboriantur, fletu, gemituque maximo perfonet ecclesia. Ita Gregorios illos, Basilios, Hieronymos, aut unum ex antiquis Religionis nostrae Doctoribus tonantem, atque fulgurantem audire se putant omnes.

## EXERCITATIO DECIMI GENERIS,

cum repetitione, exclamatione, et incremento, de proditore Iuda.

**T**Ucum illis satellitibus, cum armatis hominibus, cum fabricis, atque furiis totius civitatis, Iuda scelerate, tantum in principe universi regni civitate scelus commiseris, tuis oculis, tuo ore impudenti, tuo duro, atque ferreo pectore, alacer, et erectus aspexeris, adiveris, osculatus fueris Christum Iesum, signo quasi dato invadendi in Dominum tuum, in Messiam promissum a Patribus, atque adeo in datum ab aeterno Patre communem Assertorem generis hominum. O prodicionem non modo visu, sed etiam auditu horrendam. Si in oppidulo humili, obscuroque fecisses, et in hominem infima contemtissimaque fortuna praeditum invasisse, quis non exhorreret facinus? in coetu vero Iudaeorum, in urbe, quae caput est totius Iudaeae, discipulus tanti Domini, et Apostoli decoratus dignitate, quem defendere ac tueri debebas, tu princeps, et auctor prodendi, tu idem Dux, et Antesignanus Iudaeorum praecieris caeteris, et accendens ad tuam aequandam celeritatem. Tu idem tam parvo pretio, minore proflus illo, quo publice jumenta venire solent in mercatu, triginta nummis Opificem, et Architectum caelorum prodideris, tradideris Iuporum immanissimorum feritati comprehendendum constringendumque, flagris deinde caedendum, coronandum diritate spinarum, denique medium inter duos latrones interpo-

situm tollendum in crucem. Quid dicam gravius, quid immanius, non reperio.

## EXERCITATIO VNDECIMI GENERIS epithetis illustrata, de praeceptore delecto.

**C**UM in praeceptoribus deligendis spectari debeat usus, et cognitio, et virtus, vos optione data, nullum magis nobis spectatibus deligere debuistis, quam hunc optimum, praestantissimumque virum. Nam si praestates, et exquisiti de tota Hispania magistri quaereretur ad filiorum institutionem, is fuit a vobis delectus, qui ex flore Hispaniarum in augustissimo, frequentissimoque Complutensis academiae theatro niteret, splenderetque clarissime. Non solum habetis praeceptorem in docendo nimium diligentem, nimium servientem sui nominis existimationi, et utilitati scholasticorum, et progressionibus maximis: sed accidit etiam illud, quod is profitetur nunc hanc disciplinam, et multos annos professus est homo in sua facultate spectatus, et cognitus: quem magno opere gavisa fuit civitas cum collegarum omnium summa virtute, tum ordinis cujuscumque singulari studio magnificentissime post conditam academiam praeceptorem delectum fuisse. Vidit enim diligenter, sapienterque praeceptoris officio fungentem, munera exequutum fuisse, quae omnes prudenter divinando sperare coeperunt: propterea quod iam antea semper, cum legendi munere, ut praedixi, functus fuerit, et in hac, et in aliis facultatibus ad absolutam intelligentiam cognitionemque incubuerit: tum praeceptores omnes, et interpretandi perspicuitate, et scriptorum praestantia superaverit. Laudabatur etiam vulgo ab omnibus integer, et incorruptus, qui a partibus Iustitiae in concedendis cujuscumque laureae insignibus, in ferendo suffragio praestantioribus stetit sepe diceretur. Item ea virtute praeditus, et sanctitate vitae celebrabatur, quae inanes vulgi rumusculos non aucuparetur, solidam ac veram gloriam consecraretur. Sic reliqui virtutis, et scientiae umbram habuisse diceretur ad huius praeceptoris de tota academia exquisiti cognitionem comparandi.



DE ARGUMENTORVM EXORNA-  
tione perfectam descriptionem explente.

**I**llustrantur argumenta aliorum luminibus argumentorū, et ab illis lucem accipiunt clarā, et illustrem ad suorum munerum functionem, maxime in explēda, et suis omnibus numeris absolvenda descriptione. Hujus cum campum late patentem patefacere nobis sit in animo, quibus argumentis illustretur illa, ab hac parte doceam. Atque prima ratio amplificandae descriptionis petatur ex adjunctis illustrata dissimilibus.

PRIMUM GENVS AMPLIFICA-  
tionis ex adjunctis, cum dissimilibus. Com-  
prehensio viri nobilis.


**H**ominem deambulantem Praetor comprehendit in foro, jubet illum in publicam secum venire custodiam: non patiuntur famuli, quos secum habebat, vi confestim dominum suum volunt satellitibus adimere, et curant, ut satellites excedant, neque quidquam attingant hominis. Hic quoque magna vis affertur Regis auxiliū satellitibus implorantibus: trahendum clamat Praetor in custodiam. Homo causam postulare, satellites urgere, famuli pergere, si possint a Domino repellere Praetorem. Itaque passus aliquot procedunt magno cum strepitu, atque turba jam ex omnibus locis cōfluente. Homo, ut Praetor suae dignitatis rationē haberet, postulare, satellites nihil minus curare. Denique magno cum dedecore, et infamia in carcerem perducitur. At quis erat iste homo? credo aliquem esse contemptum hominem, egentē, seditiosum, improbum, qui posset satellitū, et administratorū injurias, et cōtumelias perferre. nihil minus. Nobilis sane vir erat, Hispalēsis, locuples, et copiosus suae familiae Princeps.

deni-

denique is, quem quoties oppidani honoratum, et probum civem dicere volebant, hunc semper appellabant suo nomine. Et audent administri Praetoris, virgis suis aggredi splendorem, et nobilitatem tantam. Inscientia factum id potius, quam improbitate crediderim: cum in oppidis amplissimis simulatione vestitus, et honoratorū specie oppidanorū multi homines sua furta tegant, atque peccata.

## SECUNDVM GENVS AMPLIFICA-

tionis; cum simili, ac dissimili in haereseos, et vituperationem.



**E**X omnibus nostrae Religionis hostibus, quot quot ab incunabulis Fidei nascētis exstiterūt, nunc his extremis temporibus tam inaudita haereticorū importunitas exstitit. Nolite autē vos arbitrari hominum illas cogitationes, et inventa fuisse: neque enim ulla gens tam barbara, aut tam amentis unquam fuit, in quanon modo tot, sed unus tam inhumanus, et excors fuerit invētus. Homines hi, pecudes quidem intemperantissimae, et ferae in figura mortalium visi sunt: qui coitus detestabiles, execrandas cōsuetudines, adulteria, incesta, reliquaque impuritates, quae nec honeste dici, nec ab auribus castissimis sine summa offensione animorū audiri possunt, non modo appetunt intemperanter, sed approbant, atque defendunt, et dicunt naturae consentaneas, atque ob eam causam sine scelere appetendas, et suscipiēdas. O libidinem effraenatam. O inauditam intēperātiā. Prospicite etiam, atque etiam. Quid enim est, quod in ullo genere hominum reperiri possit impurius? Penitus introspicite Anglorum, Lutheri, Vviclephi, Ecolāpadii, Sabellii, reliquorumque haereticorum sectas impias, atque nefarias, quas vos in Anglicis haereticis libidines, quae flagitia, quas turpitudines, quātos errores, quam incredibiles furores, quas homi-

K 3 ni-

nibus, Divis omnibus, Virgini Mariae, atque Christo Iesu, ab his religionis hostibus injurias factas, et contumelias impositas non reperietis? Ex magnis, et sepultis jam, et penitus extinctis sectis tanta errorum colluvies erupit in illud regnum: ut ea nisi maximo, praecipuoque quodam Dei optimi ac maximi auxilio confecta sit, et ejecta, convalescere nunquam, neque sanari gens illa posse videatur. Ut aper valens, et truculentus in hortos irriguos, et amoenos, herbis, floribus variis, et multis arboribus consitos invadens omnia evertit, vastat, et depopulatur, evellit herbas, perdit flores, conculcat areas, neque quidquam pristini decoris, et pulcritudinis reliquum facit: et opus est ejici tam immanem bestiam, et quae vastata fuerit, et omnino perdita, nova iteratione coloni reddi, restituique: ita ad pristinam faciem Catholicae Fidei, veteremque recuperandum splendorem, post vastationem tantam, et stragem ab haeresi deterrima regnis illis, locisque terrarum allatam, necessarium est novos vineae Domini cultores Christianos, perfectosque concionatores mitti, ejectos Catholicos redire, reverti defensores expulsos, et pro aris, focusque Religionis Christianae laborem omnem suscipi, instaurari tepla, restitui coenobia, refici sacras monialium aedes, reponi aras, altariaque sanctissima, repeti conciones sublata, ablata suscitari Sacramenta, novam formam, novam figuram, et Catholicae Ecclesiae consentaneam restitui: ut castitas pro libidine, pro superbia demissio, pro avaritia liberalitas, pro iracundia patientia, pro invidia caritas, pro desidia diligentia, pro ventris ingluvie temperantia, pro vitiis nefariis virtutes sanctissimae, et mores integerrimi summo studio, et contentione repetantur.

## TERTIVM AMPLIFICATIONIS GENVS

ex adjunctis, et similibus. Libidines adolescentis.

**S**iquis adolescens, ut nostro malo non pauci sunt, animum suum patefecerit nefariis libidinibus, palamque se se, et corpus

pus suum turpissimis voluptatibus addixerit: si hoc omni tempore, nulla cum modestia, nulla unquam moderatione fecerit: si denique ita se se gesserit non in incessu solum, sed in vestitu, atque ornatu, non solum aspectu oculorum, turpitudine verborum, sed etiam appetentia libidinum, nulla praeteritione voluptatum obscenarum, ut semper, et suas explere voluerit libidines, et ad easdem alios incitando adolescentiae pudicitiam expugnasse videatur: non hunc ut Cupidinem tetrum, et execrabilem, ex impura natum Venere, volitatem ante oculos, et ora cernere videbimur, tanquam arcu veneno illito mortifero, vulnerantem animos mortalium, et ignes evomentem maximos, flammam accedentem omnes, quibus ardeant, pereant adolescentes libidinum ardore flagrantem.

## QVARTVM AMPLIFICATIONIS

genus. Ex adjunctis, cum similibus, et dissimilibus hominis arrogantia ostenditur.



**H**ujus per Deum immortalem si nondum fecerit vulnera que inusta animo vultis recordari, vultum, et incessum animis ut cernatis, obsecro: facilius facta ejusdem occurrent vestris mentibus, si ora ipsius oculis proposueritis. Ille intortis capillis, cincinnis a fronte capillorum, ore nitido, et unguentis quasi perfrecto, perfusus odoribus plurimis, faciens verba libidinosorum, spirans ore suo Veneris impuritates omnes, mollissimorum, et effoeminatorum adolescentum gregibus stipatus, ut facile quam omnibus esset libidinibus constrictus, mortalibus testatum relinqueret, innuebat in viis mulieribus, prospiciebat faciem, et ora praetereuntium, appellabat easdem suis nominibus: atque nisi in his, et aliis in turpissimis rebus civitatem, et oculos intuentium offederet, a se nihil actum putabat. Alter, per Deum immortalem, quam intolerandus, quam teter incedebat, quam insolens, quam elato collo:

Vnum te aliquem ex Campanis veteribus, exemplum veteris arrogantiae, imaginem elationis, formam Luciferi dices intueri. Indutus pretiosissimis vestibus, sericis fulgentibus, et magno sumtu confectis, capillo ita composito, et in frontem dejecto galero, ut Campaniam ipsam, in qua superbiae domicilium fuisse dicebatur, renovare nunc, et tot ante saeculis mortuam exsuscitare videretur. Nam quid ego de verbis dicam, quae non hominis, sed Luciferi in humana figura latentis videbantur? Tanta in oculo gravitas, tantum in ore fastidium, tanta frontis contractio, tanta in sessione, in incessu, in motu corporis importunitas erat, ut aspectu hominem tam insolentem, et intolerandum nemo perferre posset. Filius videbatur Regis potentissimi, Princeps totius regni, et haeres non multos post dies futurus: quem suis humeris multae provinciae, multa regna sustentanda manerent: nam Comitum, atque Ducum filios multo modestius se gerentes, magisque temperanter, cum fortunae cujuscunque, et generis inferioribus alloquutos non raro videmus. Erat denique omnium hic sermo. Est clarum, et illustre suum genus, habet, quas insumat, pecunias, et opes plurimas. Nemo in hac urbe ad illum fortasse conferendus dignitate oris, et conformacione membrorum. Haec illum efferunt, et extollunt insolenter. Habemus quidem, quem opponamus huius Luciferi, atque Satanac tam insolenti superbiae, et elationi. Frater unus, quem habet, ejus arrogantes animos, et spiritus intolerandos, frangere debuisset. Habet uterque domi fratrem modestum, comem, benignum, affabilem; in hunc, quem imitaretur, isti duo adolescentis ex superbiae fastidio, et ex Veneris libidinibus facti intueri debebant.

#### QVINTVM AMPLIFICATIONIS

genus ex adjunctis, cum contentione. Miseria, et inopia hominis, extrema.

Vide illum non multum divitiarum habentem, sic constrictum, et oppressum aere alieno, ut vix suppetat, unde saepe necessaria comparatur ad sumtus quotidianos. Cujus filii domi se continent, quod nudis pedibus sint, vestitu lacero, discerptis palliis. Iam uxor, filiaeque, quae multo incedebant antea auro fulgentes, quidquid auri, quidquid vestiu habebant, ut ei aliqua ex parte providerent, vendiderant. Nihil jam equidem reliquum videtur esse praeter opem, quam ferant propinqui, qui quoniam honorati sunt, eos non credo passuros esse, ut fame conficiatur, qui quandiu locuples fuit, egentibus large succurrere non desinebat: atque eisdem propinquis idem antea, cum non amisisset opes, mutuas dare pecunias, de suis non pauca donare liberaliter, et ad augendam rem familiarem eorundem, nunquam non ipsis omni ratione commodare consuevit, et quidem eo progredi, ut non paucos dies in custodia detentus fuerit, aliquorum aeris alieni propinquorum dissolvendi causa. Quod si illi, qui minus debet huic homini, cui, quamquam in plurimos beneficus ac liberalis fuerit, in eos benefaciendi nullum tempus datum est, cum neque sanguine cum illo conjuncti fuissent, neque amicitia, neque officii, sed sola bonitatis magnitudine ducti veniunt adjutum, et sublevatum illius miseras, sicine propinqui videbuntur obliti sanguinis, amicitiae, officii, beneficiorum acceptorum, ut ab externis hoc misericordiae genere vinci se acquissimo animo patiantur? non credo posse dies noctesque consistere Christianae Fidei cultores, quorum in memoria versentur tam justae, necessariaeque causae, quorum percellat animos acceptorum recordatio beneficiorum, et omnino communio sanguinis pectoribus taedas admoveat ardentibus, ut cubitum ire sine cogitatione praesenti, decumbere sine cura tanta, denique somnum quietum capere possint, quin angores, cruciatusque, a somno excitent saepius tantos, tamque honoratos homines, multum dolentes, loquentes in somnis,

miserias, et aerumnas, tanti, tam boni, tam splendidi, tã cum  
tis civibus cari, acceptique cognati.


ALTERVM EXEMPLVM HVIVSCE

quinti generis, ex contentione minorum, cum  
antecedentibus, et conjunctis, ad sacrã  
Eucharistiam accessus.

**A**ccedit homo ad sacrã synaxim maculis omnibus ex-  
piatis consciëntiae, neque capitalibus solú, quod neces-  
sarium est, ne se sacrilegii crimine astringat, sed levioribus, et  
minimis peccatis diligenter elutis, praeposita cruciatuú Chri-  
sti Iesu meditatione sanctissima, atque cum illo sensu flagel-  
lorum, spineae coronae, et Crucis acerbissimo dolore, quem  
hauserit. Itaq; totus ad religionẽ cõpositus, quantú potest ad  
tanti Domini Majestatem seipsum abjiciens, recognoscens-  
que secum tacitus, et ore professus sui ipsius indignitatẽ cû  
lacrymis, quae pie, sancteque accessú ad tanti convivii mag-  
nificentiam commentantibus oboriri solent, Corpus Domi-  
ni, de manu sacerdotis, accipit, intimis animi sui visceribus  
penetralibusque condens. Et quoniam beneficii remuneran-  
di nihil est grata voluntate praestantius, locum ecclesiae re-  
petit, unde ad aram communicatum accesserat, oblectat se-  
cum suo Iesu, cum Domino terrae, caelorumque praepotẽ-  
ti, maximas immortalesque gratias agit, quo potest modo,  
qua demissione remunerat, omnẽ statum animi sui, quo pa-  
cto se habeat, enarrat Assertori suo: illú, ut sibi jubeat, orat,  
obsecratque millies, quod collibitum fuerit, si quid a se fa-  
ctum velit. Quid enim agam, repetit millies, nisi adorare te  
bonum Iesum, nisi te mitem, et mansuetum Agnum laudibus  
efferre summis, tuam, iterat etiam, atque etiam, nequeo sa-  
tis mirari clementiam mi Iesu. Videre cupio jam illum diem,  
cum hinc abeam tecum in caelorum gloriam regnatum. Itud

tud est sapere, istud est vivere, non quod est in saeculo, id ap-  
petere, sed semper illa, quae futura sunt, prospicere, quae nos  
manent immortalia beatorum praemia. Ita per multum tẽ-  
pus hac suavitate perfunditur propter comparationem, et  
provisionem diligenter ad accedendum in mensam Domi-  
ni adhibitam. Is equidem, et horum similes accedunt multo  
majore praeparatione, quam illi, qui non casu veniunt hos-  
pites, sed invitati sunt ad convivium magnificú, et sumtuo-  
sum. Horum videre est diligentiam ad diem illum in cultu  
corporis pretiosiore, et magis nitidis, magis recẽtibus indu-  
mentis, quae gerere possint, et proferre in publicum, cû tan-  
ta munditia, et elegantia, ut nitere videantur, et ex omni par-  
te spectantium oculos corporis splendore perstringere. Cû  
discumbunt, si politi sunt, et urbani, rationem habent hone-  
statis, et dignitatis: neque pransi discedunt nisi officiose gra-  
tias egerint, et cumulate prius. Equidem hos, qui se bonos  
Christianos duxerint, cura, et diligentia non adaequare solú,  
sed etiam antecellere student accedentes ad sacram syna-  
xim: cum animi praestantiam omnibus bonis anteire vi-  
deamus.


SEXTVM GENVS EX ADIVNCTIS, CVM  
effectis. Labores litterarii.



**H**VNC ita scholasticum navantem operam  
litteris video, et partientem diei, noctisque  
tempora, ut post datas praelectionibus au-  
diendis, et recolendis horas praestitutas, vix  
ad requiem corporis, quattuor horae relin-  
quantur, atque illud, quidquid datur tẽporis, quod quã exi-  
guú sit, videtis, nõ omni cura vacuú praeterire visus est. Au-  
diunt socii comitesq; omnes illú somniare libros, recitare le-  
ges in somniis, alloqui praepceptores, et memoriter pronútia-

re responsa juriscōsultorū, et saepe difficultatem secum admirari, quaerere, percontari, respondere eundem, sibi objicere, sibi satisfacere, unius, et alterius oppositu decreti suspensum ad aliquod tempus teneri, nec ita multo post ferire frōtē, atque ad extremum quasi vigilaret, cachinnari, quod exitum difficultati diluendae reperisset. Enimvero saepe illum experrectum clamantem vociferantemque, neque perferre posse lectum, surgere continuo, lumen deposcere, et cum libris sibi rem omnem esse in septimam usque horā, quod tempus est adeundi scholas, notū erat omnibus. Ita totus veniebat in gymnasium a rebus usitatis, a colloquiis vulgaribus alienus, negotiorum inscius urbanorum, totus cogitabūsus, meditabundusque, et oculorum depresso lacunulis, pallore, macie multa, vigiliis fractus, confectus laboribus: ut absumtus, et exhaustus philosophi veteris totos dies desudantis in litteris, et noctis magnam partem vigilantis speciē haberet, et similitudinem apertam.

SEPTIMUM GENVS EX ADIVNCTIS;  
cum fine. Peregrinatio in urbem Romam.

 Ides hominem in habitum, atque formam peregrini, cum sacco talari, constrictoque crasso funiculo, et palliolo ex eodē panno ab humeris decidente ad terga usq; brevissimo, et caput tectum galero, qui undique multis osseis, atque plumbeis imagunculis circumdatus est. Ille baculum gerit in dextra, levamentum longae, laboriosaeque peregrinationis, atque virgineos globulos ex funiculis pendentes, et nudis pedibus longam peregrinationē suscipit voti solvendi causa, quod fecerat aegrotus, si convalesceret, cum primū posset confirmata valetudine se obiturum esse loca religionis plenissima urbis Romae: quae continēt ossa, reliquiasque omnis generis, ordinis, dignitatisque Sanctorum. Ita mutata

ve

veste, sacco aspero, ope baculi, longum iter ingressus peregrinatur, a patriis sedibus quotidie magis discedens, tanquā vagus, et errās alienis in terris, et ignota regionum loca praeteriens, ut Romā tandem perveniat, et in tot sanctorū Christi Iesu, in Martyrum invictissimorum reliquiis cōquiescat, opem imploret, et auxiliū illorum, atque gratias agat pro valetudine recuperata Deo immortalī, et unum, et alterū adiens locum, atque nullum omittens omnia conspergat lacrymis recordatione recuperatae valetudinis: aspiciens etiā ossa vasis inclusa preciosissimis, et suis sedibus contēta sanctissimis, suspiret, et ingemiscat desiderio consequendae caelorum gloriae, quam ipū sanctissimi Caelites in beatorum regione sibi compararunt: quos tanta religione venerari, tanto suspiciū videt, et affici cultu omnis generis Christianorū. Atque cū eadem recordatio laborum sit incitamentum, atque difficultatum omnium pro virtute superandarum, huc se homo cōparet, haec cogitet, et exoptet, quae sanctorum propria sunt, ornamenta, quibusque tantum in terris honorem, et immortalem in caelorum sedibus gloriam obtinuerunt. Ita idem intueatur ossa Sanctorum, ut magis aureis vasis, atque crystallinis digna videantur esse, quam quae diligenter, et studiose propter suam praestantiam, et operis magnificentiā ad res humanas asservantur ab hominibus. Ita nuda videat ossa carne, cuteque mortalium, ut plus honoris accipiant, et mereantur, quam caro Regum, et Imperatorum animata, et sericis, et aureis fulgēs vestibus. Ita credat ossa videri, reque ipsa proculdubio esse, ut multa illorum infinitis miraculis virtutem caelestem, atque divinam ostenderint. Ita intelligat reliquias esse corporum mortuorum, aut suppliciorum acerbitate confectorum, ut quoniam ossa Sanctorum sunt, et sancti viri pro Religione fortiter, et constanter occubuerunt, memoriam sui nominis reliquerint sempiternam, et a cunctis hominibus, ab ipsis Principibus, et Regibus potentissimis summo honore afficiantur, atque oculis admoventi, osculari sanctif-

L 3 fine

sime, in sinu gerere, summa religione colere studuerint: atque id temporis secum actum praeclare putent, se felicissimos fortunatissimosque habeant magnificētissimis cumulatō muneribus, cum quidquam de reliquiis huiusmodi conceditur: atque illud quidquid sit, quanvis sit exiguum, minimū ossiculi alicujus, continuo in aureum orbem includere, ornare imagunculis, portare de collo suspensum, atque intra sinum abditum inclusumque pro custodia corporis, atque conservatione salutis, quo sunt in sanctorum praestantiam studio, summaque religione homines praediti gaudeant, atque gestiant. Ita etiā ossa existere homo recognoscat, ut quoniam de corporibus Sāctorum fuerunt, in aris ipsis, religiosissimis in sacrariis sanctissime, religiosissimeque colantur: eaque picturis nitidis, et illustribus decorentur, sacris solennibusque feriis proferantur in publicum, et visenda, colendaque mortalibus, in ipsis anniversariis supplicationibus, in pōpa gratulationum illustri, in lectis pulcerrime stratis, ornatu speciosissimo vehantur, atque illorū aspectu, memoriaque virtutum clarissimarum tenere lacrymas vix posse genus mortalium, quacūque vehuntur, excipi faustis acclamationibus, et mirifica virorum, atque mulierum gratulatione videmus. Ita denique ossa speciem suam, et formam habere intueatur siccam, et aridam, ut magis quam aurum, magis quā gēmae, magis quam caelorum sidera clarissima, sanctitatis splendore fulgeant. Atque his in infimis terrarum sedibus, quantam ossa multa, quam mirificam odoris afflant suavitatem, ut suo flatu, et odore suavissimo sanctitatem spirent, et gloriā, quā assequuti animi fuerunt in regione caelorum, satis aperte testentur? Et quoniam in caelesti aula Caelites ipsi suis precibus diram a nostris capitibus pestem possunt avertere, his se homines dedere, his se commendare, horum in suis periculis opem, et auxilium implorare nō desinunt. Neque unus dumtaxat, aut aliqui peregrini, mediocres homines, sed Reges, et Imperatores invisunt, atque ipsi Romani Pontifices suas ad

ho

honorem, cultumque praestandum demittunt, abjiciuntque tiaras, seque quanta demissione possunt, ad eorū sanctitatem colendam, venerandamque prosternunt.

OCTAVVM GENVS EX ENVMERATIONE, cum antecedentibus. Rixae duorum.

**F**Acti obviam illi duo clarissimi cives hora fere decima, aut non multo post ante meridiem, statim ut se conspexerunt, quoniā erant inimici capitales, et qui utrunque comitabantur amici, et servi, gladios loco civitatis celebriore distrinxerunt. Guzmanii Principē factionis adversariae cōficiunt. Cum homines, qui in platea erant, tumultu concitato propinquum, de familia sua proximum in turba occisum audivissent, rebus omnibus relictis occurrerunt, suos ut viribus acerrimis defenderent. Illi, qui erant ab utraque parte, jam multum sanguinis profuderāt, et gladii ipsi imbuti sanguine, copia multa manātes aspiciebātur: ut, qui procul erāt, cū stillantes cruore viderent, carnificinā clamarent, et vociferaretur fieri, implorarent opē in platea praesentium hominum, ut se se interponerent, et gladiatorum oppositu suorum calentem quaestionem, et inflammatas rixas, similitatesque restingerent. Adversarii, qui principem alterius partis viderant, gladiis eductis recurrerunt, ut ab omni, si possent, latere caedendum adorirentur, partim quod internoscere non poterant, neque videre, caedere incipiunt socios, atque servos, quos internoscebant, et erant a fronte, et a lateribus: ex quibus qui acri animo fuerant, et in dominum suum egregie fideles, partim vulnerati fuerunt, partim cum illi ad necem dominum deposci viderent, et ejusdem vitam tueri, vel in pugna occumbere decrevissent, dominumque nisi se opponerēt multitudini quaerentiū, et deposcētiū ad mortē sine dubitatione ne-

L 4 can

candum viderent, fecerunt id, quod boni, et egregie fideles servi facere potuerunt, ut neque imperate, neque sciēte domino, illum ipsum a tergo contra vim aliorum defendentes, obsistēdo fortiter impetum adversariorum propulsaverint. Sed paulo post interventu Praetoris, et administratorū omnis pugna dirimitur. Huc scilicet adducēdi videbātur homines, qui multos ante dies, ab hinc unum annum graves inimicitias gerebant, et aliis alii infidiabantur, ut causam contētio- nis quaererēt, et non semel distinxerāt gladios in publico, quos multorum interventu recondere coacti fuissent invaginā districtos, et nullo sanguine madentes. Quid, quod omnes, neque dies, neque noctes quiescebant investigando locū, tēpus ad ulciscēdos seipso? Quia vero homines causam satis esse putabant perdendae, delendaeque vicissim utriusque familiae, quod de principatu contenderent, et de primo loco civitatis obtinendo, et cum occurrisset unus, alter in media via caput aperire noluisse: et os, et vultū avertisset alio, quē antevertere fuerat aequissimum, cum ab illo non aspectus solum prius fuisset, sed praeteriens etiam cum alio flore delecto nobilissimorum equitum deambulante sursum, deorsumque offendisset in via. Hinc enim primae inimicitarū causae, tantusque furor utriusque exarsit: qui nihil unquam de iracundia remiserunt, sed usque eo dolor ingravescere visus est, quoad nulla pacificationis spes fuerit, quantū ex concertatione praesenti, plena seditionis, atque sanguinis aspexi.

NONVM GENVS EX ADIVNCTIS, CVM  
consequentibus. Iactura unius in ludo folio-  
rum pictorum.

**S**ed quid ego tantum assequi possim dicendo, quātum foliorum ludus pictorū damni mortalibus facit? Defert homo secum non parum nummorum, loculum scilicet plenum ar-

argenti facti, quod biduum ante ex vino venditō, vel ex suis redditibus collegerat, et ad tollendum tributum, quod solvebat, annum, adit domum, ubi publicus statuitur foliorū pictorum alveus animo amittendi, vel duplicandi nummos, quos secum portabat: quem ubi viderunt collusores venientem, et afferentem tantam vim pecuniarum, et inter argenteos, non paucos aureos nummos, adjiciunt animum, et oculos ad crumenam argento tāto refertam, et auro. Itaque homines illi per tres horas colludunt dubia, et ancipiti fortuna, ut neque magis ad hunc illa, quam ad alios inclinaret. Vicissim lucrum faciunt, et iacturam, neque usque eo lucrari, vel amittere pecunias visi sunt, ut internoſci posset lucrum magnopere. Perseverare homo in ludo chartarum, et quantvis media jam nox erat, et redeundi tempus non accesserat solum, sed etiā praeterierat, nihilo secus moveri, neque moram, neque sollicitudinem domesticorum curare, sed ad ludū magis incumbere, alios, et alios ludos repetere discedētibus multis, et abeuntibus domos suas, atque vicinis ejusdem, qui comitari vellent hominem, et domum usque perducere, et a ludo abstrahere, ne perderet reliquo tempore, quod conservaverat ad illā usque horā, residere quasi tunc primū sedisset, neque ludendi tempus alienissimum esset, persequi ludū, versare folia, partiri, sibi sumere, de manu aliorū accipere vicissim, explorare puncta, fortunam periclitari magis: quae homini adversata non fuit quinque amplius horas. Sed ecce tibi immutatus ludus, cōversa alea derepente, amittere miser homo unum, et alterum ludum, nullum lucrari de multis, quiescebant, et instaurabātur, infelix eximere de acervo pecunias, depromere de loculis, cōferre saepissime in mensam, et altero augente sponſionem nunquā negare, exhauriri loculi, spoliari homo, et altera exinaniri crumena, quae infelici miseroque restabat, in quā ille nūmos aureos cōjecerat nōnullos leparatim, ut si caderet ludus infelicitate, haberet, unde instaurare posset unum, vel duos saltem ludos. Sed adversa

sibi semper jaciebantur folia, diversa cadebant puncta, nullus unquam obvenit bonus ludus, quo in spem erigeretur recuperandae pecuniae amissae. Tandem horas duas ante diluculum perditis pecuniis omnibus, spoliatus omnino, nihil ut secum referret praeter inanes loculos, ut omittam jacturam pecuniarum, spoliationem auri, et argenti delati, quam moestus domum infelix iste collusor redit? quam plenus somni? quam sibi ipsi displicens? quam iratus? domum ingrediens nullum verbum facit, recta in cubiculum, dissimulare cupit, ne videatur amisisse pecunias: sed quo magis occulere contendit, eo magis malum eminet, et apparet. Nam qui constituerat se liberare tributo, aut censu, quem solvebat illis pecuniis, tanto argento, auroque perditio, videt hoc jam fieri non posse. Creditores, quos jusserat postera die ad tributi solutionem exigendam venire, dimitti vacui videntur, et inanes. Animadvertunt id domestici, actum scilicet omnes confirmant: et herum perdidisse ludo pecunias nemini dubium est. Quid deinde? Urgent creditores, promi deposcunt nummos ad sumtus domesticos: neque unus domino reliquus est, non in loculis, non in arcis, non in crumenis. Quis autem erit, qui audeat, mutuas pecunias dare, cum tributis omnes fere suae possessiones oneratae sint, quaeque cadere possint in ferias beati Iohannis, multos ante menses exacta fuisse, ut persolveret antiquissima nomina, satis hominum generi cuicumque constet? Quid remedii afferri huic homini potest? Quid familiae? quid domesticis? Hi neque edunt, neque bibunt, ut antea, neque retinere possunt honorem unius hominis peccato, per folia picta rem omnem, et supellectilem effundentis. Vxor spoliatur auro, muraenulis aureis, torque omni, vestibus pretiosissimis. Veneunt abaci aurei, et argentei, peristromata magnificentissima, multa et lauta supellex, et vili pretio, multo minori, quam aestimatur multitudo, magnitudoque rerum hujusmodi: denique tota domus ita nudata relinquitur, ac si direpta fuisset, et ab hostibus expilata. Atque haec minima sunt, si

con-

conferatur peccata, quae consequuta sunt per hosce dies, post collusionem hanc, in uxorem, in servos, in filios, in domesticos commissa. Quos neque suis nominibus appellat, neque os affert unquam nisi iracundum, nisi ferox, et truculentum: quem nemo est, qui exspectare audeat. Nihil apud illum valet matrimonii vinculum, nihil conjugii necessitudo, nihil uxoris virtus, nihil observantia filiorum, nihil tota familia, omnino morigera, et perferens tantarum miseriarum unius improbi collusoris causa.

DECIMUM EXORNANDI GENVS EX  
adjunctis, cum exemplis. Virtus adolescentis.


Quid improbe Daemon appetis? diripere vis opes, et divitias animi? sanguinem exhorbere bonorum? et odium inveteratum jam inde a ruina tua in homines habitum saturare crudelitate insatiabili? ut optata consequaris, in spe erigeris per te, per tuos satellites, animis ad divinam similitudinem factis impie nefarieque potiendi? ob eam causam insidiandi nullum tempus intermittis? turpes injicis cogitationes? pertentas dies noctesque forma muliercularum objecta proffigatarum? et lenociniis carnis, et voluptatum illecebris ignes excitas, quibus, si possis, deflagrare facias adolescentem cupidum integritatis corporis, animique conservandae? Obside illius animum, fallacias porta, adhibe machinas, contende, quantum volueris, nunquam ad tuas illum adduces voluptates: cum cilio domet, comprimaturque motus carnis effraenatos, quo carnem teneram, atque delicatam astringit, et adeo cruciat vehementer, ut exulceret, et sanguinem multum eliciat. Non vides cogitantem de poenis inferorum, de foetido, et intolerando sulphuris odore, quo libidinosi torquentur, et poenas dant gravissimas suarum libidinum, atque adeo anguibus impliciti venenatis, qui morsus efficiunt acerrimos, et discerpunt, atque dilaniant, summum dolorem faciendo semper, neque dilacerandae carnis finem faciunt unquam? Ita ignem igne extinguit,

M 2 et



et se integrum, et incorruptum conservat. Discede Daemon improbe, sine dubio adolescens vicit te ipsum, magnifice que superavit: cum te insidiantem sibi, et aditum in suum animu habere cupientem invicta virtute repulit. Quod non praeda aliquam, ut volebas, feceris, quod adolescentem integritate salva fugeris, quod ille tuum mucronem intentum retuderit, quod tu incolumem animum, quod stantem ejus sedem reliqueris, quo tandem moerore te afflictum esse, atque profligatum dicemus? jacet ille auditores optimi prostratus carnifex, et se perculsum, atque abjectum esse dolet, retorquere tela non raro constituit ad hunc animum, que ex suis faucibus ereptum esse luget: qui equidem laetari debet, quod tantam furiam, ac pestem non intromiserit in animi domiciliu. Nos caelestes spiritus laetos, et hilares hac victoriam de caelorum sedibus intueri, comparare palmam animo istiusmodi, astare ad tabernaculu sanctissimae Triados, et maxime Angelu custodem offerre tantae Majestati manubias hujusce victoriae cogitemus: qui orare ac precari nunquam desinit, ut nunc, cum maxime in gratia sui Creatoris est, adolescentem in caelorum regiones perducatur.

#### DE GENERIBVS DESCRIPTIONVM, quibus Evidentia illustratur.



Uamquam sic tractavimus descriptionem, ut Evidentiam, Demonstratione, Imaginem, et alias describendi species, atque formas hoc describendi nomine complexi fuisse videamur, ut in exemplis diversis in exercitatione propositis cernere licebat: tamen quia ab una Demonstratione, seu Evidentia, tanquam a capite pendere videntur reliqua genera describendi, nunc de formis, atque figuris descriptionum, quibus Evidentia illustrari potest, speciatim agamus. Atque illae referuntur ad Notatione, Sermocinationem, Dialogis-

mum

mum, Prosopopoeiam, Effictionem, Mimeseon. Pathopoeiam, Aethopoeiam.

#### DEMONSTRATIO CVM NOTATIONE,

-cathedra delata.

Et enim dum suffragia ferebantur in academia, dum ibas in gymnasiu, dum redibas domu, te incedere videbat omnes tristem totu, moestos amicos: et observationes, testificationes, seductiones scholasticorum, defectiones suffragatoru animadvertabant: quibus rebus ipsi candidatoru vultus obscuriores, et apertiores videri solent. Cum neque colloqui cum suffragatoribus audebas, neque quenquam in angulum separare, neque ad deambulandum, ut de scientia tua doceres, invitare, non obsecrare, no orare, ut egestatem tuam, ut annos in jurisperitia positos, ut adeptam in academia lauream respiceret. Solus fere comitatus paucis, et his corrogatis scholasticis veniebas ad suffragationes, et occulte revertebaris domum tuam: cum videremus eisdem temporibus alteru candidatum alacrem, atque laetum, stipatum choro juventutis, vallatum scholasticis, atque suffragatoribus paene omnibus, inflatum jam plane spe cathedrae consequendae, tum foedae tuae repulsae satis scientem ante suffragiorum denuntiationem flore concurrente oppidanorum suae dignitatis studiosissimorum ad gratulandum jam, et quasi ad victore nondum honore delato domum usque reducendum, inclamante multitudine comitatu jurisperitiae suffragatorum cathedram, et victoriam consequutam: qua multitudine, et comitatu dissimillimo ex genere scholasticoru ornabant honestissimi cives, qui in peristylio pro valvis academiae candidatum adversarium tuum expectabant. Vultus erat candidati plenus laetitiae, oculi hilaritatis: ut jam explorata, et domi condita cathedra videretur. Te ipsum ille contemnebat, scholasticos non suffragatores cathedrae ducebat, sed honoru de-

M 3 cur-

curfu vitæ consequendorum, et repulsam aliis in superioribus cathedris prædicebat in posterum, et seipso multo antiquioribus minabatur. Quibus rebus qui timor huic fuerit injectus, quantaque desperatio cathedrae occultis adhuc de honore suffragiis prorsus amittendae nolite a me commemorari: vos ipsi vobiscum candidatorum successus prosperos recordamini. Meministis equidem, cum suffragiorum maximam parte renuntiatur aliquis in honore cathedrae superior, id tanto celebrari gaudio, voluptateque suffragatorum, et eorum, qui candidato favebant, scholasticorum laetitiis omnibus bacchantium, ut simulatque litterae de cathedra consequuta manu Rectoris, et Consiliariorum ob signatae expediantur, priusquam secretarius illas detulerit in victoris manus tradendas, jam praecire sciatibus suscepto cursu candidati studiosos, et per vias in clamantes victoriam: ut antequam isti domum pervenerint, victoris nomine viae omnes personuerint cathedram obtinentis, et strepitu amicorum, et suffragatorum omnium ad volantium domum. Ipsi vero candidati, quonia delusi saepe fuerunt, et res aliter acciderunt, atque nuntiantur, continent se in cubiculis, et quidem oppilatis foribus, ne ludos aliquos illum scholastici faciant: donec cum litteris secretarius accedit. Qui vix pedem intulit in aedem, cum tumultuari magis omnes perstant, vociferari, clamare, et accepto testimonio rapere sublimem, et in humeros elatum deportare, per vias usitatas ad academiam usque redimitum fertis, tunicatum dumtaxat, praecedentium, et consequentium pedum, et equitum infinita multitudine. Equites cursus sursum, ac deorsum facientes victoris nomen, et victoriam in clamare, et saepe suffragiorum numerum, pedites currere, saltare, palliis sub alis projectis, aut rejectis in terga, et utrumque genus scholasticorum cum palmis in manibus, quas huc, et illuc ventilantes ostentant occurrentibus, et eosdem cogunt in clamare victoriam, atque etiam victorem eum, qui cathedram consequutus est, suo statim nomine appellando, et praecipua cum multitudine, et praestant


stantia suffragiorum. Si in quenquam adversariae partis fauore casu inciderint, sibilis, et clamoribus insequuntur. Vix apud se scholastici sunt, praegaudio, praelaetitia. Ianuas ramis cadere, percutere manibus, pulsare vectibus, atque pessulis ferreis ex itinere, certatim, atque vehementer, et festinanter. Ipse vero victor cum veste talari, atque soluta, sublatus in humeros scholasticorum, ut omnium oculis aspiciatur, alacer, et erectus huc, et illuc oculos retorques, et caput lauro coronatum gerens obviam occurrentibus, atque procedentibus demittere caput, et corpus officiosus admodum, denique in scholas deportari. In hac accedens intromittitur in gymnasium, fit plausus, et acclamatio cunctorum, et cathedrae possessionem capit de more, et instituto academiae. Quid plura? Eodem, aut diverso itinere domum reportatur eisdem clamoribus, eodem cursu, eodem plausu, et acclamatione: in qua de lustratione vespertina, maiore pompa, et apparatu, ad cohonestandam decorandamque victoriam praestiones fiunt, et habentur conventus maximi.

**DEMONSTRATIO CVM EFFICTIONE,**  
in adventu Archiepiscopi, tum primum  
ingredientis in habitum, et formam  
Cardinalis in ecclesiam.

**I**ngrediuntur tadem portionarii, et canonici omnes templi maximi, praeebat signifer sanctissimae Crucis, administri illustriores Archiepiscopi, atque id temporis Cardinalis: qui primum hac tanta die post Purpuram delatam ecclesiam intrabat, et ob eam causam insignibus Cardinalis veniebat ornatio, quam alius ante diebus, iam alia specie, tamque splendida, galero caput ornatus, barbaque maiore, ut ornatu, atque colore denotare omnibus Cardinalis dignitate, et ostentare Patris Purpurati maiestate videretur. Ille omnibus ad illum invisendum sese effundentibus, et in ecclesia ad veterum expectantibus signum sanctissimae Crucis gravitate in credibili retenta, maiestateque celsissima, ad extra

et a sinistra stantibus impertiens excipitur ab universo clero magna laetitia, incredibili voluptate, a cantoribus, vocu suavitatem, tota tibi arum suo tempore cantibus ecclesia personante. Omnes, qui in oedeo erant, sedentem tanta cum maiestate, tanto purpurae splendore fulgentem videndo, respiciendoque non satiabantur: multi, qui serius venerant, aut praemultitudine videre non potuerat, locum, et occasionem quaerebant, ut de foribus expectarent. Tanta fuit illius diei laetitia, et concursus maximus, cum primum purpura fulgenti ornatus in ecclesiam venit.


## DEMONSTRATIO CVM MIMESI.

 Vid est, quod hac tanta de re vobis videri possit: profecto si recte vestram dignitatem, atque praestantiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri. Primum verbis oportet allicere scholasticum, deinde si latitare, ac saepius abesse persistit, parentes convenire, quaerere, qui depravent adolescentem, saepe renuntiare domum, deductum a parentibus hortari, rogare, seipsum respiciat, quibus parentibus ortus, quantum Deo immortali debeat, qui tantum ei ingenii dederit ad litterarum studia, tot voluerit eundem ad litteras, et ad virtutem habere adiumenta, praesidiaque naturae, ad extremum minitari, flagris caedere, dicere, si opus fuerit, parenti, puerum concludat in cubiculum, in compedibus aliquot dies esse cogat, ne diem, ne lucem aspiciat. Si fuerit opus, ex domesticis ad illum adeat nemo: quin praefinito cibus inferatur, atque ille non usitatus, non quotidianus, quem filii capiant, sed quem servi, quem ancillae: et pane, ac frigida nonnunquam discat tolerare famem. Vestes optimae adimantur, neque, quas solebat, induat sericas, sed discerptas dilaceratasque. Denique tanquam ex illis parentibus non natus, sed ut subditus, et qui, cum collibitum fuerit, quod miseri-

cor-

cordia tantum alitur, excludatur foras, et ejiciatur in viam, ut abeat quaeritatum, et corrogatum victum: ut malo saltē respiscat, qui nunquam sapere didicit blanditiis, indulgentia, monitis, et tolerantia longissimi temporis: patris enim benignitate depravat' eo progressus fuisse videtur, quo nemini concedendum est, quo non audeo dicere. Quid ad haec parens? ridet scilicet nostrum consilium, qui in parente adeo leni, et filiorum tantopere suorum amanti rationem summi officii desideremus. Quid mihi, inquit, cum ista summa severitate, ac durezza? coluerint doctrinam istam severi parentes, de me autem aliud habebunt, non qui filium a me abstrahā, sed quibus rebus retinebo, quaeram, et quemadmodum indulgenter tractandus, et quo pacto modis a me sit omnibus explendus. Memini. Vetus est de iniquo parente sermo, qui omnia moderetur ex libidine, quae nunc est, non quae quondam fuerit, tum cum adolescens erat: ut quidquid collibitum fuisset, faceret. Haec equidem parentes aliqui, si verbis non solent, requidem palam loqui videntur.

## DEMONSTRATIO CVM DIALOGISMO, in adolescente deterrimo per ironiam.

 Ta credo adolescentem bonum, divinae legis observantem, virum religiosum, litteratum, magistram ordinis metuebas: aut non audebas adire. Saepe ut fit, cum ipse te confirmasset, cum statuisses rem omnem ad illum deferre, cum paratus, meditatulusque venisses, adolescens timidus, virginali verecundia, subito ipse te retinebas: excidebant statim verba, cum cuperes aliquid efferre. Non id occurrebat praemagistri gravitate doctissimi. Id erat, credo, adolescentem istum, quorum auctoritatem semper, et facta contemserit, eorum vultum, et ora subire non ausum fuisse. Audiamus sermones istius, cum parente, cum praepatore collatos, et illo nequiores, et im-

N pu-

pudentiorem fortasse reperiemus neminē. Quid tibi, inquit pater, tantum sceleris, o fili, ut neque virtutem colere, neque fratrum similis velis esse? tum filius iste, qui tacere, qui nullū verbum proloqui debuisse. Quid tantum sceleris suscipio, pater, quod mihi, quod valetudini consulo? quod me hominem praebeo? neque similem fratrum, quos si imitarer ego, stipes dicerer, ac truncus, nescirē loqui cū hominibus, neque cum illis versari? Virtutē appellas, quae rogat? fuerim nō respondere? vis me obmutescere? dicar lapis. Quorsum ab immortali deo lingua? quorsum os nobis datum nisi loquendi, et sensa nostra explicandi gratia? pater, illud cum audit a filio sibi responsum dari, cum audaciam libertatēque loquēdi videt, quid ait? Magis mi fili laudareris, et ornareris ab hominibus, si contineres linguam: cum a iurgiis, ab injuriis, a verbis turpissimis omnes abstinere debeāt. Ecce os filii. Adolescentum esse respondet, par pari referre, quod mordeat illos, qui secum verbis, maledictis que certant. Cum verborū impuritates iterum, atque tertio pater objiceret, liberius terter filius respondere pergit, blāditiās esse suavitatesque verborum, quae ex ore exeunt, neque pervadunt in animum, atque istud esse hominis. Cum addit, refert que pater necessaria verba, filius. quid ni? is nominat tum adolescētes illius temporis, qui nobiles habeantur, qui sui studiosi sint, qui illum quaerant, ubique investigent, et percontentur de loco, si statim non appareat, ubi cum invenire possint: atque id nō alio spectare contendit, nisi quod seipsum dignum suis sermonibus, dignum familia, familiaritateque putent, se urbanum, se aulicum dicant. Cum videt pater filium impudētiaē suae neque pudētē exitum quaerere, sed laudare, quae nemo non vituperet, avertit oculos, et terga vertit, ne quod detur in manus, id a se dimissū in os, et caput involet impudētis filii: mittere decernit famulos, et hominē suae domus oeconomū ad praeceptorē, qui coerceat audaciā, et vitia improbiissimi adolescētis supplicis acerbissimis afficiat. tūc fili? nihil sua oe-

cono-

conomū mitti, adire, cōvenire magistros, nihilo fecius, sed liberius, et audacius respōdere, se neq; puerū esse, qui vapulare deberet, neque si vellet, aut tentaret praeceptor, se esse permissurum, atque daturū sibi poenas scholasticū, qui sui quidquam jussus a praeceptore tetigisset, et inauditum facinus post cōditam academiam se suscepturum esse. Faceret, quae vellet, pater, et quae vellet, se facturū esse filiū, se os praeceptoris ostensurum esse, quod ostendisset semper. Audacter nimis respōdit, et impudēter: et fecit ita. Itaque cū filii crimina oekonomus ad praeceptorē derulisset, audiēte oekonomo reprehēdētē praeceptorē ridebat filius nequā, unū si praeceptor faciebat verbū, reddebat alterū iste bonus adolescēs. Itaque jaciēdis retorquēdisque telis plurimū tēporis consumtū est: atque cū illo rationibus cōtendere supervacaneum erat. Ad summam impudētiaē liber solutusque perferri diu non potuit: quam ob rem brevi postea dimissus est ab scholis, et de catalogo scholasticorū deletus. Bene profecto, et naviter impudentem esse oportet, qui semel verecundiā fines transierit.

### DEMONSTRATIO CVM PROSO-

popoēia in Daemonem, lucis Angelum

ementientem.

**E**Cce cuidam adolescenti conscientiam excutienti suam. Evissus est Daemon hora decima noctis, quod tēpus proximum est ad cubandum: atque ille non terrificā facie, atque figura, flammis ardentibus circumfusus, totus exhalans odorem tererrimum, cujus aspectu concidisset humi derepente mortuus adolescens, fractus atque debilitatus metu, nisi Deus robore divino munisset, et confirmasset illum ad resistendum eidem: sed indutus formam splendentis Angeli, illustri figura praeditus, et eximio splendore illustratus, in caelestem quasi habitum, atque speciem tantam. Quid

N 2

pu-

putas ab inferis exeuntem de caliginoso carcere se diciturum esse juveni, facta, dicta, cogitationesque recordari studeri, et quas suscepisset, maculas laves, et capitales dolere cupienti: nisi quae sequuntur verba? Quid tibi adolescenti tantae curae sit commissa peccata quotidie in memoriam redigendi non video. Non satis est, cum te compares ad expiandam conscientiam per confessionem, ut memoriam excites ad peccatorum recordationem, et animum ad eorundem acerbissimū dolorē? Istud est urgere te ipsum, scrupulis velle premere conscientiam, et in angustias tantas adducere, ut instituere te ipsum nequeas ad res alias cogitandas, et agendas. Atque illa cum versentur in animo, tum inferorum poenas quotidie versari ante tuos oculos putes, et ob eam causam moestum, et conturbatum te aequales tui videant, et a seipsis, quantum possint, amoveant, et ejiciant. Qui neque verbum proloqui audeas, neque cum eisdem libere vagari, non colludere, non tempus dare delectationibus, et jucunditatibus adolescentiae. Si sunt peccata capitalia, cū tibi certum sit ac deliberatum ea expiare, cum primum ad confitendum accedas, molestiam exhibebis animo plurimam recordatione quotidiana, frequentique renovatione: si vero levia, nullū etiam recordans, aqua lustrali, semel implorato Christi nomine, una percussione pectoris, et aliis rebus minimis delebis omnino. Quod si excidissent e memoria graviora peccata, nulla lege astringeris ad illorum expiationem. Atque plus est immortalī Deo misericordiae, qui non astringit hominem ulla necessitate recordandi, etiam illa, quae oblitus fuerit, capitalia: cum ea recordari nō in sua potestate sitū sit, postquam ille ad recordationem, quantum in se fuit, incubuerit. Atque eo spectaret confessio, ut alligaret animos magis, quam levaret, atque solveret: quae est scelerum in Deum atque flagitiorum admissorum expiatio.

OFFICIA DEMONSTRATIONIS.

QVAM.

**Q**VAM quam nullum est officium, quod Demonstratione facere non possit orator, et illorū multa videre facile sibi fuit decursu praeteritarū exercitationum, sed quia cum speciatim tractantur, et facilius imprimuntur, et magis cōstāter inhaerent memoriae, retinenturque diutius, ad exercendam, excolendamque vim ingeniorum, nonnulla commemorare statutum nobis est, atque deliberatum ab hac ultima parte Demonstrationis. Neque quibus unumquodque figuris facturus sit orator, ordine persequemur, sed ex ipsis exercitationibus, colliget appetēs eloquentiae, quas in singulis generibus, pro tempore, proque rei describendae natura, adhibere dicentem oporteat: ut ex his intelligat, quem locū habere queat ejus generis, quo de nunc agimus, in oratione Demonstratio. Haec autem nulla fere in parte non dominatur: hac enim laudamus, vituperam<sup>9</sup>, precamur, adhortamur, delectamus, deterremus, accusamus, movemus, minamur, odium, invidiam conflamus, afficimus auditores, confirmamus, augemus, laetamur, moeremus, et aliis variis, et diversis muneribus fungimur. Sed primum a laudandi munere exercitationes ordiamur.

MVNVS LAVDANDI A DEMONSTRATIONE in Romanorum Imperatorum laudem.

**N**ON istud est silentio praetereundum, quod multi de suis Imperatoribus historici Romani narraverunt: qui cum devictis hostibus, captis provinciis, et in ditionem imperii sui redactis redire dicebantur, ex populis, ex oppidis, ex civitatibus amplissimis, quacunque Imperatores praeteribant, homines innumerabiles cujuscunque generis, ordinis, et aetatis, qui sensu praediti fuissent, et ulla ratione mentis, se se effundebant. Videre enim erat victorem gentiū, atque nationum domitarum Imperatorem, quacūque iter fa-

ciebat, iucundissimum spectaculum victorum, captorumque hostium praebere, Ducum praefertim ad currum alligatorum quiq; magis insignes, et singulares erant hostes, hos magis designari, ut ab hominibus internosceretur, ac ne ullo modo ignoraretur, aliorum vociferatione, suis appellari nominibus. Quos vinculis astrictos, oneratos ferro, prae pudore dejectis oculis in terram intuentes, majore videndi, cognoscendique cupiditate cuncti flagrabant. Omnes laudare virtutem Ducis, efferre victoriam, dicere, nullum testimonium esse victoriae majus, neque praeclarius, quam quos hostes habuerit populus Romanus, quibus cum praeliatus fuerit, eos victos ad triumphi pompam, et spectaculum apparatusissimum, tantis plausibus hominum, et approbatione duci.

#### ALTERVM EXEMPLVM IN APOSTOLORVM LAUDEM.

**C**um per tempus illud Apostoli terrarum loca, quae sortiti fuerunt, peragrarent, quis non accepit, quem admodum innumerabiles viri, atque mulieres ad illos accedebant cum filiis suis, et cum universa familia, et ipsos suam salutem appellando, Idola pestem animorum dicendo, eadem in Apostolorum oculis non execrabantur solum, sed Iesu Christi Fidem appetebant, et quidem ad Apostolorum pedes provoluti, precibus multis, et lacrymis orare non desistebant, atque obsecrare, ut illos statim sine mora sacro fonte abluerent, nec a se paterentur illos abire nisi Christianorum insignibus ornatos? Quid, quod tantum spei habebant in illorum virtute, tantopere etiam auctore Iesu Christo confidebant, ut pueros mortuos afferrent, aut agentes animam, vel omnibus remediis humanis frustra tentatis desperatos iam, et omnino deploratos, ut a mortis imminenti periculo liberarentur, pro certo habentes, futurum, ut ope ejusdem Domini, cujus ipsi Apostoli Fidem enuntiabant, aut aegroti valetudinem recuperarent, vel a mortuis ad vitam revocarentur?

TER-

#### TERTIVM EXEMPLVM DE MARTYRVM LAUDE.

**V**idet igitur Martyr praefectum ad se ingredientem, et eidem nimis atrociter minitantem, flagris se discerpendum, dilacerandumque crudelissime. Magnas agere Deo gratias ipse Martyr, ejus benignitatem, et misericordiam laudare, qui sui non fuisset oblitus. Ipse Praefectus magis inflammatus scelere ac furore irasci, ardere oculi, et toto ex ore crudelitas emicare. Expectare Martyr, quo tandem progressurus esset, et cupere vehementer, ut initium caedendi faceret. Iam igitur adstat carnifex cum virgis, quas ad cubitum usque nudatis brachiis intetare incipit, et oculis ipsis opponere. Praefectus Martyrem corripit, atque in medio atrio nudari, atque deligari jubet, et virgas statim carnifices expedire. Martyr Christianum sese, cultorem esse Fidei Christianae, suscepisse sacra Religionis Christi Iesu, profiteri, palamque testari Fidem, atque Religionem tantam non desistit. Praefectus jubet Martyrem vehementissime verberari: ut videret, mediis ne in flagris eandem Fidem profiteretur. Caedebatur virgis magis, ac magis, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius fortissimi Martyris inter multitudinem, diritatemque flagrorum audiretur, nisi haec. Christianus sum. Hac in testificatione omnia se verbera perpeffurum, cruciatusque in corpore toleraturum proclamabat, et magis laetus atque hilaris, quam si vestibus pretiosissimis, aut Magnatum insignibus ornaretur. Id cum saepius, et semper Martyr testaretur, neque vim virgarum sentire videretur, et imploraret nomen Christi Iesu, usurparetque Fidem suae Religionis: crux, crux inquam, inquit Praefectus, pertinaci homini, veneficoque, cujus veneficiis, et praestigiis factum est, ut verberum cruciatus, acerbiterque non sentiat. O dulce Christianorum nomen. O vim Fidei nostrae maximam. Hucce tandem omnia reciderunt, ut deligati Martyres acerbiter omnem contemnunt virgarum? verbera nec minimum de sua sententia abducant? Idem futurum proculdubio, cum ignes, caedentesque laminae

N 4 om-

omnesque cruciatus acerbissimi pectoribus admoventur. Nihil ad Martyrum laudem majus, neque praestantius addi potest: quam in hominum natura imbecillitatem humanae conditionis visos fuisse non habere.

OFFICIUM VITUPERANDI IN MILITE deterrimo.

**I**nterea iste miles, tãquam vir fortis, gladio accinctus, oppidulum adit, in aedem quandam ingreditur, familiam inopinantem ingressu repente perturbatam, quae nunquam insolentiam, et fastidium subire consuevisset, verbis male tractat, et filium defendentem suos ejicit domo, focisque patriis praecipitem exturbat, ipse totius domus amplissimae fit dominus. Qui domum non habuerat ullam, erat, ut fit, insolens in aliena. Lectum sterni sibi jubebat, coenam faciendam lautam, et opiparam imperabat, non pauca suis commilitonibus large effusaque donabat, denique cuncta fortissimorum virorum esse dicebat. Quod vicinis usque eo visum est indignum, ut vicinia tota voces, clamoresque tolleretur, et simul cum armis praecunte filio domum concurrerent. Etenim multa simul ante oculos versabantur, caecus, ac furens militis impetus, ejectio, deturbatioque filii splendidissimi, totius familiae confusio, perturbatioque miserrima, imperium, et dominatio militaris, et in aliena domo intoleranda jactatio, in bonis omnibus, fortunisque furiosa plusquam tyrannica exultatio, flagitiosa possessio, rapinae, donationes. Nemo erat, qui audaciam militis, et furorem comprimendum non decrevisset: nisi Dux adesset statim properans, et accelerans, et palam clamans, se ulturum in unius familiae honestissimae, splendidissimaeque bonis, jactantem se atque dominantem insanum, et furentem militem.

AL

ALTERVM EXEMPLVM, DE PRAETORE male officio suo fungente.

**T**E flagitia hujusmodi suscepisse? te furta, rapinasque fecisse innumerabiles? bonis evertisse plurimos? affixisse, et perdidisse in perpetuum? exhaustisse domos locupletissimorum illis fascibus atque insignibus, quae data tibi fuerunt ad justitiam servandam? Pecunias omnes cogeres, quibus modis, quibus rationibus poteras, per vim, per injuriam maximam? Itaque tanquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemque pervasisse contendant omnes?

TERTIVM EXEMPLVM IN VNIVS pravi hominis actionibus.

**S**emma illuc pertinet, ut sciatis, ex quo genere iste sit: ne diutius in tanta penuria virorum optimorum talem correctorem, et emendatorem vitae ignorare possitis. Non ad Divi Ermenegildi fortitudinem, neque ad tanti Regis exemplar, ac despicientiam rerum humanarum, neque ad ejusdem in Deum optimum, atque maximum caritatem eximiam, atque singularem, neque ad illorum, qui sanctorum itineribus contenderunt, doctrinam, neque ad Iesu Christi consiliorum rationem, neque etiam ad omnem benevivendi vim atque virtutem, sed ad alium modum, moremque vitae retinendum conservandumque potestis agnoscere hominis facta, quae maxime sunt vitae profligatae testimonia clarissima. Perspicite, quas progressiones, et exitus ad mortis usque tempus habuerit. Ad mollitiem omnem corporis, et ad imbecillitatem, muliebremque naturam propensus ferebatur, molles omnes, et effoeminatos amabat, quorum iidem mores, atque haec naturalis esse inclinatio propensioque videretur.

O Nul-

Nullus equidem homo modestia, gravitate a natura insita praeditus sibi placebat unquam, quo cum aliquo tempore partem aliquam diei poneret. Ita vivebat iste bonus vir hybernis temporibus, ut illum non facile non modo extra lectum, sed neque extra lectum quisquam nisi post horam diei undecimam viderit. Atque illo saepius fergebat tempore, cum iam appropinquare videbatur hora prandendi: quae dum adesset, componendo, et ornando corpore, tanquam mulier detinebatur, et fervos, et ancillas omnes, illa petendo, et alia expectando, multa effutiendo, occupabat. Hic thoracem, ille tunicam manicatam, alius collare candidum, atque alii balthum, et speculum tenebant, aut mantile suspensum de humeris cum aquali, et paropside argentea ad abluendum os, et manus, et ad aquam urbane admodum excipiendam. Cui autem se induisset, fere semper donec accerseretur ad prandendum, in stabulo commorabatur, equos perlustrans, atque respiciens. Quod si necessarium negotium urgeret, exhibat foras necessitate coactus, frigoris perferendi valde cupidus: cuius usque eo se praebat patientem atque tolerantem, ut cum matutinis temporibus nemo unquam in equo sedentem viderit, sed ut mos est mulieribus istud aetatis, quadrijugis, aut lectica vehebatur, in qua pulvinus erat perlucidus, mollissimo gossipio infertus, et quidem pellibus murinis corpus indutus, in capite gerens galerum plumis versicoloribus ornatum, in manibus chirothecas, ne minimam frigoris appulsionem sentiret, et totus inclusus in lecticam cortinis adductis, atque pendentibus, pallio faciem, et os obtectus, quod saepe gerebat super tunicam talarem, quasi iam infirmus, et imbecillis, et exacta iam aetate, et perdita valetudine senex. Cum ad locum constitutum venerat, nisi domum aliquam ingressurus esset, ad plateam scilicet, ad forum aliquod, in eo inspectante multitudine de lectica loquebatur, negotiabatur, hos accerserat, illos dimittebat, alios revocabat: veniebant noti, atque amici sui, accedebant ad lecticam,

cir-

circumsistebat, et ad voluptatem omnes, quoniam nobili genere natus erat, loquebantur. Vbi negotia sua confecerat, revertebatur domum, incitatis ad celeritatem equis: in quam ingressus continuo ad ignem accensum, Cereri, atque Bacco dandum tempus advenisse clamans prandium deposcebat, et quae fuissent inferendae, dapes jubebat introferri. Non accersita matre, non expectata avia (nam parente a puero orbatus fuerat) ipse decumbebat, et faciebat initium prandendi. Non praetermittenda videtur insignis adolescentis vorago veteris foedisima, ad quem complendum non fructus, qui caput erant prandiorum, non assae carnes, non artocreata, non carniū multitudo coctarum sufficere unquam potuerunt. Quod portentum, et prodigium videri debet, cum nunquam exiret de cubiculo mane, quacunque hora surrexisset, quin jentaculum sibi apparatus daretur: quod splendidum una perdice, aut ave altera, assa bene, beneque tosta cum frustulo petalonis semper ad avem accedente praebendum erat. Patinae autem inter quas interjectae escae huiusmodi inferebantur, sic inanes atque vacuae, purgatae, atque aequae absterisae referebantur, ac si canis ossa corrossisset, et patinas linxisset, et lambisset omnino. Erant prandia illius non silentio, neque eo pudore, quo in parentum conspectu versari filius debet, sed cum multa cachinnatione, cum maximo clamore, atque convitio, si pueri non adessent, et non ministrarent ad nutum. Nonnunquam res ad iracundiam, et ad furorem veniebat: iste enim bonus filius, et matri morigerus, et obsequens, cuius nunquam aspectum, neque praesentiam verebatur, illis pueris administratoribus maledicebat, citius dicto manu in caput, et in faciem patinam non raro immittebat. At injiceret manus mater, retineret brachium: vim in illam omnem suam conferebat statim. Neque mirum, qui sic plenis poscebat poculis, sic se vino saepe obruebat, ut aliquoties cohaerentia non loqueretur, non unquam non ederet distinctos vocis sonos, prae rapida, et incitata celeritate loquendi, saepe de mensa surgens, et ex omni par-



te labantē corpore, cū pedibus se suis sustinere nō posset, hūmi caderet resupinus, et ad multum tempus, fusus sine mēte, sine ullo sensu jaceret: ut qui conspexisset, non se nobilis viri filium, sed heluonem, et ebrium videre arbitraretur. Sic illum sine mente, sine iudicio domestici saepe sublatum manibus deportabant in lectum: ut edormiret crapulam, et exhalaret. Hanc ubi ille edormierat, quod tēpus in negotiis agēdis, et studiis equestribus nobiles viri consumere consueverunt, propterea quod tunc putant communis officii, et elegantiae causa, aut obeundas esse necessariorum, aut sui generis equitum aedes, aut in curriculo communi cursus faciendos, aut spectandos, aut se domi continendos, quod, et a nobilibus viris inuisuntur, et adventus multorum expectantur, et domi se esse oportet, ut illos excipiant, neque officio suo desint, et quod proprium est nobilium, ut elegantiam, et splendorem suum nulla officiorum ratione desiderata tueantur, tum iste novo quodam officiorum genere nobilis, et illustri vir utebatur, et ampliore suarū aedium cubiculo prunariis duobus accensis, mensam tapetibus sterna sericis imperabat, et cum ad pedes unum horum subjectum haberet, cū sua toga talari, et imposito pallio, diductis cruribus fasciculum lusorium agitans atque versans, et folia foliis commiscens expectabat sui non dissimiles moribus, studiis, et affectionibus congruentes. In hoc autem cubiculum aditus erat nemini, nisi qui studiosus pictarum chartarum, aut socius, aut administrator libidinum fuisset. Huc omnes collusores, quibus iste consueverat, concurrebant: quorum incredibile est, quanta sibi fuerit nota multitudo. Huc homines digni istius amicitia, digni vita istius, flagitiis que conveniebant. Huc etiam ingrediebantur illi, quibus cum libidinum suarum turpitudines, et obscœnitates cōmunicabat: quibus cum noctes, ad primam usque, vel secundam horam, post mediam noctem coenatus, atque repletus obibat domos perditarū atque profligatarum mulierum. Inter quos viros intemperatissimos


libidinum, et ludorum suorum scientissimos, nunquam non fraterculi versabantur: ut eos etiam si natura a fratris similitudine abriperet, consuetudo tamen, atque vitia in fratris similitudinem, moresque nefarios deducerēt. Quos cum mater, cum sorores castissimae, et honestissimae, a cubiculis huiusmodi abducere conarentur, ipsae simul atque despicerent, et alias res agerent, filii in locum ludendi revertebantur. Offendebantur, molesteque ferebāt mater, atque sorores, neque quid agerent, sciebant: rem omnem deo, quem orabāt, ut sanam aliquando mentem perditio filio daret, commendabant. Interea ludebatur, clamoribus atria personabant, et de lucris factis pecuniae intercipiabantur, hae ad vinum, illae ad fructus. Edebatur, potabatur, et cū cachinnationibus ad multā usque noctem foliorum ludo nunquā intermisso: donec coenandi tēpus erat. Atque ad coenā invitabat aliquos ex his, quib⁹ cū ad libidines suas explēdas, quae praedixim⁹, noctiū tempora consumpturus erat. Quibus cum quoniam non discumbebant mater, neque sorores propter honestatem, et pudicitiam, quas coenas putatis esse, nisi Centaurosum, nisi Lapitharum, nisi Epicureorum: Cum audirent vicini amplitudinem illius palatii percrepare totam convivarum vocibus, et parasitorum cantibus turpissimis, in superiore, mihi credite, aedium parte, ubi cum sororibus mater erat, magnū illae sensum ac dolorem ex convitiis, ex impurissimi filii libidines acciperent. Illae dolere nequitiam, et turpitudines filii, dicere se infelices, et miseras, quae tam improbum, tam sceleratum fratrem haberent, nunquam sane desisterent. Quemadmodum autem idem nequam, atque detestabilis homo Coenatus, atque potus exibat foras in aedes nominatas mutato vestitu, brevior pallio, obvoluta facie, cum gladio, atque sica, comitatu nonnullorum? Istud incredibile cuiquam legētium videbitur, sed ita factum quidē ab hoc fuisse sui amici iactitabant. Itaque quamquam magna fuisset ille corporis, et virium imbecillitate, tamen ad magnitudinem fri-

gorum, ad tempestatum vim, et imbrium, nullum magnum sibi remedium comparabat: sed quasi hic situs, ac natura esse loci, caelique videretur Hispalensis, ut nullum tempus fuisset, magno intolerandoque frigore, ita quomodo diximus, et cum femoralibus fericis, quae frigus penetrare necessarium erat, plurimas noctes peragrarer vicis, et obsidere domos mulierum turpissimarum non desinebat. Ita duo contraria, maximeque infesta in istius hominis corpore, naturaque dominari, et frigus, et calor videbantur: nam diu frigus perferre non poterat, nisi quomodo praediximus, ille vestitus exiret foras, nocte patientissimus videbatur, ut se patientem temporis injuriarum hyemalis usque eo praerberet, quoad perferre naturam hominum vix cuiquam credibile sit. Cum vero post maximam partem noctis in his libidinibus consumtam, demum revertebatur (multas horas ante dormiebant omnes) ille pseudothyro ingressus cubitum ibat. Iacebat autem in lecto ad medium usque diem: ut dies istius hominis foedi, atque flagitiosi, noctes turpiores essent, atque foediores. Quare desinite quaerere, an audiret sacrum, an cogitationem aliquam de Deo susciperet: is quidem erat, ut nomine Christianus, moribus expertus Fidei videretur: quod exitus miserabilis hujusce adolescentis declarat. Nam exeuntem ab aede quadam, non multum spatii progressum, nihil mali id temporis suspicantem, jam jam deflectentem ad viam angustam, et flexuosam, qua brevius domum recipere se solebat, cum focii, cum famuli aliquo intervallo a tergo mansissent, qui internosci non poterunt, pugionibus confossum, in media via jacentem, atque mortuum reliquerunt: quo cum pervenissent iidem focii, famulique, comitem, et herum interfectum, multis plagis ac vulneribus confectum, totum foedatum ac deformatum agnoscunt, et illum comportant moesti, flentesque domum. Qui tunc fletus, qui ejulatus mulierum, cogitate. Neque tam occisum, quam, ita miserabiliter necatum lugebant: nam jam diu hac suspitione matris, atque sororum percellabantur a-

nimi, fore, ut tam perditus homo hos tristes, et exitiales exitus haberet. Mater quam eo casu anxia, vehementerque confictata? sed quae prudens erat, represso fletu filios accersit, jubet ab illis aspici fratrem multo manantem sanguine, et vulneribus confectum mortiferis: quo ludi, quo mulieres, quo libidines illum perduxerint, intueantur, atque considerent: ut qui illius facta imitentur, ejusdem exitus perhorrescant.


## EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS

in adhortatione de vanitate rerum  
humanarum.



Erte tuum in omnes partes animi cultor Christianae Religionis, cogita de rebus humanis. Quid precor habent periturae divitiae? quid honores a Regibus delati? quid insignia dignitatum? quid cognomenta? quid imagines? quid Magnates cum suis dirionibus? quid vultus, et ora hominum in te conjecta? quid tota species, et apparatus saeculi? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta mortalium, et quasi Christianae Religionis expertium, in hoc saeculo cognosci vellet, tenere dominationem, ante oculos, et ora hominum cum imperiis, et honoribus volitare: quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil, quod referre ad animorum utilitatem possis, si te populis, et nationibus, nihil Dei obsequium curans venditare volueris. Ita sunt gerendi Magistratus, ut habeas rationem animi, voluntatis divinae, gloriae caelorum.

ALTERVM EXEMPLVM, IN AD-  
hortatione, de felicitate bonorum.



Idete nūc eos, qui a Deo propter virtutem in suam fuerunt amicitiam accepti, quanto maioribus ornamentis ipse Dominus afficiat, quā sectatores hujusce saeculi affecti sunt: quibus Reges amplissimos honores tribuerunt. Vult Deus optimus ac maximus eos habere facillimum ad se aditum, et ejusdem adeundi conveniendique potestatem ita factam esse, ut tanquam delicias, et suavitates suas in sinū, cōplexumque velit accurrere donis indes, et muneribus maximis afficiendos. Dat praeterea potestatem petendi, quod velint, et ad Dei gloriam pertineat, pollicitus sine dubitatione, quidquid optaverint, impetraturos: ut animi sui virtutum multarum cumulo praediti habeant, quod communicent cum aliis, et tanquam abundantes caelestium divitiarum tot opes atque thesauros, et illam tantam magnificentiam, et eminentiam impertiantur: et fulgeāt, et eniteant lumine divinae claritatis, clarius Solis splendore collucētes. Idē etiam Dominus tam firmas radices agere suos cultores, et tā late propagare facit, ut nulli turbines, neque procellae, nulli ventorum flatus vehementissimi, non si principes inferorum, et furiae taedis ardentibus incitatae Acherontis exercitus, et copias innumerabiles ad illorum pestem, et exitiū excitaverint, eos de statu divinae gratiae, quā collegerūt, dejiciant. Deinde firmat praesidiis aliis, et opibus munit maximis, custodia, vigilantiaque Angeli ad asservandos, et in officio continendos bonorum animos Sacramentis Ecclesiae, beatorū precibus, accessione novae gratiae, et cumulo caelestium ornamentorum: ut se se Deus in bonos effundere, et suorum bonorum aerarium ad illos augendos cumulandosque divinitus exhaurire velle videatur. Denique morientibus ipse Dominus adest maxime praesentia saepe Sanctorū, quibus dediti praecipue fuerunt, dum vixerant, et numine Filii sui caelesti, astantibus non raro Apostolis, et Matre Iesu Christi Virgine Maria praesenti, laetos facit, et hilares dis-

ce-

cedere de saeculo, et spe quidē erectos prope explorata caelorum gloriae consequendae. Itaque non illos mori dixeris, sed in suam patriā immigrare: ita certi de salute, quasi pen- nis in sublime elati in Beatorum sedes evolare vidētur. Hinc equidem facile persuadere possum, quantum Dei amicitiam oporteat nos homines acquirere:

## EXEMPLVM DEMONSTRATIO-

nis ad conjecturam, in caede facta.

**C**VM ille non inventus fuisset cum gladio stillante sanguine, sed recondito jam in vaginam, quasi nullius mali auctor fuisset, nec affinis culpae tā miserandae caedis, quaerere homines de interfectore coeperunt: cū nemo de illo suspicaretur, neque de causa hominis occisi, cumque nullam reperissent, tum unus de circulo. Et quidem ego culpam in aliquē derivare possem, qua ille, si non omnino interfector appareret, saltem veniret in suspicionem hominis interfecti, cujus de morte nunc quaeritur: sed nolo mea causa commoveri suspicionem, nec malum creari cuiquam, qui tacet modo, et nobiscum est. Seipos intueri homines, et singuli maxime os, et faciē inspicere praesentium, et quasi per jocū, et per ludū aliis alii dicere de praesentibus, quis rubebit prius? quis ore se prius indicabit, quam iudex de crimine cognoscat, cum crimen ad illum delatum fuerit? Mirandū visu, qui tunc aderat, haerere Martinus, aversari, rubere, quod sibi ipsi conscius erat, et hominem non ex ore suo, sed praedicientis similem loquutum fuisse cōscientia stimulabat: ut res quam maxime clara ac testata esse posset. Tunc propinquus hominis interfecti in iudicium Martinum vocare, testes ruboris, et haesitantiae praesentes proferre, confirmare causam inesse suspicionis alicujus in rubore, cogere praesentes testimonium dicere. Fit maximus concursus hominum, et quod erat Martino cū homine occiso maxima familiaritas, sum-

P me

me exspectabāt homines, quid testes producti in testimoniā dicerent. Testimoniū dicit testis unus hujusmodi, se ab hinc uno mēse istius accepisse Martini litteras, in his litteris multa esse signa mortis appetitae: ipse hoc animadvertere maxime Praetor incoepit tēpus, cum Martinus scripsisset hunc non diu versaturum inter vivos, atque quod praesens est, et de quo per litteras acceptas constat, sane tempus esse, scilicet mēses, qui praefiniti fuerāt morti faciēdae, duos adesse. Clamare accusatores, atque viri de familia hominis necati, nullum relinqui locum dubitandi, Praetor instare, ut comprehensus responderet reus, quid istud esset litterarum? quid verborum? videret litteras, recognosceret manum, auctorem teneri, ipsum maleficio, et mortem latere nō posse, quae litteris ipsis tam perspicua videretur. Atque illum inopinato casu, modo tam insolito caedis patefactae, et jam suspendii, quod sibi paratum videbat, metu, consciētiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix vivum aspiciebant, et aegre trahentem animam. Cū igitur exemplum litterarum in foro, summa hominum frequentia legeretur, omnia conferebantur, quaeque ad suspicionem plurimum augēdam cōcurrerant: rem ita sese habere dicebant omnes, ut sine dubitatione capitis damnaretur reus.

ALTERVM EXEMPLVM CON-  
jiciendi, de Rege Balthasaro.

**S**iccine Balthasarus ridere, cachinnari, heluari, potare, vasa templi polluere, et ad turpes usus conferre non destiterit, et tantopere violare Majestatem divini numinis? et publice injuriam immortalī Deo facere? nihil ille putabat Deum curaturum esse, vel obliturum potius, qui nullū impune permittit abire facinorū, omnia scelera ulciscitur, et vindicat gravissime. Cum gaudiis, atque laetitiis omnibus gestiret Balthasar, ecce insperatum malum, repentinum supplicium, vis  
ipsa

ipsa divini Numinis, praesentia tantae Majestatis, gladius sempiternae Iustitiae jugulo imminere visus est scelerati Regis, atque manus una suis digitis incidens, et exarans litteras horribiles, atque formidandas magnopere, praenuntias imminētis, vel praesentis potius supplicii gravissimi. Intuere Rex improbe manū, inspicere digitos, et cachinnationes, perpotationes, cōvivia omittes. Intueri miser, et oculos in manum tollere, et statim aspectu terrifico facies, et ora Regis albere, tremere Rex ipse totis artibus, neque manibus, neque ore, neque corpore, neque mente consistere, horrere supplicium, imminētē poenam, et jam jam praesentē plane metuere, membra metu debilia, apud se vix esse, animus timore obstupescere, et quidem neque proloqui verbum ullum, et stupentis similis haerere per multum tempus. Non equidem quisquam alienatam revocare poterat Regis animum: videbant omnes plane divinae justitiae exemplum severissimū in Regem constituendum. Neque conjecturis multis, nulla divinatione opus erat, cum res plane, manibus, et oculis teneretur.

EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS

ad invidiam conflandam, de crudelitate

Lucii Syllae.

**O**Mittam crudelitatem hominis, et nunquam visam in hominis natura sitim absorbēdi sanguinis insatiabile. An vero cū dictatura per crudelitatem Sylla abuteretur tantopere, non Romanorum animos a se videbat alienatos? nō in invidiam rapiendum post hominum memoriam inauditam? Cum tanta sanguinis vis profunderetur, et numerari non possent capita occisorum, cubacula domestica, atque ipsum peristylum capitibus redundaret interfectorum, qui semper et opibus, et honoribus floruerunt in Republica suis etiam egregiis facinoribus, victoriis, et trophaeis statutis familias suas, loca civitatis celebriora, atque adeo no-

men Romanum illustraverant. Neque praedicta dumtaxat loca, sed quod dicere fugit, ac reformidat oratio, viae omnes, plateaeque ipsae, forum sanguinis flumine redudare videbatur. Quaquam gemitibus, et ejulatibus omnia complebantur loca, nihil tamen illum lacrymae, nihil luctus, nihil aspectus profusi sanguinis, nihil jugulatorum ora vultusque commoverunt: cumque occideretur, minus commovebant in caelum sublati clamores. Quorum ut capita diversis temporibus innumerabilia securi carnificum dedita praetermittam, non brevi temporis spatium in locum curiae proximum quinque principum civitatis millia crudelissimus Dictator incluserat? non in media, quam ad populum habebat, concione tot Proceres, tot civitatis Principes necandos, jugulandosque iusserat? Quorum cum fletibus personarent sedes illae, caelumque clamoribus pulsaretur horrendis, universa curia tremere, atque rueret Roma repentino videretur capta inimicorum impetu, neque homines stare possent, neque confidere, paverent omnes, exhorrerent lamentationem, tumultuarentur confestim, atque omnes inde se proripere vellent, quo clamores auditi, luctusque rapiebant (multi enim suorum fratrum, multi inter noscebant clamores filiorum, aut sanguine conjunctorum) ille ex ferro factus dirissimo Dictator, quiescere jubet omnes, et quidem sedato vultu, tranquilla fronte, animo quieto, et quam intenta voce, ut omnes audire potuissent, paucos esse clamans, quos puniendos ille iusta de causa iussisset. Quid magis impium ad invidiam tanto, tamque crudeli tyranno contrahendam?

IDEM EXEMPLUM BREVIUS TRACTatum, ad eandem invidiam conflandam.

Atque Dictatoris si quem immanem dicere potuimus, vere Lucium Syllam tanta immanitate efferatum inveniemus, ut in illo nullum humanitatis vestigium apparuisse

vi-

videretur: qui Dictaturam, cui modum maiores veteri exemplo statuendum judicarunt, paene perpetuam faciendam curaverat. Multos enim in exilium ejectos, multorum Roma suorum civium capita viderat, multos iussu tyranni vexatos, verberatos, necatos, multas afflictas, et everfas domos, armatis hominibus repletum forum, gladiatorum aspectu perterritos, et percussos cunctorum animos. Ubique familiarum everfiones, ubique lacrymas, et luctus, ubique caedes virorum, Ducumque fortissimorum Syllae Dictatoris servitute oppressi Romani viderunt, et audierunt: ut tota sane civitas flumine sanguinis inundare diceretur. Tanta unius hominis crudelitas immoderata sua inhumanitate Romanae civitatis humanitatem inquinavit.

EXEMPLUM DEMONSTRATIONIS ad odium augendum, in proditorem Iudam.

Tuis oculis, ore tuo impudeti, tam duro, et ferreo petore in conspectum venire Iesu Christi ausus es? Tu gregem Iudaeorum sceleratum deducens praecire properabas totus furore, et amentia praiceps, rapido et incitato gradu, retorquens saepe oculos ad illos, qui a tergo te sequebantur, ut incitares ad properandum, et accelerandum, increpans aliquando, quod tua non adaequarent celeritatem? O impietatem, non modo visu horribilem, sed etiam auditu. Si in hominem tui simile, de tuis illis immanissimis sectatoribus, de tot lupis, et tygribus truculentis, hanc proditorem moliretis, quis te non execraretur? In conspectu vero praeceptoris, ac Domini tui, in ore Creatoris, et Architecti summi caelorum, dignitate tanta te abdicas Apostolorum? discedis a sociis, fratribusque tuis? ab illorum te societate disjungis ipsum relinquens in perpetuum auctorem vitae Christum Iesum? atque ipsi caelorum gloriae nuntium remittis? cui astrictus tantis beneficiis fueras, huic eidem per te jam prodito cum impia, et

P 3. sce-

scelerata manu, nefaria prodicione exultans, tanto strepitu, atque tumultu, dissonis, et horrendis clamoribus audacter occurris, et insolenter? Quod pactus fueras osculandi signo dato, ut Agni sanguine sitientes inimici tumultuosissime adorirentur, atque comprehederent, nequiter exequeris, et nefarie?

EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS  
ad minas jaectandas in Haereticos.

**H**Os vero quis ferre possit nefarios homines viris optimis, libidinosos castis, ebrios sobriis, sectatores haereticos cultoribus Fidei periculum, et ultimam perniciem moliri? qui accumbentes in suis conviviis, in illarum ganearum nidore, atque popina, tenentes utraque manu pocula plenissima, et semper infercientes utranque buccam, vino obruti, cibo confecti, complexi mulierculas impudicas, et bonos indignissimis appellantes modis, eructant sermonibus suis proscriptiones bonorum, ruinas fortunarum, caedes plurimorum, et legum omnium divinarum, et humanarum interitum. Aderit tempus, et erit sine dubitatione, cum luant poenas acerbissimas, et ut illorum multi luunt jam in regione damnatorum, certo scimus non paucis impendere fatum miserrimum, et poenas jam diu quidem improbitati, nequitiae, sceleri, defectio- ni, crudelitati debitas, aut instare jam plane, et certe jam appropinquare. Illae conscientiae labes, et animis iniusta vulnera, stimuli, et faces ardentes pectoribus admotae furiarum, quae illos quiescere non sinunt, non somnum capere, non vigilare sine summo dolore saepe patiuntur, quid prae se quaeso ferunt? tot et tanta mala allata Christianorum generi, illorum causa tanta imminutio facta Christianorum, foedata multis in locis Ecclesia, deformata religio, violata Fides, ex multis sedibus ejecta, sanguis tot Martyrum sanctissimorum tanta crudelitate profusus, ipsa denique natura hominis, ratio, com-  
mu-

munisque humanitas non exulcerabunt animos impiorum hostium, Fideique Christianae infestissimorum? intedere aciem quo, quaeso, oculorum poterimus, ut omnia non eos perterrefacere, et vim ingentem malorum, atque graves suppliciorum acerbitates non dies, noctesque portendere videantur?

EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS  
ad reprehensionem, in Marcum Antonium dominatum expetentem.

**T**anta ne tibi fuerit Antoni regnandi libido, ut eam comprimere, et coercere non Iulio Caesari mors illata, non aliorum tyrannorum exitus miserabiles potuerint? Quod post Caesaris mortem Consul in civitate manseris, quod Augustus haereditatem poposcerit, et illam a Iulio sibi Caesare relictam adire voluerit, quod ille admissus fuerit in urbem ad Romanorum vitam, ad Reip. dignitatem tuendam, tu iracundia ardes, scelus, et crudelitatem ex intimo pectore anhelans, ob eas colonias, municipia totius Italiae? te celeriter ad legionem Martiam recipias, quae gladiatorum fulgentes mucrones, et tela jugulo intenta tuo, nisi discesseris, et alio te proriperis, ostendebat? Nisi ad nutum tuum Consules designati fuerint, nisi Mutina libidini tuae, cupiditati que paruerit, eo cogentur milites? habebuntur delectus? conflati confectique exercitus ad provinciam populi Romani accelerabunt? obsidebunt urbem, principem Galliae Cisalpinae? arietes admovebuntur moenibus? verberabuntur machinationibus bellicis? acerrime capiendos, interimendosque designatos Consules populi Romani nulla non ratione curabis? gentes non modo pacatae, verumetiam sociorum, atque amicorum nostrorum ad vim, ad arma confugient, ut a se, ut a suis moenibus nefarios homines si non verbo, re jam judicatos hostes propulsare possint.

sint? Tu concitabis Senatum? tu de patria, de curia florem delectum, principem Senatus, auctorem consilii publici Servium Sulpitium, imbecillitate virum, morbo gravi affectum proficisci compelles Mutinam? in tua castra contendere? te ipsum adire alloquutum, ut te unum ab oppugnatione Mutinae avertat? in meliorem mentem reducat ad pacem cum Senatu, populoque Romano faciendam? Quid exspectas? quid moliris? Nisi ad viam redieris, maxima te in posteritate saeculorum ignominia, et maculae totius dedecoris, et infamiae manent.

EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS, AD  
augendum in Praetoria dignitate.

**C**ernite nunc eos, qui a Rege Praeturas accipiunt, quanto plus potestatis habeant, quam alii multi maximae dignitatis magistratus. Iubet eos civitatum gubernandarum causa suam personam, et dignitatem sustinere. Dat praeterea potestatem verbo Praetoriam, re vera Regiam, definit in triennium, reddit fascibus metuendam, tantis confirmat opibus, et honoribus, ut principatum habeat inter caeteros de civitate magistratus. Deinde duobus ornat Propraetoribus, accensis multis, et omnium uno maximo, scribis, Procuratoribus, satellitibus, et ministris plurimis. Praeterea decorat Tribunis, Senatoribus, et aliis honestissimis viris personam Praetoriam cohonestantibus, verbis, loco, et omni genere officiorum. Reditus constituit ex aerario civitatis, suppeditat certos atque definitos. Quacunque Praetor procedit, gestat manu sua virgam rectam, et elatam, fasces scilicet ipsos, et insignia Praetoriae potestatis praeceduntibus, et consequentibus officii causa non paucis hominibus honestissimis, et virgis suorum administratorum procul apparentibus: qui longo intervallo Praetoris adventum, et tantam majestatem cunctis

civibus, et alienigenis, qui nunquam antea Praetorem viderint, denuntiare videantur.

ALTERVM EXEMPLVM IN LAVDE

augenda simulachri Hispalensis Sanctissimae

Virginis Mariae dela Antigua.

**E**st apud Hispalenses in sacello Virginis Mariae del Antigua simulachrum ejusdem Reginae, tum summa, atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere, artificioque perfectum. Hoc cum antea terga ad odeum ecclesiae conversa habuisset, translatum in parietem adversum valvis, et odeo praedicto locum tantum, sedemque mutavit, religionem quidem pristinam conservavit. Nam propter eximiam ejus pulcritudinem, tum venerandam, suspiciendamque majestatem, et propter multitudinem, magnitudinemque miraculorum a civibus, et alienigenis dignum, quod inter alia sanctissime coleretur, vitum est. Itaque colitur a civibus summo studio, summaque religione, et ab omnibus advenis visitur. Cum quis ad templum maximum invisendum deducitur, nihil illis ab amicis solet demonstrari prius. Signum est admodum excelsum cum elaborato vestitu, nitido, et splendenti, et auri nitorem praefereute clarissimum, stellulis distincto plurimis, clarissimisque. Veruntamen inest in ista magnitudine vultus, atque habitus virginalis. Corona nitet ex auro capiti imposita: atque ipsa summa, praepotensque Domina puerum Iesum bellum, atque per jucundum, Matris non dissimilem utraque manu sua caelesti sustinet. Ea modestia, ea majestate praeditum est, et eo ad religionem omnem vultu composito splendet per se semper, atque lychnorum ex argento collucentium diesque, noctesque fulgore collucet, et illustratur, ut in splendore suo claritas caelestis insit, et aperte videatur.

## EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS

ad imminuendum, in hominis imbecillitate.

**S**ed jam aperte hominis istius ad mala nobis invehēda videamus imbecillitatem, infirmitatemque contemnendā. Non illum parvulum, et pusillum plane cernere videmini? non in muliebrem naturam, debilitatemque spectātem? non voce, non ore, non motu ipso corporis agentem delicatum, et imbecille genus mulierum? Quis unquam illum cum gladio? quis armatum galea, lorica ve aspexit? quis vidit insidentem, non in equo dicam, sed neque in mannis natura sua mansuetis? an vero, si habitus corporis conjecturam affert, debilia crura, infirma brachia, adversa valetudo, tota jacens, et abjecta volūtas, et ad humiles, et cōtemptas res, ad ludicras, et pueriles propensio naturalis, et animus humilis, atque demissus, et latebras se per quaerēs, et recessus omnes, atque solitudines, ut neque cum hominibus res hominum agere, neque ulla studia velit suscipere, haec, et alia non hūc ab omni contentione corporis, et animi procul abhorrere satis magno argumento mortalibus esse debent?

## EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS

ad confirmationem, de praestantia Romanorum.

**I**C jam, ut omittam caetera, et de ipsis Romanis agam, quot fuerunt homines quondam  
**H** Romani hac animi magnitudine praediti, qui galea, lorica, caeterisque armis fulgentibus praestare videbantur? Quique in equum ascendentes alacres, et erecti, calcaribus admotis, quam incitata celeritate se in medios hiatus apertos, atque paten-

tes, horribiles, et in infinitam altitudinem depressos, ut prope cum extremis inferorum faucibus, ignes, et flammās ardentes eructantibus adaequarentur, praecipites dejerunt se se? Cum Galli Romanū adventu repentino cepissent et jam jam scalas ad capiendum Capitolium admovissent, non pro valvis aedium suarum senes fuerunt? non illi, qui civitatem, qui Curiam, qui totum Romanum imperium decorare consueverant, purpura fulgenti ornati, capillati, quemadmodum erant, barbaque longiore, ad pectus usque delapsa, suis decorati Senatoriae dignitatis insignibus, in sellis Curulibus, sic augusta majestate cōsederunt, ut aspectu suo Gallorum oculos, animosque perstringerent? Cū magna pars juventutis, atque quorū juvenum Deus immortalis, qui flos erat, et dignitas Romana, robur, et praesidium tāti imperii, ad Capitolium defendendum properaret, et dejiciendos Gallos, et deturbādas scalas, et honorem majorum, virtutemque retinendam omni contentione curaret, non illi confidentes suis in sellis veterem animi magnitudinem retinuerunt? atque cum id temporis de appendendo auro ageretur, cum Camillus ex dispersis, dissipatisque populi Romani reliquiis parva manu coacta, ad liberandam patriā properaret, non multi senes in his Camilli suppetiis confecti senectute, praepediti morbis, hastilibus nixi, animi vim contra corporis infirmitatem, debilitatemque virium ostendunt, ut qua in re, et quo modo possent, Reip. patriaeque suae auxiliari conarentur? Si quando ad hostium repentinos adventus, ad arma conclamatum erat, in foro Consules ipsi, Praetores, Consulares, Praetorii, post cunctus Senatus, praeterea flos omnis nobilitatis, atque juventutis equitum Romanorum, atque ipsa multitudo crebro sonitu tympanorū, et clangore tubarum excitata puncto temporis in armis esse videbatur. Ita Romani maximas hostium copias a patriae mœnibus propulsarunt.



ALTERVM EXEMPLVM AD CON-  
firmationem in virtutis causa, de socie-  
tate bonorum.

**N** Actus es bonorum, atque omni non solum humani-  
tate, verumetiam virtute praedictorum adolescentum  
cōflata manu. Hic tu qua laetitia perfrueris? quibus gau-  
diis exultabis? Quanta voluptate perfundere, cum in tanto  
numero, et audies viros bonos omnes, atque videbis? Ad ho-  
rum vitae studium meditatae sunt illae, quae feruntur, ratio-  
nes tuae, cubare humi nō modo ad voluptatē lecti mollissime  
strati fugiendam, verumetiam ad carnem comprimendam,  
vigilare non solum ad sacros libros versandos, sed etiam ad  
rerum divinarum commentationē. Habes, ubi ostētes prae-  
claram animi tui patientiam, et tolerantiam inopiae rerum  
omniū, injuriae cujuscūq; tibi factae, quib⁹ reb⁹ os, et animū  
non modo ostendisti, sed laetum, atque hilarem vultum, ubi  
caritatem eximiam colas, et illius suscipias eximias, et prae-  
claras exercitationes. Cū his licebit obire nos odochia, pau-  
perum lectos sternere, consolari aegrotantes, et ad omnia te  
offerre munia pietatis. Tanto flagrāt ipsi desiderio Christo-  
cunctis in rebus placendi, ut nihil tentare velis, quod nō illi  
velint, et sitienter appetant.

AFFECTVS MISERICORDIAE, EX  
Anglorum Haereticorum crudelitate.

**H** AEC cum acta, constitutaque essent in summo Con-  
silio, (quod Angli parlamentum vocant) ut in Christia-  
nos simulatione laetae Majestatis animadverteretur, Prae-  
tores, administrique sui inflammati scelere, ac furore in ae-  
des irrumpebant, homines ipsos corripiebant, qui nihil mali  
fecerant, qui nulla in re Majestatem Regiam prodiderant, et  
ho-

hominibus probis, innocentibus injiciebant catenas ferreas  
arcte, vehementerq; corpora cōstringēdo. Implorare illi opē,  
et misericordiam, et quare id fieret, rogare: tunc satellites  
id causae afferebāt, quod Reginā, et regnū eos velle prode-  
re certum esset. Fiebat clamor multorum, et admiratio bo-  
norum, tantam esse Reginae impudentiam, atque improbi-  
tatem, ut egregie fidelibus causam prodicionis attribueret,  
quae omnis propter odium Christianae Religionis esset: cū  
ipsa proderet Majestatē Dei immortalis, palā humanae vio-  
latae crimen, atque nomen laese Regiae Majestatis suis im-  
manibus, et detestandis moribus praetenderet. Deinde hoc  
ab illo tempore crimen in multos fuisse confictum, postquā  
Anglici Fidem publice profiteri non auderent, passim om-  
nes aspiciebant. Cum haec fierēt, quaerebatur ab illis belluis,  
ubi essent principes hujusce prodicionis? atque videbantur  
in his comprehensionibus haerere ad latus Praefectorum sa-  
tellites, et ad aurem, ut quivis intelligeret, insurrare, ut in-  
vestigaret angulos, et recessus omnes abditos, et remotos, nul-  
lum relinquerent, latitare dominos, et filios, quos ex suis la-  
tebris extrahere oporteret, et in vincula pertrahi. Quod in-  
dignissimum spectaculum praerberetur? homines optimos,  
cultores Christianae Religionis, florem civitatum suarum,  
in ferrum, et in custodiam perduci, satellites inimicos Fidei  
Christianae, et reliquos fautores haereseos, propter desertam  
cōtemptamque Religionem in fortunis optimorum, vitaeque  
periculis inferendis dominari videretis. Apponebantur alii  
accusatores acres, et vehementes ad exitiū interitumque re-  
liquorū, qui Christianos se profiterētur, et bene appositi sem-  
per ad omne scelus, quos Praefecti, Reginaq; suis in flagitiis,  
in evertendis templis, in cultu Religionis Christianae tollē-  
do, in Fide ipsa de regnis Anglicis ejicienda socios, et comi-  
tes habere solebāt. Cōjiciebātur in custodiā parētes, filiique,  
omnes ad unum familiarum generis antiquitate nobilissi-  
marum. Vincōs, quacunque ducebātur, catenis liberos cum

parentibus videre dolor erat, et sensus bonorum acerbissimus. Hi tacent, silent, nihil loquuntur, nihil se commovent. Multi fidem Regiam, quae nusquam erat, neque post mortem sanctissimae Reginae Mariae unquam fuit, implorare. Homines erant partim presbyteri, partim nobiles, partim locupletes, viri, adolescentes, senes, aut in ipso flore juventutis, vel canis multis oppleti. Non ipsos satellites, non praefectos species miserabilis, non vincitorum aspectus, non senectus, non nationis necessitudo, non patriae communio a sceleribus revocabat. Sed quid ego patriae, vel nationis conjunctionem, necessitudinemque commemoro, qui parētes suos, atque filios in Fide perseverantes ad carcerem, et ad mortem alligatos afferrent, ab his civium jura, et officia quaeramus? cum hominibus crudelissimis non est nobis res, sed cum deterrimis, immanissimisque belluis: quos filiorum lacrymae, extremū vitae periculū non commoveat. Sic animo ferreo, et Hyrcanarum tigrium pectoribus in sua pertinacia perstiterunt.

ALTERVM EXEMPLVM AD AFFECTUS misericordiae, de Servio Sulpitio in Antonii castra proficiscente.

**R**OGANT, et orant Servium Sulpitium Senatores, ut ex urbe Roma decedat, ad Antonium proficiscatur: provinciam demonstrant, quietam esse non posse, si Antonio Mutinam obsidere, atque illo tempore diutius castra contra Consules designatos habere licuerit. Commotus est Serv. Sulpitius, et fecit id, quod multi non facerent, ut filios, domum, patriam relinqueret, et in provinciam in valetudine tanta ad teterrimum Antonium proficisceretur. In itinere quanvis ad Antonium perveniendi spem ali-

aliquam habebat, nullam tamen, Romam revertendi: quoniam ita affectus erat, ut si ad gravem valetudinem labor accessisset itineris, sibi ipsi diffideret. Non tamen illum vis hyemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingravescens retardavit. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiendi se, et curandi potestas fuit. Aderat hospitem invitatio liberalis pro dignitate summi viri, et eorum hortatio, qui una erant missi, ad requiescendum, et vitae suae consulendum: at ille properans, atque festinans, et madata Senatus conficere cupiens Mutinam accessit. Cum jam ad congressum, conspectumque perveniret, in illa cura, et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita. Comparabat se prudentissimus, et optimus Senator, ut Senatus legationem obiret, et ea meditabatur, quae acceperat a Senatu, quaeque ad causam convenirent, quaecunque in mentem venerant. Convenerat socios, et comites legationis, quos omnes Serv. Sulpitius in consilium prius vocaverat. Erat cum Serv. Sulpitio vir ad excogitandum acutus, ad dicendum eloquens, moribus, et scientia non dissimilis alius Senator amplissimus. Erant reliqui, qui cum illo ibant Senatores, viri Consulares, qui ad personam Serv. Sulpitii cohonestandam omnes a Senatu fuerant adjuncti. Unus igitur constituitur Antonii conveniendi dies de consilio legatorum omnium, et praecipue de Servii Sulpitii, qui Princeps hujusce legationis erat, sententia: qui si dixisset, quae commentatus fuerat, fortasse consiliis omnibus praecipitem Antonium in suam adduxisset sententiam. Cum haec omnia tanta cura, tanta contentione, multa deliberatione a Serv. Sulpitio agerentur, cum jam in conspectum venturus esset Antonii, cum congressurus, cum colloquuturus, cumque Antonius, cum sui similibus auctoritatem, et sapientiam Servii Sulpitii pertinuisset, in his laboribus, in hac constantia perseverans, moritur perpau-

cis diebus S. Sulpitius. Et mors confestim Antonio nuntiatur. Gaudet iste, vehementerque laetatur, vix prae laetitibus omnibus apud se esse potest Antonius, cum auctorem Senatus extinctum laete, atque insolenter tulit. Concelebrantur in Castris Antonii tentoria vicissim militaria, et Praetorium Imperatoris (si Imperator ille dicendus est, qui nullum adhuc praeclarum facinus fecit) principibus ad illud, et multitudine de morte S. Sulpitii gratulandi causa confluentes. Cū autem nuntiatur mors Romam, et non prius Senatoribus, quam filiis jam, et uxori constans fama pertulisset, constituitur in urbe Roma spectaculum acerbum, miserum, et luctuosum praetereuntibus nuntiis domum tanti Senatoris, ex una parte, valetudine perditam profectus ad mortem Sulpitius, et ex altera familia universa, praecipue Filius, atque filia. Quod ille contra vim, gravitatemque morbi contendens, ut ad Antonii Castra perveniret, mortuus esset, quod omnes decus civitatis, Senatorum lumen, parentem Reip. amisissent, flebat utrunque genus hominum, atque ita flebat, ut non de privati tantum S. Sulpitii commodis, sed etiam de calamitate, pernicieque Reip. fleret. Quid lacrymarum sui similes defensores Imperii Romani puratis profudisse? Quem sensum totius Italiae fuisse, quacunque nuntii praeteribant ad volantes? Quem gemitum in urbe tota bonorum? Quid lacrymarum ipsum filium, et totam effudisse familiam? In obeundae legationis meditatione esse mortuum hominem integerrimum, juriscōsultum singularem, principem Senatus propter Antonii singularem nequitiam, atque improbissimam dominandi cupiditatem flebant omnes. Iam neque Sulpitii, neque filii, neque familiae suae, quam mors optimo parēte, atque domino orbatam in solitudine reliquit, misereri quisquam desinet. Resp. tanti fuerit, ut macie, et imbecillitate nimia, senectute summa, atque valetudine prope perditam, vix ut se sustinere posset, Mutinam, et ad Cōsules designatos obsidione liberandos morte sua properare non dubitaverit? Ita multis

in

in vicis, in foro maxime statuas equestres inauratas, easdem coronis redimitas, ornatas laudibus rerum gestarum incis, faciendas, easque statuendas, quid mirum, si S.P.Q.R. curasset: ad quas thuris odores, et cerei accenderentur. Equidē Senatores auctoritatē suam in viri maxime de Republica benemeriti singularibus ornamentis decorandis ostēdissent jubentes statuam aliarum persimilem fieri, quam stare in celeberrimo loco vellent, ne clarissimi hominis memoria ullo tempore moreretur.

TERTIUM EXEMPLVM HVIVSCE  
Demonstrationis in peccatore ad  
se redeunte.

**A**N homo, qui peccato Dei gratiam effuderit, cū tot ornamentorum caelestium multitudine, et varietate spoliatur, aequo animo potest consistere? Ego quidē illa sine fletu commemorare nequeo. Siccine recorder animū, simulatque homo crimen capitale susceperit, abstrahi a complexu, sinuque Iesu Christi, deformari ipsam imaginem, et similitudinem divinā in animo insigniter expressam? ejici, repudiari, contemni dona caelestia? eripi opes solidas, et immortales? perturbari mentem coeno turpissimarum voluptatum, et ipsa caligine noctis obscuriorem reddi? effici similem Acherontis libidinum corpore captandarum causa? gaudia, voluptatesque beatorum amitti? spoliari Deo amicissimorum beneficis quotidianis, et communione privari donorum, ac munerationum immortalium? denique praecipitari ex altissimo gratiae divinae gradu? sentire in praecordiis meis dominatē Daemonem? et unius me impurissimae belluae servitutē pati miserabilem? non inficior me esse hominem, et qui communem naturae sensum repudiare nesciam, quin afficiar, quin animo fracto, afflictoque loquar. Si me ipsum viderem in exilium mitti, e complexu meorum divelli, proscribi bona, publica-

R xi

ri aedes, atque fortunas, disturbari tecta, everti totam domū, et solum ipsum spargi sale, denique casualiquo gravissimo, acerbissimoque patriam adimi, dejici de sede honoris celsissima, meos inimicos adhuc me in civitate manēte, in meis calamitatibus exsultare, quanto in dolore, vel moerore potius essem? Sed quae sūt haec ad illa, quae peccati pravitate damna sibi faciūt homines scelerati, cū ipsum Deum, Opificē caelorum, Parentem, et Creatorem meum amiserim? hanc animi duritiem, vel stuporem potius pecudis non ejiciam? tu lenias meū animum Iesu māfuetissime, et oculos meos ad animi gratiam, et dignitatem aspiciendam, ut illam magni faciā, et aestimem, aperire velis.

QUARTVM EXEMPLVM IN EADEM  
misericordia movenda, in obitu Romani  
Pontificis.

(S)

**V**ideor equidem urbem Romam videre lucē orbis terrarum, atque arcem omnium gentiū una Romani Pontificis morte vehementer affectam. Cerno animo ordinem Cardinalium tristem, atque moerentem, et singulos Patres Purpuratos, luctum, atque moerorē mutatis vestibus ostendentes. Versatur mihi ante oculos cenotaphium ad exequias celebrandas excitatum, et designatores in ipsa pompa funeris atrati. Videor percipere auribus moestas, et lugubres cantorum voces, sicut in exequiis cōmunis omnium Christianorum Parentis audire necessarium est, atque ipsam concionem de laudibus summi Pontificis latine habitā, et quod extremum est, in iustis omnibus persolvendis, cum cadaver in sepulturam infertur, precationis, (quae vulgo responsorium dicitur) officium praestitum, tum lamentationem Romanorum, solitudinem palatii, atque orbitatem aulae Romanae. Cernere quoque videor summum silentium ne-

go

gotiorum, et caularum Ecclesiae taciturnitatem, coetum Cardinalium ipsos intra palatii parietes abditum, atque retrusum ad habenda comitia de novo Pontifice creando. Hoc denique intervallo cum litterae ab urbe Roma commeent in omnes orbis terrarum partes, et ad Christianos Reges cursores mutatis ad celeritatem jumentis volitent, ipso mortis acerbissimo nuntio vehementer commoventur omnes, atque urbes omnium ecclesiarum cymbalis, quibus ad mortem Romani Pontificis conclamatur, personant lugubri, moestoque sono pulsatis.

QVINTVM EXEMPLVM AD EOS  
dem motus animorum faciendos, in  
Caroli Principis Hispaniarum obitu.

(S)

**Q**VINT IN luctu propter Caroli Principis mortem omnia regna Hispaniarum, squalent omnes provinciarum civitates, nullum est virorum, mulierumque genus, quae mutatione vestium speciem luctus, moerorisque non praebeant. In urbibus, et oppidis florentissimis Senatores vestitum de publico consilio mutant: equites illustrissimi, divites, et copiosi, mercatores, mediocres, et infimi, in luctu videntur atque moerore versari. Praecipue autem videre est atratas, et longo intervallo tractas, raptatasque vestes Magnatum, et Principum hujus saeculi, et consequentium puerorum, et famulorum speciem eandem, et formam moeroris, atque luctus exhibentium, mulieres nuptas, et innuptas virgines, atque puellas, neque liberas solum, sed etiam ancillas, quae ad minimum velis atris capita coopertae videntur. Cumque civitates ecclesiarum cymbalis ubique personent locorum, tum

R 2 ille

ille dies praefert luctum, et moerorem incredibilem, cum iusta in templis maximis persolvuntur. Atque cenotaphium tectum fere usque sublatum, magnifica prorsus, atque maiestate Regali exstructum hanc habet speciem, (ut reliqui operis sumtum, et apparatus praeteream) ut in tumulo honorario supra cenotaphium constructo diadema Regale, et insignia reliqua Regiae Maiestatis in circuitu suis intervallis pro iusta proportione visenda palam proponantur: quae funaliū longe, lateque micantium ardore collucent, et illustrantur. Cum exequiae concelebrentur vocibus cantorum caelum usque sublatis, tum omnia sacella alumnorum cujuscunque ordinis multitudine complentur: in quibus privatim Regum iustis persolutis in tantum cenotaphium sacelli maximi omnes sacri milites ordine suo, ad precationem communem (quae vulgo Responsorium dicitur) adhibendam ascendunt. Quae species, et forma atratorum in ecclesia magistratum praescriptis, et constitutis in locis confidentium? Senatorius ordo, consiliarii Regii, Censores sacrae Fidei, Magnates omnes luctuosum ante oculos spectaculum statuunt. En exitum, quem ostendere visi sunt, quem habent Reges, et Imperatores terrarum: qui aequo profecto, atque quilibet de populo, moriuntur. Vbi diadema Regium? ubi Regale sceptrum? ubi tot urbium, tot populorum, tot provinciarum, tot regnorum latissimae, florētissimaeque ditioes? ubi Maiestas Regia ipso in solio augusta celsitate praesidens tot imperiis Hispaniarum, et aliarum gentium, atque adeo Indorum disjunctissimorum locupletissimis regionibus? ubi honos ab omni genere hominum, a Magnatibus, ab ipsis terrarum Principibus Regiae Maiestati tributus? ubi terror exteris gentibus, inimicis suis injectus? ubi denique Regum omnis splendor, et Maiestas tanto plausu, tanto honore, et omni gloria redundans? Omnia pereunt, et uno mortis interventu de medio tolluntur.

VLTIMVM EXEMPLVM IN AFFE-  
ctibus, de Martyrum fortitudine.

**O** Beatos Christi Martyres, qui suis in sedibus, aut in alienis locis, cum in patrum suorum, uxorum, aut liberorum conspectu trucidarentur, nihil flectebatur animo, neque frangebantur: quin cum in illos aspicerent, de eisdem relinquendis cogitarent, qua fortitudine animi fuerunt? qua lenitate? Nunquam profecto illorum lacrymis, neque precibus commovebantur, sed cum sibi, patriae, cum familiae periculorum, cum filiorum orbitatis, cum uxorum solitudinis, cum aedium suarum, cum praediorum, cum opum, ac fortunarum, cum infamiae ac dedecoris, quod erant subituri, cum spoliationis, et proscriptionis bonorum veniebat in mentem, et cum naufragium omnium rerum, ruina, et interitus sui generis, uxores passis crinibus, laceratis genis, squalor, et sordes filiorum, lamentationes cunctorum, et acerbissimae lacrymae, cum exilium, cum caedes, cum cruor aliorum, cum omnes, quae fingi possunt, miseriae, et aerumnae versari ante oculos viderentur, tamen eis omnibus tam fortiter, et constanter resistebant.

EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS  
ejusdem, in precatione.

**N**unc te Christe mansuetissime, optime, maxime, nostri generis Assertor testor, et appello in exitu habitae orationis, cujus sacraria cum multa sint in hac urbe Hispalensi, tum in isto templo magnificentissimo maximum omnium, et amplissimum aditur: quod primum omnium adentes homines, procumbentes in genua te suam salutem appellat, dicunt, atque recognoscunt, quam suppliciter, atque demisse suspiciunt, et adorant Maiestatem tui Numinis crebra pectoris

percussione, cuius ictibus percrepat sacellum ipsum. Teque Regina caelorum, cui sacella plurima non solum in urbe visuntur dicata, sed in hoc templo tria sacrata sunt, et singula diverso nomine cohonestata: quae omnia visendo cernuntur apparatu, magnificentia sepulchrorum, et simulachrorum religione mirabili, atque unum multa luce, eximio trigintalychnorum ex argento solido factorum fulgore collucet, et illustratur: tertium ejusmodi est, quod maximo frequentatur virorum, mulierumque concursu. Huc praecipue mulieres tanti studiosae simulachri ad audienda sacra, ad preces adhibendas, ad vota, quae nuncupare solent, persolvenda veniunt, et ad opem tuam implorandam lucernis accensis plurima longissimaque dierum intervalla, dum vespertinae, et aliae preces divinae persolvuntur, ponere consueverunt. Teque iterum, ac saepius Virgo sanctissima, cui non solum haec sacella sacra fuerunt in hoc templo, sed ipsum hoc templum amplissimum, et magnificentissimum omnium tibi Angelorum Reginae sanctissimae, cellissimaeque, numerofo comitatu divinorum spirituum, tot occurrentibus Magnatum tantorum agminibus, et ipso Filio Christo Iesu cum flore suorum aulicorum obviam procedete, corpore, atque animo caelestia beatorum palatia ascendenti dicatum est, atque consecratum. Teque dive Isidore, Princeps patronorum Hispalensium, quem Praefectum hujus ecclesiae recordantur omnes, et illum celebrat, recollitque splendorem, et lucem allatam suis rebus, sacris anniversariis, solenni supplicatione coetus portuoniariorum, et canonicorum illustrissimus, viis ipsis rigatis, et quoniam tempus vernum est, quacunque transeunt, herbis, atque floribus stratis, et parietibus aulaeorum vestitu sericorum ornatis, crebro pulsu, sonituque cymbalorum aures oppidanorum feriente, suis intervallis, et tibiis, et vocibus cantorum modulate sonantibus, donec in templum tuum antiquissimum id temporis propter tectum concameratum omni musicorum harmonia personante suavius ingredimur.

mur. Teque dive Leander, secunde a fratre tuo beato Isidoro, patrone jure quidem optimo celebrate, quem veneramus non in pontificia solum sede, infulis, et insignibus Pontificatus ornatum, sed animo acquisissimo de tua dignitate dejectum, ex urbe egredientem, atque proficiscentem in exilium causa nostrae Religionis, unius Leuvigildi Regis. Vvisi Gothorum nequissimi, Arrianorum fautoris mandato sceleratissimi. Teque dive Ermenegilde, non modo urbis hujusce Rex cellissime, sed laurea Martyris adepta sublimior, quem proturri cellissima istius templi, flexis gemibus, tensis manibus, sublatis oculis in caelum prospicimus pro Iesu Religione defendenda caput disseccandum securi libenter offerre carnificis. Teque Dive Clemens, cujus augustissimum, religiosissimumque templum, et anniversaria Hispalensis ecclesiae supplicatio per gradus ejusdem templi habita, comportato simulachro tuo humeris sacerdotum in veste pulcherrima nitetium, et ad supplicationis dignitatem augendam prolato Regis Ferdinandi vexillo, gladioque districto, quibus victoria reportata fuit, recuperatam per te civitatem ex impia Maurorum gente de suis sedibus depulsa testatur. Vos Virgines integerrimae, Iusta, atque Rufina, quas ad testificationem vestrorum in hanc urbem beneficiorum, et oppidanorum in vestram sanctitatem religionis eximiae, ambas stantes in lecto pulcherrime strato, in veste nive albenti candidiore, cum palmis in manibus, coronis ornatas splendentibus, in habitum, atque figuram virginali templum usque comportamus sanctissimae Triados. Vosque participes tantorum honorum, dive Laureane, dive Servande, atque Germane, quorum dies festos eadem ecclesia Hispalensis propter vestram in suos cives egregiam, atque singularem beneficentiam quotannis instaurat, et ossa vestra sanctissima in religiosissimo sacrario, vasis ex crystallo, et ex auro pulcherrime factis custodit, et asservat, et inter patronorum suorum, et aliorum divorum reliquias summa cum religione venerandas, suspiciendasque; producit in medium templum, et proferes.

in publicum, defert per vias consuetas solenni supplicatione feriarum corporis Christi Iesu. Vosque omnes divi, divaque omnes, quae sacras honori vestro incolitis, tenetisque; religiosissimas aedes pro civium Hispalensium in vos singulari pietate, religioneque. Vos sacrarum aedium, vos sacellorum omnium, vos altarium sanctissimorum, quotquot omnes sancti, sanctaeque cohonestatis magnificentiam, et amplitudinem admirabilem, et adestis, praesentesque estis huic civitati custodiendae, civibusque suis adjuvandis, et illorum in omni genere virtutis actionibus sanctissime suscipiendis, adeste precor, et vestram praesentiam, studium, et vigilantiam assiduam ostendite: et ut apud Patrem aeternum tu Virgo sanctissima cum Filio tuo mansuetissimo nostras praecipue res, qua pietate praedita es, et indulgentia materna respicere velis, supplices iterum, et tertio, atque saepius obsecramus.

#### QUEM LOCUM OBTINEAT DEMONSTRATIO IN ORATIONE.

monstratio in oratione.

**E**X superioribus exercitationibus liquido constare potest, nullum in oratione non obtinere locum Demonstrationem: quae reprehensionis, confirmationis, atque cuiuscumque amplificationis officia facit. Atque in Epilogo, cum per obsecrationem, et conversionem fiat, dominatur. In affectibus vero movendis quantum valeat, nisi qui artis rhetoricae inscius fuerit, ex locis a me tractatis, dubitabit nemo. Quod si ostendero in exordio, et in narratione versari Demonstrationem, nullius non particeps erit partium orationis. Quare cum duo solum utriusque partis exempla attulero, nihil est, quod ad Demonstrationis absolutionem amplius requirat aliquis.

#### EXEMPLUM DEMONSTRATIONIS

in exordio, in laudem Beati Er

menegildi.

Si



**S**iquis antea, auditores, mirabatur, quid ellet, quod pro tantis opibus caelorum, tantaque dignitate beatorum civium, nequaquam innumerabiles homines forti, et magno animo invenirentur, qui in magna pericula inferrent se se pro tanta gloria consequenda: ex hoc tempore mirretur potius, si quem non incredibili cupiditate flagrantem viderit, qui se, vitamque suam pro felicitate beatorum obtinenda in gladios hostiles, atque in omnes tyrannorum cruciatus non dederit. Nam ut omittamus multas teneras, et castas virgines, tot Confessores Fidei nostrae sanctissimos, tot Doctores Ecclesiae celsissimos, innumerabiles Christi Martyres invictissimos, qui robore, et magnitudine incredibili, tela inimicorum acerrima pro Religione subierunt, atque hinc partim in exilium missi, partim eversi bonis omnibus, patriisque penatibus praecipites acti, omnibus indignissimis onerati contumeliis, in crucem sublatis, aut sagittis confixi, vel flammis combusti ardentibus, atque aliis acerbissimis suppliciorum generibus dilaniati vitam cum sanguine profuderunt: uno mentis aspectu Beatum Ermenegildum inveniri potestis, qui de Iesu honore sollicitus, cum uxorem carissimam, sanctissimamque, et filium urbis istius, suorum regnorum haeredem futurum, atque hunc parvulum, et unicum a se ablegasset, ille post defensam a se totis viribus Religionem regno se abdicans Hispalensi libenter caput carnificis securi discindendum tradidit. Quemadmodum equidem petra propter maris littora valde defixa robore suo non excipit solum sine sui ipsius damno fluctus, sed in se vehementer irruentes rejicit saepius, constanterque repellit semper, ita Ermenegildus firmitate virium, et constantia singulari, non sustinuit dumtaxat parentis impetus deterrimi, sed etiam pro honore Christi Iesu defendendo lauream Martyris adeptus illustrem, vim paternam toties incitatam praecipitemque fregit. Quare dum de tanta Martyris glo-

S ria

ria breviter dixerō, me attentis, atque benevolis animis excipite.

## EXEMPLVM DEMONSTRATIO-

nis in narratione, de quodam adolescente

quē pater misit Hispalim ad classem inuisendam.

**C**ivitas est in Baetica provincia Hispalis, imprimis tantae provinciae clara, et nobilis. Homines ipsi Hispalenses, tum summe omni urbanitate politī, et elegantes, tum praeterea maxime locupletes, et copiosi, proculdubio praeter caeteros Hispaniarum ad summa aulicorum officia, et politioris elegantiae consuetudinem deducti. Accidit, eū iste adolescens a patre suo efflagitasset, ut se ad inuisendum mare, quod nunquam aspexerat, et ad classem, quae id temporis ex Indorum regione reversura dicebatur, mitteret: cumque iter hoc sibi magis ad voluptatem, et ad libidinem, quam ad ulla negotia patris accommodatū depoposcisset, ut illo itinere Hispalim veniret, eū magna calamitate, et pernicie sua. Divertit iste ad hospitium omnium, ut videbatur apparatusissimum, comitesque ejus cum eodem ab hospite suis in cubilibus collocantur. Ut mos erat istius, atque ut eum aliquot, quos secum afferebat, pecuniarum refertiloculi facere permittebant, statim negotium dat illis suis famulis, satellitibus, et administris libidinum suarum, ut videant, et investigent, ecquis in vicinia sit, aut civis, aut alienigena, qui foliis pictis velit pauculos nummos amittere, aut domum duplicatos reportare. Erat puer inter famulos Petrus quidā, puer factus ad heri mandata exequenda, qui mira diligentia, quocūque venerat, haec, et multo deteriora investigare sceleratus solebat: hic ad herū defert, quod ab hospite acceperat, (sciebat enim id primum illū quaesitum esse) vicinum esse quendam, genere, honore, opibus, pecuniis facile prin-

ci

cipem vicinitatis, ei fuisse consuetudinem cum hospitiibus folia picta versandi, id eum nullo modo denegaturum esse, propterea quod excollusionibus hujusmodi quaestus maximos fecisset. Addidit eum usu, et exercitatione foliorū omnibus anteire, sed nulla fraude, nullis fallaciis existimari. Adolescens, ut audivit, sic exarsit ad id, quod non modo concupierat, sed a teneris annis sensus communis, atque rationis suae exercuerat, ut statim ad vicinū famulum ire jussit. Vicinus autē Petrus (sic enim appellabatur) qui hujusmodi hominum adventus exspectabat, cupidus quaestus faciendi in hospitium cum nūmis plurimis contendit: vix famulus renūtiavit vicinum adfuturū illico, cum is statim adest. Post datā igitur, et acceptam salutem, dicit adolescens sibi in animo esse pauculos cum eo nummos amittere, quem dicunt hospites scientem pictarum istius esse ludi chartarum: quod si quid amiserit, id se recuperaturum esse cum aliis confidat, eū doctior ex hac collusione discesserit. Agere tunc Petrus gratias, quod de se tantam opinionem haberet, quam vis de eodē multo majorē ipse conceperit: quid si non in ludo fuisset exercitatus, nunquam hanc aleam auderet subire, neque cum periculosissimo, quod ipse dicit, ad colludendum descendisset, nisi suae scientiae, nisi fortunae secundae confidisset. Addebat timere se procul dubio artem, et scientiā alienigenae: quod ista profecto deliberatio, nescio, quē jaeturae metū sibi afferret, ut ipsi lucrandi spē suo iudicio certissimā: sed quidquid illud fuerit, certū sibi esse experiri, an simulaverit artem, an tētare fortunam velit. Interim sterni mensa, cōparari omnia, deferri fasciculi foliorum, et quidem recentes, denique considerare collusores, et adversi, comitibus istius hospitis adolescentis, et nonnullis de domo spectatoribus. Postquam ludus inchoatus est, satis uterque timidus videbatur, quantū suis pecuniis, atque crumenis confertissimis jam tum periculi creari potuisset: tamen a distributione cum ludendi fieret initium, eū utriusque partes foliorum accederent distribuendorum, tāta

§ 2

uter-



uterque festinatione commiscebat, et distribuere vicissim chartas, ita verfabat, et agitabat unus, et alter, intermiscendo festinanter, ut iam apparetur duobus dumtaxat ludis factis, quanta uterque scientia hujusce ludi valeret. Iam res calere coepit, colludunt majoribus ambo sponsonibus, et easdem augent, et accumulunt. Auferre pecunias de conjectis in acervum communem unus, et alter videbatur, neque quisquam adhuc felicior dici poterat. Sic ludus utrique cadebat acquabiliter, ut quae modo iste lucraretur, non ita multo post ipsemet perderet. Committebantur spectatorum, et utriusque laetitia collusiones. Sed ecce Petrus certarum confusus bonitate chartarum, cum primo augeret sponsonem in aliqua parte nummorum, alter non recusaret fretus aliarum praestantia, quae cadere possent, huic nullae ceciderunt, illi de duabus, quas expectabat, una cecidit. Auget iterum adolescens fore sperans, ut quae primo non evenerit, secundo fortasse contingat: admittit Petrus, et plus si voluerit. Adolescens expectabat, ut verbum hoc ex ore collusoris exiret: explebo, inquit, tuum animum, quod reliquum habeo, id totum, quodcumque est, certe aut plurimum, aut non ita multum. Cum restaret adhuc grandis summa, ab utroque collusore pecuniae conferuntur in cumulum. Summum est silentium, magna expectatio. Denique partitione facta explorare unus, atque alter suas chartas, comites utriusque suspensis animis ludi praesentis exitum expectare. Qui primum patefacturus erat ludum, adolescens principem ludi, et omnium maximam projecit in mensam quattuor diversi generis foliis constantem: alter jam aspexerat tres ejusdem familiae, una si caderet ejusdem generis, actum de vestro fuerat hospite pro illo saltem ludo. Petrus condiciones offerre, partitionem deposcere, convenire velle, et pacisci cum adolescente, adolescens animi pendere, quid consilii caperet prorsus insciens. Dum deliberat, nescio, qui nam alter chartam in-

ter

ternoscit, nihil opus esse deliberatione gaudens, gestiensque clamat, et concursum profert, et quamquam ex chartis constat minimis, qui vim tamen hujusmodi haberet, ut satis essent uno genere quattuor concurrentes, ad illam principem, et omnium praestantissimam vincendam, atque superandam: tollit igitur de medio nummos Petrus, quotquot erant in mensa. Adolescens irasci, commoveri animo, qui tam bono ludo nihil effecisset, ibi fraudem esse clamare, testari spectatores, si quam Petrus fraudem sibi fallaciamque portasset, si chartam interceptisset, ut contra jus, contra leges omnes pecuniam auferret. Hic autem Petrus, qui splendidus erat, et honoratus, ut furti mentionem fieri audivit, non perferre, qui jam major natu esset, et adolescentem effluentem, et mentientem perferre turpe putabat, de sella surgere, folia partim tota mensa spargere, partim in terram projicere diversa haec, et illac toto pavimento dissipata: adolescens magis clamare, magis vociferari, ludum illum sibi restitueret, reponeret nummos in mensam, suum in locum referret, ni sui etiam adolescentis meminisse vellet in perpetuum. Hic tum imperat servis suis adolescens, ut januam clauderent, et aliqui ad fores assisterent, et Petrum cogerent, ut restitueret, quos male abstulisset, et per fraudem nummos. Quod ubi Petrus intellexit, id agi, atque id parari, ut sibi bonis artibus pecunias lucrato vis afferretur, quantum potest voce contendit, ut exaudirent domestici: neque aberat domus longe, atque ille de fenestris caput protulit, ut exaudiri posset. Vxor, ancillae de fenestris cum eum clamantem audierunt, viciniam clamoribus suis commovere, mittere de vicinitate multos, qui quaerent filios: quibus in domo proxima versantibus ubi nuntiata fuit patris cum alienigena contentio, statim accelerantes ad hospitium contendunt ut, periculo parentis, et malo succurrerent, et non pauci eodem animo vicini, simulatque hoc audiverunt. Erat Petrus vir optimus, et homo honestissimus, et facile primus vicinitatis ha-

S 3

be

beatur: quod eos tum hominis dignitas, tum loci vicinitas commovebat, ad aedes magna celeritate concurrerunt. Quod ubi adolescens, et servi senserunt per pseudothyrum relicto Petro incolumi fugerunt, corporis magis, quam pecuniarum rationem habentes: atque nocte redeuntes in hospitium Hispali discesserunt, ut iter suum persequerentur.



ALTERVM EXEMPLVM DEMONSTRATIONIS in narratione, de caede Fabricii adolescentis.

**C**VM insidiae Fabricio pararentur, res occultari non potuit: per quendam eorum, qui interfuerant, fit adolescens certior. Primo consulere vitae suae coepit, quod praesidii sibi, quo se defenderet, nihil erat: deinde quod cum de adversariis cogitaret, et illorum nosset numerum, commodissimum putavit esse, de civitate clam discedere. Itaque fecit, et abiit in villam. Vbi noverunt adversarii, diffidere omnes, qui nescierant locum, dicere, nihil agi posse, seipsum in culpa ponere, qui non domum obsedissent, qui non partiti inter se fuissent noctis vigiliis, unam fuisse noctem, eamque sine dubitatione proxime praeteritam, qua ille de civitate abiisset: atque non multo ante aliquos fuisse sciebant, qui vidissent in via, et pro foribus cum amicis colloquentem: et unus de praesentibus eodem in loco se vidisse dicebat. Adversarii igitur de villa percontantur, et quoniam factu facilius putabant, ut rem in deserto loco transigerent, in villam proficiscuntur. Itaque adolescentem solum offendunt extra domum, in area proxima deambulantem, inermem, et imparatum: quod fieri non putabat, ut non procul venientes prospiceret, si in villam venissent ad se interficiendum, et propter domum esset, quo curreret, ut foribus obseratis prius illorum impetum compressisset. Ita sensim accesserunt, ut omnes invadentes, priusquam ille persentire potuisset, a tergo, et a la-

teribus arripuerint, et os occludentes, antequam verbum proloqui posset, antequam denique quisquam de villa prospiceret. Interfectores percutientes dicebant, id quod ipse sciebat, illum causam dedisse necis, rogasse omnes non semel, ut amico, quod honestis parentibus natus esset, verbum contumeliosum non faceret: qui voluit id a se dictum, ferret modo, quod nollet: qui de nece per amicos satis benevolos, ut magnopere caveret, saepe fuisset praemonitus. Quid plura? tandem inimici adolescentem multis vulneribus occisum reliquerunt. Illi dum redeunt in civitatem, gloriari inter se, ita ut aliquando fit, incipiunt, ipsos Fabricio letales plagas infixisse multas. Fuit aliquis, qui audivit, et rem ad patrem detulit: quod ubi accepit, et nuntio, qui de villa venerat, mors confirmatur, res ipsa jaectatur, et in ore, atque sermone civium coepit esse. Interfectores vulgo nominabantur. Vbi illi cognoverunt, rem spargi, atque disseminari per civitatem, tres fugerunt: unus, qui domi latitabat, interim dum se comparat, comprehensus rem, quemadmodum se habuit, plane confessus est. Defertur e villa cadaver in lectica jacens, totum sanguine perfusum, quasi pertusum cribrum, multis plagis confossum: nec erat, qui aspectu juvenis vulnerati non magnopere commoveretur, juvenis inquam occisi, jam confecti sine confessione, sine sacramentis, et in flore juventutis crudelissima morte occisi: qui nec telum habuerat ad se defendendum, quem inimici ex improviso invaserunt, atque id temporis, id loci, misero suo fato, cum omnes domi se continebant, nullus apparebat, qui adolescenti auxiliatum veniret, vel qui domo evocaret famulos: cum omnes coenabant domestici, ut nullo modo neque ictum, aut plagam repellendi facultatem haberet. Adolescens ex insidiis captus verbum unum, quod fecerat, sanguine suo luit: atque quod deterius est, quoniam juvenis erat, quoniam causa proffus, quae mortem attulisset, muliercula quaedam fuerat, metus erat, et quidem conjectura non levis, ne illud, et vitae praeternitae flagitia poenis inferorum sempiternis lueret.

CONCLUSIO DEMONSTRATIONIS.

**H**AEC de Evidentia, seu Demonstratione generatim nos dixisse satis est, Cujus exercitatio si longior fuerit, quam quisquam speraret, magnitudini rei tribuendum putabitur, qui longitudinem cum prestantia commodorum si compensare voluerit, tot paginas, et folia non immerito completa fuisse dicet: et se ad reliqua amplificationis genera, quae ex Demonstratione tanquam ex capite derivantur, comparabit.



DEMONSTRATIONIS

Liber Tertius.



DE VARIA DEMONSTRATIONIS

ratione, atque imprimis de Sermo-

cinatione.

(?)



**E**X Demonstrationis exercitatione generatim tractata, aliae formae, figuraeque speciatim videntur natae fuisse describendi, quae ab hoc loco proficiscuntur: de quibus a nobis hoc tertio Libro agendum est. Atque imprimis a Sermocinatione librum instituamus.

QVID SIT SERMO CINATIO.

**S**ermocinatio est, cum alicui personae sermo attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis.

T PRAE-

## PRAECEPTIONES.

**S**ermocinatio describitur ex his, quae antecesserunt, et in ipsa re intervenerunt, et postea consequuta sunt. Sed nihil ex his omittendum, quae ad verba, cogitationes, facta, et ad alia, quae rem circumstant, expectare visa sunt. Atque hoc est primum sermocinationis genus.

SERMOCINATIO PRIMI GENERIS. Quae damnati in die extremi Iudicii loquentur.

**V**bi dies illa aderit, qua boni praemiis, mali suppliciis sempiternis affiendi sunt, quanta confusio erit, et perturbatio damnatorum? quantus gemitus, atque luctus? quam dissoni, et horrendi clamores cum lacrymis, quas in suis acerbitatibus effundent? Clamabunt miserrimi homines, et suas miseras, et aeternas sempiternas persequentur. Quantis illi bonis affluunt, quanto in honore, et gloria sunt, quantis gaudiis perfruuntur, et perfruuntur in omnem saeculorum memoriam, quos abjectos, et infimos ducebamus, quos irridebamus, et contenebamus, quos omnibus lacerabamus contumeliis, et similes arbitrabamur insanorum: quia plausus omnes, qui a populo tribuebantur, contemserunt, et vitam rectam, et honestam, et constantem, et consiliis Christi Iesu congruentem, horridam, et aridam, inhonoratam, et ingloriam, laboriosam, et asperam degerunt, et tenuem, et inopem agere maluerunt, quam in omni rerum abundantia vivere, et in solitudine semper esse, quam in hominum celebritate versari, et inedia, vigiliis, carcerem, omnia supplicia perferre, quam ciborum suavitatem, lectos mollissime stratos, Regiarum aedium magnificentiam, et rerum, quae terra, marique continentur, habere copiam, et affluentiam. Nos autem nihil non contrafecimus, nunquam destitimus

su-

superbe nos, et insolenter efferre, pecunias, opes, potentiam concupiscere, et pravis has omnes res acquirere rationibus, ardere in omnes iracundia, explere indomitas, et effraenatas libidines, secundis aliorum rebus tabescere, metes, et animos nostros, et illorum, quibus cum versamur abducere ab omni virtutum genere ad delicias, ad voluptates, et ad vitiorum omnium nefariam detestandamque pravitatem. Ergo a virtutis itinere defleximus, in magno errore versati fuimus. Lux oborta fuerat, et nos in tenebris jacebamus. In his vero vitiis, et voluptatibus quantas suscepimus molestias? quos labores? quam magnos? quam intolerabiles? Sequuti fuimus arduas, et difficiles vias, et ignoravimus verum iter ad caelorum gloriam ducens. Vbi divitiarum affluentia? ubi insolentia, et jactatio? ubi strepitus, et ostentatio superbissima? ubi famulorum greges? ubi honores, et plausus tributis? ubi magnificentia, et excellentia solita? ubi felicitas, et fortuna florētissima? quam ex his omnibus voluptatem, quos fructus nisi acerbitate magna permistos tulimus? Effluerunt bona omnia, effluerunt libidines, effluxit voluptas ex libidinibus percepta, neque quidquam reliquum est. In modum umbrarum praeterierunt, et in cursoris more, qui celeriter advolat, neque usquam locorum consistit. In navis similitudine omnia abierunt, quae navigationis nullum signum, neque vestigium a tergo relinquit. Non secus atque avis, quae magno clamore alarum, nullo signo volatus relicto aëris spatia longissima praetervolat, nos equidem volitavimus in saeculo per urbes, per populos, per provincias, per gentes, per regna omnia cum magna dominatione, cum summo imperio, nullum non genus vitiorum, nullas non libidines captantes. Nunc vero nudi, et spoliati rebus omnibus sine nomine, sine gloria, sine honore, omnibus turpitudinis, et infamiae notis inusti, sempiternis inferorum suppliciis addicti, per omnes saeculorum aeternitates, nullo vel minimo intermisso puncto temporis torquebimur. Pulcritudini deformitas, honori infamia, luci obscuritas, jucunditati acerbitas, abundantiae rerum extrema inopia, suavita-

T 2 ti

ti odorum intoleranda foeditas, famulis, et ministris tortores, et carnifices crudelissimi, dominationi, et imperio sempiterna servitus, lustrationibus, et peragrationibus viarum aeterni carceris angustiae, vestibus, et indumentis pretiosissimis nudum, et spoliatum omni decore, et ornamento corpus, escis, et perpotationibus intemperantissimis fames, et sitis nunquam restinguenda, gaudiis, otio, deliciis, et voluptatibus sollicitudines, angores, cruciatus acerbissimi, ignes nunquam non duraturi, et corpus, et animum flammis aeternis ardoribus excruciaturo succedent. Atque nos aspectu privatos immortalis Dei ipsa conscientia semper stimulat, atque punget, et morsus efficiet acerbiores: quod non parum temporis habuimus ad consulendum animis, ad curam omnem, et diligentiam adhibendam, et passi fuimus pretiosum omne, et a bonis tantopere aestimatum praeterire tempus, et ut aperte dicam, amisimus, et perdidimus scelere ac nequitia nostra. Nihil jam preces sanctorum, nihil intercessio Virginis Mariae, nihil merita Christi Iesu nobis proderunt. Nihil ad salutem nostram, nihil ad opem afferendam flagella, nihil spinae, nihil mors ipsa proderit acerbissima. Abiit enim jam, et effluxit tempus, cum Deus incredibili clementia nos vocabat ad sanitatem, et dabat spatium resipiscendi, et in viam, unde decesseramus, redeundi. Nos scelerati, sceleratissimique nostris in peccatis inveteravimus, et consenuimus: et cum tot sensibus animorum intimis, tot vocibus, et admonitionibus concionatorum, ipsis praescriptionibus Fidei Christianae, conscientia motus efficiere maximos Deus ipse declararet, quid vellet, quid cuperet, quid a nobis exposceret, quid denique nos aequum fuisset, atque necessarium ad animorum salutem facere, obsurdescebamus semper, neque ea, quae ab illo monebamur, audire volebamus, nihil loci relinquentes tot admonitionibus, signis, et testimoniis tam perspicuis, et apertis. Hi, quos insanire, ac furere putabamus, sedes, et domicilia caelorum incolent: et quia neque vitiis se infecerunt, neque

ma.

maculis asperferunt gravibus, aut si asperferunt aliquando, redeunt ad se, dolore, confessionibus, et poenis gravissimis sponte, atque voluntate susceptis, vi adhibita poenitendi maxima deleverunt, numero beatorum adjungentur, et expertes malorum omnium, aeternis praesidiis, et ornamentis redundantibus sempiterna gloria circumfluent, immortalibus abundabunt bonis, aeternis triumphabunt gaudiis, et nomen consequentur nullo unquam aevo perituro. Illi in Dei naturam quodammodo conversi pulcritudinem divinam singulari beneficentia consequuti numerabuntur inter divinarum mentium multitudinem gloriosam, et intererunt coetibus illorum celsissimis, et quod caput est, intererunt summo illi Dominatori, suo nutu cuncta regenti, purasque mentes caelesti luce collustranti: ut in ejus oculis, et aspectu divino summa semper cum voluptate acquiescant. Nos his bonis contraria mala subibimus. O nos miseros, et infelices. O dies, et noctes acerbis. O tempora non luctus, et malorum dumtaxat plenissima, sed nullis limitibus, nullis finibus circumscripta. Invadite nos furiae, clamabunt miserrimi, impetum in nos facite legiones inferorum, irruere Daemon truculente, fruerere praeda, et spoliis partis, ne nos tot nationes, atque gentes, quot quot a primordio humani generis ad hoc usque tempus fuerunt, intueantur tanta ignominia notatos, tot diris, sempiternisque malis, igne, flammis, inferorum cruciatibus multandos in perpetuum. Vix improbi faciunt finem loquendi, cum Spiritus nequissimi impetu maximo, clamoribus horrificis, quam tumultuosissime damnatos adoriuntur, et praecipites dant in obscuras, caliginosasque inferorum regiones.

## EXEMPLVM ALTERVM SERMO CI-

nationis de sermone Iustorum, in Die extremi Iudicii.

**O** Nos felices, atque fortunatos, qui tantum boni consequuti fuimus: quo nec sperare quidquam, nec optare

T 3 ma

majus potuissent. Quantis in miseris sunt? quantis aerumnis premuntur? quibus afficiuntur suppliciis? quibus deflagrant ignibus? et perpetuis comburentur flammaram ardoribus, qui Christi leges violarunt, et vias peragrarunt vitiorum? illi, qui se magni faciebant, qui divitiis se efferebant, et jactabant dominatu superbissimo, qui se claros, et illustres, divites, atque potentes, qui se terrarum dominos dicebant, qui voluptatum avidas libidines, et effraenatos coercere volebant appetitus, qui insaturabile ventris abdomen, et aviditatem infinitam Deum habebant, et dicebant suum, qui in oculis volebant, et in hominum claritate versari, et pro plausu, pro gloria, pro libidine captanda, pro nihilo habebant peccata suscipere capitalia, et omnia mandata divina proterere atque contumaciter calcare, quantas modo solvunt, et solvet in perpetuum omnium generis cruciatuum poenas acerbissimas? Irridebant, et deludebant nos aperte, dicebant desipere nos, delirare, qui res humanas contemneremus, et intenderemus animos ad aeternas beatorum opes: cumque nos hortarentur, ut res saeculi ageremus, quodvis periculum adeundum potius, quam ab instituto serviendi Deo quisquam deflecteret, curaverimus. Cum neque improbi exemplo, neque mundus honoribus, et deliciis suis, neque Daemon fraudibus atque fallaciis, neque caro blandis voluptatum illecebris agere desineret; ut de ista mente desisteremus, et a recta conscientia deflecteremus, et nihil nos abducere potuerit, ut pugna cum hostibus inita, et virtute destitisse diceremur, praemium persolutum nobis est virtutis, et laborum omnium. En, quemadmodum die omnium maxime celebri, inspectante hominum genere universo, splendore caelorum, et flore aetate beatorum, plenissimo refertissimoque hominum, et metuum divinarum teatro, incredibili plausu, et inaudita gratulatione, in filiorum Dei numerum ascripti, adjunctique ducibus, et magnatibus caelorum celsissimis, et aulae Regis sempiterni renunciati fuimus incolae, et habitatores in perpetuum, liberi semper, et immunes, qui nulla unquam pendemus

vectigalia, nulla tributa conferemus, praerogativis, et immunitatibus donati beatorum, plusquam Principes, plusquam Reges in regno, et imperio sempiterno futuri. At quibus perfruemur gaudiis? quibus afficiemur honoribus? quibus redudabimus ornamentis? qua claritate illustrabimur corporum, et animorum immortalium? Imperium erit ejusmodi, quod neque amittemus unquam, neque ulla culpa nostra cogemur deponere. Aeternum est enim, et saeculorum omnium immortalitatem respiciens. Neque culpam ullam possumus, aut maleficium suscipere. Ex partes in posterum peccatorum, et omnis generis malorum in gaudiis veris, ac plenis, in voluptatibus veris, et solidis erimus, nullo quidem in moerore, nullo in dolore unquam. Explebimur, et saturabimur omnibus bonorum copiis, quae neque oculis nostris, neque auribus etiam, neque cogitatione inclusi corporis compagibus percipere potuimus, aut possemus unquam. Atque ita explebimur, ut nullum fastidium, neque satietatem afferat passus iste continuus, et jucunditatis aeternae perceptio: quin quo magis, ac magis fatiemur, eo magis satiandi sensus omnes per omnia aeternitatis intervalla finem nullum faciemus. Iam si per honores, quos recepimus, percurramus, et quo in honore, qua in gloria simus, quos obtinuerimus gradum immortalitatis, explicandum nobis esset, inter Confessores esse, inter Martyres versari, adjungi Virginum coetibus, interesse Apostolorum spectaculis, nostris cum infulis, et insignibus numerum explere Beatorum, et illorum splendore fulgentes spectare coetus divinarum mentium, Virginem Mariam, Iesum ipsum tanta cum majestate praesidentem aulae caelorum, et in conspectu conquiescere sanctissimae, celsissimaeque Triados, quantum affert honoris, et dignitatis nobis omnibus, qui ad Crucis sanctissimae vexilla concurrimus? salve Curx sanctissima, in quam sublatus fuit vindex nostrae libertatis Iesus ipse. Salve etiam, atque etiam pretium salutis nostrae, via Christianorum, Dux nostrae Religionis, princeps bonorum omnium, clavis caelorum, janua paradisi, gloria sanctorum, lectus Salomonis, requies, et delectamentum

omne, suavitas, atque deliciae hominum, vita, salusque immortalis. Salvete clavi caelestes. Salve hasta, quae latus aperuisti Iesu Christi. Vos salvete etiam Virgae, atque spinea corona, vulnera facta corpori, plagae manibus factae, et inflictae quoque pedibus. Salve iterum, atque iterum latus hastae diritate trajectum, unde fons profluxit pretiosi sanguinis, et aquae permistae ad eluendas maculas peccatorum, et ad ornandos animos donis ac muneribus divinis. Salve Christe Iesu Dux, et Princeps bonorum, auctor sanctitatis, inceptor, perfectorque virtutis, largitor opum, et divitiarum caelestium. Tibi libertatem, tibi dignitatem recuperatam, tibi tantas opes, hos honores, et gloriam immortalem adeptam lactantibus animis, et corporibus referimus acceptam. Laetamur magnopere, et mirari satis non possumus, cum nobis tantum lucis obortum fuisse videamus, ut nostrae dignitatis splendor omnibus gentibus illuceat: cum hoc splendore, atque dignitate nos praeditos esse cernamus, quae beatorum gloriam, et decus immortale consequimur. Ita ne flagra nostra, in ediam, afflictationes corporum, laborum perperationes, compressiones carnis, vim omnem, et contentionem virtutis ad hunc splendorem immortalitatis caelestem, et sempiternum revocatam fuisse, ut nos hoc immortalitatis vestitu, his opibus, his ornamentis, tanto decore cumulatos, adauctosque videamus? Et ut nos ipsos aspiciamus splendidissimos, et ornatissimos in perpetuum? Felices labores in virtutis studium impensi. Felices vigiliae in adhibendis precibus susceptae. Felices actiones virtutis, et exercitationes quotidianae, quae tam bonos, et optatos exitus habuerunt. Felices ignominiae, injuriae, contumeliae aequis, et patientibus animis toleratae, quae fuerunt honoribus compensatae sempiternis. Felix denique pro Assertore Iesu, pro Religione mors obita, quam saeculorum omnium immortalitas consequetur. Utinam sectatores saeculi, afflictiores dignitatis nostrae, nos ipsos magis, et magis oppressissent, et ad extremum

num usque vitae spiritum: ut majus pretium, et merces daretur laboris, et antea ctuae vitae cumulator.

## SERMOCINATIO SECUNDI GENE-

neris ex adjunctis.

**D**ic nunc hominem illum seminarium horum malorum fuisse. Non fuit: Dic ab illo te fuisse deceptum. Dic in fraudem impulsus, ut domum Patris relinqueres, et quo ivisti, dixisse te res perditum. Non dixit. Dic pecunias dedisse, quas conferres in ludum. Non dedit. Dic demonstrasse domos perditarum, et proffigatarum mulierum. Nihil libidinis in illo fuit adolescente castissimo. Non is tecum hoc toto tempore versatus est, non tecum colloquutus, vix etiam de facie aut te novit, aut de te quidquam audivit. Quid ergo? Quare igitur tanta turpitudinis huc insimulaveris, dicas mihi? quia noluit assentiri tibi, ut pactione, et societatem scelerum nefariam faceretis, et dum te ad Patrem reducere conabatur, tu illum a suo patre per falsum crimen abducere non verendum baris? facinus indignum. Siccine pro bono malum adolescenti bonorum optimo comparaveris?

## SERMOCINATIO TERTII GENE-

ris ex adjunctis, cum dissimili, et duplici des-

criptione Populi Romani, de Ma-

gistratibus deligendis.


**Q**uoniam die isto legitimo comitia haberi debet, tanto Magistratum creatorum loco praestituto accurratur undique ad campum Martium. Flagrat locus iste tam amplissimus studio hominum, et cupiditate, omnibus magistratibus istius civitatis terrarum principis ad unam civium suorum voluntatem, suffragationemque revocatis, tantaque ambitione dignitatum, et honorum in nobis posita, deque nos-

V tris

tris suffragiis pendente. Illos, quos videtis alacres, atque erectos volitare, sibi, suisque majoribus confidentes, quasi domiciditum, et exploratum Magistratum habeant, praetereamus. Qui quasi indicto mercatu, exquisitis palam pretiis, et licitationibus factis describunt sibi magistratus in singulas sedes, atque dignitates amplissimas, et quia plus possunt pecuniis, altiores se gradus adepturos esse sperant, hos suis nummis, suisque largitionibus, nihil apud nos potuisse eventu comprobemus, et studia, cupiditatesque horum, atque ambitiones de nostra civitate tollamus: quae res evertendae Reip. debendique funditus imperii Romani causa possunt esse. Ostendamus apud nos magis virtutem, consilium, prudentiam, et spe injectam Reip. bene gerendae valuisse, quam largitiones candidatorum: ut candidati in albenti toga procedentes cum modestia, et candore tanto, tam supplices, atque ratopere demittentes sese ad nostrum omnium usque genua, cum cedat de loco, cum saluent officiosissime, cum appellent honorificentissime, cum orent, cum supplicent, sibi persuasum habeant in posterum populum maxima cura delecturum esse gubernaculis imperii tractandis maxime aptos, et idoneos homines: quoscumque Magistratus candidati summa cum ambitione contendant.

### SERMOCINATIO QUARTI GENERIS

ex antecedentibus, consequentibus, cum descriptione de nuntio fraterni adventus.



Vi frater a fratre, filio maximo natu mittebatur in urbem, praeteriens et urbes, et populos celeriter, quo properabat, tandem accessit. At videte ingressum hominis in civitatem. Cum hora dici duodecima ad oppidum quattuor leucas ab urbe distans venire potuisset, commoratus fuit in quadam villa,

at-

atque ibi se reficiens expectavit usque ad vespere: inde equo quattuor horis ad urbem advectus januam pulsavit in equo insidens. Janitor, quis tu? a nobili Ildefonso (sic frater appellabatur) nuntius respondit. Confestim ad januam aperiendam janitor, et famuli, qui nomen Ildefonsi audierant, concurrere. Vbi fratrem esse, et filium heri perspexerunt, recurrere, ut quisque celerius praerire poterat, et nondum accedentes de mediis scalis cum clamoribus nuntiare filii adventum, et quidem suo nomine appellare non desistebant: quem cum unus deduceret, ubi se in parentum conspectum dedit, ille ad genua parentum accidere, sumere manus, et osculari. Cum pater, et mater vidissent, qui annos aliquot filium non viderant, neque illum, neque locum praescierant, ubi esset, quem captum ab hostibus, quem mortuum putaverant, flere uberius amantes filii, in collum invadere, complecti, constringere arctius, jubere tandem in sella residere, rogare multa de fratre, de absentia, de mora tot annos ante facta, de fortuna felici, qua non expectatus venisset, et pro mortuo jam habitus. Interea parentes respicere, nunquam respiciendo defessi, et cum lacrymis haerere in oculis, et in ore filii. Frater epistolam fratris reddidit, quam cum parentes legissent, atque de statu, de salute certa, et explorata habuissent, et quod caput litterarum erat, paucos post menses illum adfuturum, et cum dignitate ecclesiae Hispalensis consequuta, o filium, exclamare parentes, et talem quidem, qualem semper optavimus, revisuri canonicum Ecclesiae Hispalensis, allevamentum parentum tuorum, decus, et honorem generis. Non immerito aliorum nos amore abjecisse videbamus, et in canonicum, et in te praesentem transfudisse.

### SERMOCINATIO QUINTI GENERIS

ex foliis antecedentibus. Pater ad filium.

**T**ecum loquar mi fili, pater inquit, et hunc inibo sermonem: quem non inuissem procul dubio, si te vidissem nobili-

V a      tari



tati generis, parentum desiderio, et expectationi, quam de te habebant homines, respondisse. Quisnam istud fieri potest, respondeas, velim? Non ille tu fuisti, qui Salmanticam a me missus, tanto sumtu, ut scis, cum in litterarum studia fuisses ingressus avidius, quam ego possem nunc dicere, cum is esses, quem mihi litterae, nuntiique ferebāt, te magnū, et doctū evasurū esse sperabam? quē omnes dicebāt nihil tuo ingenio, nihil litteris non assequuturum esse? quem laudabant, et ita ferebant in caelum, ut quocunque itinere saeculi, vel ecclesiae velles ire, faciles te aditus ad honores quoscunque consequendos habiturum esse confirmarent omnes? non ille tu, qui nobis saepius, mihi, matrique tuae litteras plenas gaudii, plenas laetitiae misisti, quibus pollicebaris, et fidē dabas utriusque tuam, te moriturum esse potius, quam a litterarum itinere semel, et tam avide arrepto deflexurū? Vnum illud mihi, velim, dicas, an in sentētia permanere velis? an alio te convertere? vel quis nam mentem, quam susceperas, mutare poterit? An nō illa, quae praedixi, vera sunt quidem. Non litteris, nō testibus, non omnium sermone testari possum. etiam, et etiam, atque tot, et tantis testimoniis te convincere?

## SERMO CINATIO SEXTI GENE-

ris ex consequentibus, de hominum

**E**T enim omnes sic ratiocinabatur, sic honestissimi homines inter se loquebantur, insatiabilem esse pecuniae cupiditatem hominibus injectam, qui posteaquam Indorum regiones patefactae fuissent, posteaquam inde coeptū aurū in Hispaniam exportari, non recusarent maximis maris vastissimū periculis se committere. Quid igitur? quod tot pericula maris, quod tot infestissimae navigationes, tot commotae tempestates vehementissimae, tot naves partim fractae, partim dilaceratae, eoquassatae, partim obrutae fluctibus, atque depressae, ipsa, quae fiunt multis navigationibus, naufragia miserima, a-

na-

navigandi cupiditate nō animos hominū deterrebunt? nihil ne apud homines haec valebunt? nihil eos hyemali tempore, nihil minime portuosa, penitusque periculosa navigatione maria ingredi? nihil non toties eosdem in optatum portum appellere? Cum tamē jactati multi tempestatibus, quasi nudi e naufragiis saepe appulerint, miseriae, quibus premuntur, et afflictantur, difficultates auri, argentique comparandi, partem, acquisitique convehendi ad Hispaniam usque, non omnia haec in manus praedonum incidere saepissime? non aurum diripitorum, argentumque comparatum in media navigatione, tum cum jam portum tenere videbantur, submergi, inspectantibus de portu mortalibus? nō haec apud mortales valebūt omnia? Vere loquuntur inter se mortales. Species auri hominum animos allicit, et ut est cupidissimus quisque, ita cum aliis loquitur. Ut alii multi homines erepti sunt, et facti locupletiores, et nos quidem eripiemur, et vivemus, et occidemus in fortunis amplissimis.

## SERMO CINATIO SEPTIMI GENE-

ris ex enumeratione, cum subiectione, interrogatione, conduplicatione, repetitione, et articulo.

**N**on, inquit, id ago, neque in eo nunc elaboro, pecunias maximas habeant, per omne suae vitae tempus locupletes homines utantur eis. Nō appeto. Quid igitur pugnās? An quod saepius in sermonibus dixisti, ne quod tuum est, tibi adimatur? ne haereditatē ii ab Ildefonso relictā, quā adhuc tuā nemo esse negavit, et leges, et iura tribuunt, eripiant? ut numereris inter haeredes nobilis Ildefonsi viri clarissimi? de cernas de jure, de tuis actionibus apud Praetorem paucis diebus jus experire, et cum causam obtinueris, tum denique litem haeredibus intendas. Quid hoc? quo pertinet? ut ocys

V 3 ad

ad tuum pervenias? at si id velles, jam pridem id factum esse videremus. ut aliis cohaeredibus antepone? at sine summo scelere reliquos cohaeredes tecum institutos ad idem jus pro rata portione vocatos fraudare non potes. ut honorificentius propter nobilitatem tuam tecum agatur? at neque nobili, ut de bonis alterius quidquam detrahat, leges, neque jura permittunt: et nobilis homo nemini debet injuriam facere. Quid ab aliis autem cohaeredibus dicitur? haereditatis partem petis, non negamus deberi. Partitio fiat statim, non recusamus. Nūquid praeterea? si vis, ut praedia magis fructuosa, aedes ampliores dentur, dummodo pecuniis, aut aliis possessionibus hanc nostri juris imminutionem cōpenses, transigemus facile: sin autem nobilitati deberi dicas, leges des, et jura, quibus tenemur: nam quo quisque nobilior est, eo magis liberalis esse solet is ad aliquid de suo largiendum, nō autem ad eripiendum alteri magis indigenti.

SERMOCINATIO OCTAVI GENERIS  
per dissimilitudinem.

**D**ices, quid postea, si in scholis omnino nūquam fui? respondebo, at ego in officina litterarum assiduus fui. Fateor me ab hoc scholasticorum genere abhorruisse semper. At ego dicam me scholasticum fuisse, quemadmodum alii fuerunt. Non continuo si me in gregem adolescentum mei generis, atque vitae contuli, sum liberior, atque solutior, et ut tu praedicas, dissolutus, atque perditus. At ego profecto, qui nec novi quenquam, nisi scholasticū, rebus litterariis praeditum, longe abs sum ab hujusmodi, quae tu me suscepisse dicis, maleficiis. Et hi scholastici cum gladiis reperti non nunquam. Non sum ego ex hoc genere scholasticorum: neque gladios distringere, sed rem litterariam agere praecipitantes me docuerunt. Non negare potes liberos esse, so-  
lu

lutosque scholasticos in academiis versantes. Et isti habent Rectores, et iudices suos, disciplinam etiam praceptorum, quorum potestate, monitisque saluberrimis suum officium faciunt. At et nos habemus iudices nostros, quorum falces, securesque formidamus, doctrinam quoque parentum, qui nos alteram effigiem moribus, et studiis ad similitudinem suam deducere conantur. Et scholastici praeter communem hanc parentum disciplinam, praceptoribus de terrarum orbe exquisitis, et libris, unde exempla honeste, sancteque vivendi petantur, quotidie utuntur. Quot homines saeculi scholasticis meliores, et ad omnem virtutem, et ad honestatis officium propensiores inveniuntur? Imo si comparatur bonorum scholasticorum flos ad decus mortalium hujus saeculi, illi multitudine plures, virtute praestantiores, et omni genere claritudinis illustriores numerabuntur. Non sunt de scholasticis comprehensi multi? non virgis caesi per vias publicas? non capite mulctati? non laqueo suspensi? et saeculi mortalium vim, et multitudinem capere non possunt carceres ad hos dumtaxat, et concludendos, et continendos aedificati: neque diem mihi dabis istiusmodi generis hominū nefariorum suppliciiis, poenisque capitalibus vacuum, aut liberum. Ut pauciores sunt scholastici, sic qui evadunt scelerosi, non facinoribus, et improbitate videntur reliquis nefariis, et sceleratis hominibus excellere? Hic nunquam, quod dicis, mihi planum facies: nam homicidia, parricidia, sacrilegia omnium vitiorum portenta ab his in homines, in patriam, in Rempub. profiscuntur. Quare tu nunquā ita nobiscū contendes, ut scholasticos ad maleficium magis paratos, et instructos esse, quā tui similes, et me magis, quam te ipsum tuis argumētis, rationibusque convincas. Vide igitur, in quem maleficium istud cadat, in me scholasticum, an in te audacem, et impudentem hominem.

## SERMOCINATIO NONI GENERIS

ex comparatione, per optationem.



Vis in hoc certamen litterarium provocabitur? utinam is quidem in hoc gymnasio esset. In gymnasio est. Iam utinam adesset soluta, et ligata oratione certaturus. Adest. Utinam sederet Ildefonsus in subfelliis oratorum, atque poetarum. Ipse est Ildefonsus. Idem ne poeta, et orator? Hunc fuisse scimus summum, et singularem, et in utroque sic excellentem, atque si in singulis suam omnem aetatem contrivisset, nihil egisset aliud, ad nullum, nisi aut ad poeticum, aut ad oratorium studium incubuisset? huc ipsum, quem ego dico, quem ego tantopere commendo, si adesse viderem, vos ad nostram poeticam, et oratoriam facultatem exercendam mecum certantem, contendentemque videretis.

## SERMOCINATIO DECIMI GENERIS

illustrata Dialogismo, et effictione.

Quis ante domi suae miserimus, et inanissimus erat, repente haeres institutus, cum tantum nummorum in arculis reconditum videret, ad omnem miseriam, et avaritiam versare mentem suam, haec secum cogitans, atque loquens coepit. Ostendam pecuniam hanc? proferam loculos nummorum? Quid inde? ut infumam illico? vel cogam mutuas dare? si celem, si occultem, quid mihi praeter dedecus, et ignominiam avari? At capitur voluptas ex aspectu pecuniarum? relictam igitur pecuniam filios nostros celemus, et in loculis inclusam reservemus, et illos aperientes inspiciamus in pecunias, et eisdem dicamus bona gaudentes verba. Quid vos oro, et quid me adjuvatis pecuniae? si non large sumtus opera vestra faciamus? Illae mihi, quoad voles, respondere visas sunt

se-

sequemur; sed quid attinet te impendere, cum te aspectu delectemus nostro? cum unus, et alter dies intercedat, et tibi pecunias videndi voluptas erit maxima, ubi vero tu consumseris, tristis, atque moestus eris, et semper ut antea indigens? hic ipse haeres plane avarior aspectu pecuniario pastus, qui pecuniae, quam conditam habebat, animo, atque cupiditate incubaret, exporrigit frontem. Recordamini faciem, atque ipsum avari hominis laetum, hilarumque vultum? gaudet consilio dato pecuniae retinendae. Manarat sermo inter vicinos pecuniarum magnam vim huic esse relictam, absconditam eundem fervare, nec velle quidquam pecuniarum absumere. Interea filios, et familiam, atque ipsum miserum hominem fame encari. Quid huic homini facias, qui se perire potius patiatur, quam a testatore pecunias acceptas in usus necessarios converti.

## DE DIALOGISMO

## PRAECEPTIONES

## Dialogismi.

Proximus est sermocinationi dialogismus: qui sic definitur. Prius solet. Quoties personae tribuitur oratio brevis, vel longa, pro decoro tamen illius. Habes exempla in concionibus Livii. In orationibus suis mirum est, et singularis Cicero hoc in genere. Constat ex variis argumentis, et schematum luminibus, quae decursu exercitationum satis apparebunt, illustratur.

## DIALOGISMVS PRIMI GENERIS.

Nunc tantum a fratre requiro, quam injuriam sibi factam queratur? cupio audire. Non, inquit, injuriam queror. Quid igitur? delatum me ad praepitorem, proditum, et desertum, a quo defendi debebam, et purgari. Quid tum? hoc fratrem facere non licuit. Iam id videro. Sed primum illud quaeram

X ram

ram? it se perditum frater ingeniosus, valens, aptus ad studia, magna expectatione adolescens, quod suis commodis non officiat, quod a scelere abstrahat, quo modo potest, et debet, quoniam aliter obtinere non potest, id proditionis crimen, atque perfidiae dices? quid hoc imprudentius dici, aut fingi potest?

## DIALOGISMVS SECVNDI GENE-

ris ex fine, cum antecedentibus.

**L**ocus erat quidam, quo in loco uno omnes post praelectionem repetendi causa deambulabant, facta est paucis post diebus mutatio loci istius, quae scholasticis facta est injuria? at moleste ferunt nonnulli? Credo: ablata est enim contra voluntatem, quae erat flagitiorum perpetradi oblata, facultas, et praetereuntium hominum irridendi occasiones non paucae. At queruntur? impudenter faciunt. Non enim omnia, quae dolemus, eadem jure queri possumus. At accusant Rectorem verbis gravissimis: non boni, sed improbi scholastici suis perturbationibus concitati. Quo loco etiam, atque etiam facite, recordemini, quae sit temeritas multorum praetereuntium, quae cachinnationes excitatae, quae verba contumeliose facta, quid in lacesitis, et injuria affectis impotentissima faciat iracundia. Ibi, in illo loco, in circulis scholasticorum, cum sit platea plena rhetorum, plena dialecticorum, plena optimorum, et praestantissimorum scholasticorum, cum praetereat plateam unus, aut alter insolens injuriarum, et uno verbo, vel sibilo provocetur ab incōsiderato scholastico (neque enim in tanta multitudine aliquis esse non potest parū consideratus, et procul dubio saepe temerarius) quantos unius inconsiderantia fluctus excitari perturbationum saepe vidistis?

## DIALOGISMVS TERTII GE-

ris ex efficienti.

Cum

**V**M repente scholasticus juberetur se defendere, apud quos rogat? apud me, inquit praceptor, si tibi idoneus videor, qui de meo scholastico, ac discipulo judicem. Idoneus es, inquit discipulus, sed vellem, adessent ii, qui quaestioni nostrae interfuerunt, causamque omnē cognoverunt. Dic, inquit, si illi adesse non possunt modo, audiemus hos postea, crastina die. Scholasticus hercule, inquit, is me provocavit prius, et ut verbum redderem minus modestum, coegit: et simulatque ab eo loco abire visus est, ad te conquestum venit ipse. Praceptor iratus discipulum verbis vehementioribus prosequitur, atque ei gravius minari coepit: quod iam tam bonum scholasticum, tantum scelus, et crimen susceperit. Ioannes, qui ei praepetori operā daret, ut sui praepetoris, auctoritatisque meminisset, et qui sciret se ita in his scholis litteras discere oportere, ut ne quid de modestia deperderet, praepetori amplius nihil respondit tacens, et muti similis. Praceptor demissione scholastici permotus discipulo, quae visa sunt, et quae modestia postulabat, et demissio, respondit. Itaque causam testibus postea adhibitis se cogniturum promisit. Ita ab illo loco ille discedit, idemque hoc reliqui praeter paucos pro foribus gymnasii stātes, nulla expectatione temporis, neque dilatione fecerunt.

## DIALOGISMVS QVARTI GENE-

ris ex efficienti, per correctionem.

**A**Sperius, inquit, loquutus es aliquid aliquādo. Imo fortasse lenius, si causam mihi respondendi datam cōsideres. At id ipsum, inquis, non est lene verbum. Ergo hi asperiores erunt, qui queruntur injuriam factam, non ver-

X 2 bum

bum reddunt acerbius. Vbi nam asperitas verborum? Vbi acerbitas, de qua tantopere apud fratrem questus es, apud auctorem vero exoptulasti nunquam?

DIALOGISMVS QVINTI GENERIS  
ex efficienti, et effectis, cum adjunctis.

**Q** Vaeris, quid sit, cur aut ego, aut quisquam nostrum hominibus sanctissimis in civitate versantibus malum aliquod metuamus? Paratos habemus, qui se interponant, paratos, qui nos periculis liberet: vacui metu esse debemus. Quas tu mihi, inquis, preces? quorum patrocinium? quorum ope divini Numinis manus continentur. Magni habemus ista, et nimis praeclara, et magna firmamenta ducimus. Quid ergo? placabitur Deus immortalis, omnes claudetur aditus ad miseriae, ipsi boni suis precibus iram divinae Majestatis a nostris capitibus avertent. Quid tum postea? beneficia corporum, et animorum saluti viri sanctissimi petent? cedo aequitatem petitionis? ostendisti jam, nam boni Deum precabuntur: hoc enim in Ecclesia officium faciunt, sanctique Deum exorabunt, suppliciaque deprecabuntur vestris capitibus impendentia. Bene quidem: sed si viam vitiorum relinquatis, illorum opem, auxiliumque praesens experiemini.

DIALOGISMVS SEXTI GENERIS  
ex adjuvanti causa,

**A**ppellat hominem hilari vultu, ut blandissime potest. Quid tu, inquit, ecquid non me adjuvas, ne nobis iste toties sit infestissimus? ille vero, simulatque hoc audivit, nec invitus, quo vales, inquit, te sequar. Sed quid vis? Tu alter. Si te celaturum esse pollicearis, animum tibi meum ostendam facile. Dat iste fidem, suaque interesse maxime dicit, postquam se admiscere visus est. Quid igitur conditor totius negotii

tii? ut proficiscamur aliquo, et nobiscum deferamus Petrum simulatione delectationis rusticanae, quam tuis in hortis capiendam decreverimus. Cum vero illuc pervetum? haud injuria impunita relinquetur. Placet, alter respondet, consilium. Coeamus igitur in platea, unde per portam, quae in hortos ducit, contendamus, et facile cogitata perficiemus.

DIALOGISMVS SEPTIMI GENERIS  
ex adjunctis.

**A**geris nunc reus homo. Quibus tabulis? quae in monte Sinai datae sunt. Quo accusatore? a quo tu appellat? es semper. Qua appellatione? morfu intolerando conscientiae. Qua lege? decem fidei perscriptionum tabulis divinis. Et quo potissimum capite legis? cum aliis, tum secundo, et extremo.

DIALOGISMVS OCTAVI GENERIS  
ex adjunctis, antecedentibus, et consequentibus.

**Q** Vid obsecro illi adolentes responderent, si quis ab his quaereret, si percussistis Ioannem, qua de causa? nempe quod nos apud praepceptorem indicasset. Quid dani vobis fecit? nihil, sed delator ille fuit. Percussistis igitur, quid ita? quia cum ipse recte suum officium fecisset, illum innocentem pretium hoc ferre suae virtutis aequum erat? Si igitur vos non detulisset ad praepceptorem, quis tantam libertatem adolescentum? quis tantam licentiam, et impunitam maleficiorum pravitatem? quis tantam scholasticorum libidinem vituperare non deberet? Quod si hoc videtis, quod jam vestra confessione patefactum est, si ab indice jure vos reos factos, praeserim a tanto delatore aequissimo, optimo adolescente cernitis, si nihil affinxit, nihil addidit ad vestra delicta, quo face

ret id, quod deferebat, gravius, simul illud fateamini necesse est, nullam vobis causam esse potuisse, cur huic manus audacter attulissetis.

### DIALOGISMVS NONI GENERIS

ex enumeratione.

**C**Ur autem homo in concionatore inveharis, a quo quidem verba quam sancte facta fuerint, et a bonis omnibus in bonam partem accipienda, sciunt omnes? nūquid nominatus es a concionatore, qui, cū publicū crimē tuū esset, omīssa persona, delicti, et facinoris tāti improbitate nominata cōtentus fuit? Nū aliud, atque cōsuevit de caeteris criminibus, in te praesentem dixit? cum ibidē esses, cū resideres? admīstus aliis, et cum aliorum facta peccatorum reprehēderet, nunquid cōqueri jure potuit, aut visus est quisquā alius praeter te? nisi vero eo cōciones spectant, ut eum nō pungat quē aequum est peti, concionatoris sermo, atque ille verū dicere nonnunquam omittat. Tu te ipsum prodis, tu scelera tua indicas. Melius esset, ut ad te redires, et quidquid illud est, quod in te vides inesse turpitudinis, per confessionem expiares.

### DIALOGISMVS DECIMI GENERIS

ex enumeratione, cum exclamatione,

per Ironiam.



**A**T quis laudat? veteranus aliquis? aliquis cōdiscipulus? ne is quidem. Scolasticus aliquis? minime. Quis igitur hunc adolescentem laudat? qui servus istius fuerat, Stephanus. O laudem admirabilem. O probum hominem. O nunquam satis pro dignitate laudatum. Ab hoc producti nulli boni testes fuerunt, non cōdiscipulus, nō sc hoasti-

cus

cus, non ex tanta multitudine unus, sed servus herum commendat.

### DIALOGISMVS DECIMI GENERIS

ex enumeratione, cum repetitione, et praecoc-

pationum refutatione.

**C**Um Praeceptorem tuum recordareris, et supplicia saepe statuta propter huiusmodi scelera in gymnasio quotidie videres, te neque recordatio praecceptoris, neque severitas illius, neque ratio exigenda tuarum occupationum, neque suppliciorum quotidianus aspectus ab isto scelere revocare potuit? A praelectionib⁹ abfueras, quid ita? occuparat te Pater. Quamobrem? onerabat navim in Indiam. Quid, servi ignavi fuerant? An cum pluribus administris annuam mercedem tribuat, te huic negotio praefecerat? At multos dimiserat. Mercator scilicet gnavus, et industrius, et omnium maxime intelligens id temporis, cum illorum maxime indigebat, ministros dimitteret. Quid autem erat, cur quenquam dimitteret, si neque aliquid mali quisquam fecerat? ea fuit voluntas patris. Et ad sua negotia prius ille recepisset neminem? Quid ego scio. Non est credibile tantam in ullo fuisse mercatore negligentiam.

### DIALOGISMVS DVODECIMI GENERIS

ex eadem enumeratione, cū exclamatione,

dilemate, atque cōplexione.

**A**T enim nobili Antonio gravis injuria facta est, et non ferenda, quod cum esset claris natalibus ortus, sic eum tractavit Ildesonus, quasi illum generis nobilitas nō commendaret. In quo quid reprehendas, scire cupio? quod dedecus, et probrum ducas? qui doces? praeteriens non salutavit. O magnā generi ignominia inusta. Quid, ab uno verbo nō facto ignominiae, et cōtumeliae proficiscuntur? Nunc

X 4

au-

audio. Sed quaero, utrum de industria? an inconsiderantia? de industria, non potuit: nihil enim ab hoc dedita opera prave factū audierunt homines. Inconsiderantia? hoc magis modo caret injuria factum: quod cū omnia provideri non possint, si quidquam non animadvertisti, mirum non est. Relinquitur illud, quod tu mihi non negabis, causam te quaerere voluisse dissidii, qui tam levi de causa dissuere amicitiam velle videaris.

**DIALOGISMVS DECIMI TER-**  
tium generis; ex dissimilitudine.

**N**ec vero, quid mihi irascere, intelligere possim. Si quod eam academiam frequento, quam tu relinquis, cur tibi quoque ipse non succenseo, qui in eam scholam non venis, in quam ego vēto? libertatem, inquis, amo meam. Et libertatem ego contendo meam. Non debes hanc libertatem appellare, quae faciendi cuiquam, quod liberum fuerit, facultatem eripit. Nullam magis, atque eam, quae motus corporis effraenatos coercet, animum ad Deum erigit, libertatem appellabo. Cur me regulis, et praescriptionibus subiciam? quia liber es. Cur supplicium non recūsem? quia meritis es. Liberi hominis est hanc servitutē perpeti? imo servitus nō est, quae servitutem duriores a nobis depellit, et quenquam liberat crudeli dominatu Daemonis. Vtrū magis homini ingēnuo hoc necesse est fieri, an quod tu facis? nescis modo, inquires, quod dico, liberum te volitare velle, laetum, et alacrem, nullam non pro libidine tua voluptatem captantem. Intelliges progrediente tempore quam recta via aberraveris: nunc es puer, qui neque tuum animum, neque recte cōsulentes audire velis. An vero cum status agatur animi, id est gratia divini Numinis, optimus quisque vir servitutem servire volet, cum animo suo cōsulat, quam pluris facere debet, quā corpus, et omnia genera bonorum?

. DIA

**DIALOGISMVS QVARTI ET**

decimi generis ex relatis, cum praecocupatione.

**P**ostulabas, inquis, ut librū cōmodarē. Injuria postulabas? Non equidem. Ita jubebare. Non debebam. Ita. Verum praeceptor decernebat. Quid si me, et meis pecuniis emtus? Igitur scholastici non praeceptori parebūt? hic te, inquit, teneo. Non est istud morem gerere discipulū, neque praeceptorem vereri suum: cum mandata illius non exequaris. Hoc ego cum attendo, quā audacia fuerit Ildefonsus, respōsurum esse eundem arbitror, oportere, aequum jubere praeceptorem, ut ejus dicto sint audientes discipuli.

**DIALOGISMVS SEXTI ET DECI-**

mi generis ex comparatione, cum interrogatione, et praecocupatione.

**S**atis ne magnum hoc beneficium videtur? nullū opinor majus, quam gratiam referre, qui accepit. Dices nullam pro beneficio referri parem posse gratiam, habiturum te per omne vitae tempus, atque nunc gratias agere te maximas, et immortales. Placet mihi ista gratificatio: cū enim quod reddas nō habueris, id verbo, et animo te referre satis est: neque majore vinculo obligantur inopes, quam accepti beneficii grata, memorique recordatione.

**DIALOGISMVS VLTIMI GENE-**  
ris cum evidentia.

**I**ngressi in navim nostram praedones immanissimi me pecuniis omnibus, obsignato argento, et aureis laminis spoliarunt, neque quidquā praeter thoracem reliquerunt. Aderat tunc unus de navi nostra, qui me viderat in thorace abs-

Y cō

condisse torquem unum, et parvulam muraenulam auream, aliquorum orbium, nec magnae admodum existimationis. Ille, ut gratiam a Praefecto navis iniret, quas illum celarem ego res, indicat. Iubet me unus de praedonibus, muraenulam, atque aureum torquem ad Praefectum statim afferre. Permotus sum, quod haec duo me celaturum esse putaveram: nam jam isti praedones arbitantes nihil aliud mihi reliquum, quod auferrent, ad alios spoliandos transferant. Iubeor promere utraque rem, ne mihi vita adimeretur, et mecum statim ad Praefecti cameram portare. Eo cum venio, Praefectus spoliadis aliis hominibus occupatus erat: praedones alii, haec, illac circuncursabant. Qui simulatque me viderunt, ubi sunt bone vir, inquirunt, torques, et muraenulae aureae? ostendo tristis, laudant. Incipio jurare me nihil habiturum ad alendum filium, quem habere, quod alicujus esset pretii in patria mea, si istae duae res auferrentur. Tum illi, ubi me lugentem, et deplorantem miserias vident, alios vis nobis prodere, ut haec ne auferantur abs te. Recordor de hominibus, respondeo, qui magnam vim auri, et argenti in hydria abdidit: dixi me praediturum res maximi pretii, unde multo plus, et tantum lucri fortasse deferant, quantum haec ab omnibus abstulerint. Allicit me blanditiis Praefectus, meum torquem, et muraenulam auream poscit. Tunc illi coeperunt praefecto dicere, relinquatur haec inopi, miseroque homini, id quod dixerat se majoris ponderis, scilicet argentum, et aurum indicaturum esse, indicet, luteum negotium istud esse, non comparandum ad id, quod venturum sperabatur in manus, si verum iste diceret. Praefectus ait idem ipsum velle. Ita pauper res suas aufert, et indicat, quas, praedixerat. Sic sunt hominum mores, ut suarum rerum conservandarum causa aliis malum comparare velint.

## DE PROSOPOPOEIA.

## PRAECEPTIONES PROSOPOPOEIAE.

Pro-

**P**rosopopoeia est figura amplificationis, qua servato decoro personis veris sermonem affingimus: eundemque nostra voce, et gestu sustinemus. Dixi servato decoro: nam oratio per Prosopopoeiam facta personis, quas inducimur loquentes, convenire debet: alioquin vitium est, si affingamus puero verba Herculis, si stulto verba sapientis.

Est Prosopopoeia triplex, continens, interrupta, obliqua.

Continens est, quae constat sermone perpetuo, ut pro M. Caecilio. Existat igitur ex hac familia aliquis.

Interrupta, dialogismus est, de qua separatim egimus: et postea subjecimus exempla.

Obliqua est cum quis commemorat, quae a se, vel ab alio dicta sunt. Cic. divinatione. Dicebam eos habere actorem Caecilium, qui in eadem provincia, post me Quaestor fuisset. Idem de alio, pro Quintio. Quemadmodum natus, inquit, et educatus, memini. Vetus est proverbium de scurra, divitem facilius multo, quam patrem familias fieri posse.

Ex quibus argumentis fiant, quae sequuntur, exempla docent.

## PROSOPOPOEIA PRIMI GENERIS

ex fine, illustrata privantibus, compara-

tione, cum repetitione, interro-

gatione, praeoccu-

patione.

(?)

**S**I Franciscus ille Ximinius sempiterna memoria dignissimus, illa Cardinalis dignitate celsissima, illa Hispanorum moderatione regnorum suis humeris inclinata recumbente, illa denique vestrum omnium parentis, et hujus tate academiae coditoris auctoritate vobiscum quereretur, et exoptularet, quam aliam querelam aequiorem, ac magis necessariam a mortuis excitatus deferre videretur?

Y 2 quid



quid aliud quaeso magis graviter, magis dolenter quereretur, quam quod jus ad praeceptorum onus, et provinciam sustinendam necessarium est, a nonnullis scholasticis per annos hosce non servatum, vel violatum omnino fuisse? siccine suae diceret utilitatis? siccine communis scholasticorum commodi? siccine denique academiae tantae praescriptionum? denique jursurandi, quod dedistis, vos praestantioribus suffragaturos esse praeceptoribus, obliti fuistis? Ideo ne academiam ego condidi bonis legibus fundatam, atque praecclare constitutam reliqui, ut vos suis commodis officeretis? Quod est nomen amanti? quod indulgentius quam maternum? quae mater vobis tantopere indulgens magis suo gremio, sinuque complexa est, quam academia, quae alit vos lacte suo? quae bonis instituit, formatque disciplinis? hanc ei gratiam referetis, ut doctissimos quosque, sapientissimosque praetereatis, cum hos praepone re reliquis competitoribus deberetis, et hujus officii faciendi causa suffragiorum jura dederit, atque potestatem? quid est aliud cathedram adimere sapientibus, nisi imminuere nostram academiam? nisi fortunatam felicitate doctorum deprimere vos, et delere velle numero scholasticorum, atque sapientia hominum privando doctissimorum? nam si quod malum dedistis per hos annos, idem pergatis in posterum academiae dare Complutensi, qui doctis hominibus succurretis? qui nam in academia mea manebunt praemiis, et honoribus exclusi? non adibunt ad alias officinas litterarias, et celebriores academias, ubi litterae pluris aestimentur, melius compensentur labores, et mercede cumulatiore recipiantur litterati, quaesiti, rogati que permultum? non eo se conferent, ubi cum honore praemii affecti dignissimis, principes academiarum dominantur, atque regnent? Scholastici bonis destituti praeceptoribus Compluti manebunt? non in alias academias contendent, ubi accuratius discant, et percipiant bonas litteras? Vbi studiorum curriculum recte, laborioseque emessi ad litterarios honores aditum habeant? ita procul dubio praec-

cep.

ceptorum, et scholasticorum numero, et praestantia privabitur Complutensis academia: qui vero fuerint, pauci quidem erunt, atque hi necessario imperiti bonarum artium, et qui inopia rei familiaris oppressi disjuncta litterarum domicilia nequeant contendere. Dices habitam a te rationem fuisse doctorum: at de doctioribus deligendis, neque leges, neque jura loquuntur. Praeclara defensio suffragationum vestrarum. Quasi vero cum de praemiis duo certant, leges praemium, et honorem ad praestantiorum non deferant. Vestra fraus, vestrum maleficium, vestrum scelus erit, vos id, quod natura, et legibus comparatum est, ad vestrum arbitrium, et libidinem scelerate conferre, et plus, ut plane loquar, pecuniam apud vos valere, quam subornati fuistis, aut amicos, et qui de patria vestra fuerunt, candidatos valuisse, quam matrem omnium communem, quam justitiam, quam veritatem, quam ipsum Deum immortalem: qui ut recte, et ex sua voluntate suffragari minime, sanctiones academiae vestris mentibus tanquam faces ardetes, et lumina clarissima praetulit. Vbi docti fuerint, et doctiores, hi procul dubio praeferendi sunt. Leges doctis hominibus locum relinquunt, nisi doctiores ad cathedram, ad honores academiarum aditum praeccluserint. Vos matrem a doctioribus relictam, a vobis deformatam, vestrarum suffragationum causa dedecoratam, in squalore, in tenebris jacentem apud alias academias, apud gentes omnes, et infamiam laborantem, et nullam prope jam habitam, de summa, maximaque quondam Hispaniae academiarum contemptam, atque spreptam, et omnium convitiis laceratam, discerptamque esse patiemini? Illam, nisi ad vos redieritis, suum nunquam statum, neque fortunam recuperatam fuisse scitote. Mei autem frustra labores suscepti, frustra in Hispaniarum regna beneficia collata, frustra tot a me instituta collegia, frustra tot diversarum artium, et omnis generis disciplinarum aperta musaea, frustra omnium collegiorum maximum, et collegarum tantus splendor ad academiae lucem, et gloriam immortalem, frustra tot

Y 3.

pe-

pecuniae, tot auri, et argenti pondera adsumtus, ad praecceptorum stipendia collata, si vos ad nihilum haec omnia ornamenta redegeritis, extitisse videbuntur. Haec si quereretur illustrissimus ille, et saeculorum omnium memoria dignissimus Cardinalis Franciscus Ximenius, quam vim animis vestris afferret suis gravissimis, acquissimisque querelis, vellem vobiscum taciti cogitare.

### PROSOPOPOEIA SECUNDI GENERIS

ris ex fine, conglobatis definitionibus, cum enumeratione, exemplis. Figurae sunt repetitio, interrogatio, praecipitatio, occupatio, ironia, obsecratio.

**E**T enim si cum aliquo concionatore Respub. Christiana, quae huic vita sua multo carior esset, si sacra Religio, si Caritas ipsa loqueretur, quid aliud quaeso diceret? Concionator divini verbi quid agis? tu ne Daemonem, quem esse animorum hostem cognovisti, quem perennem humani generis inimicum vides, quem dies noctesque animos hominum obsidere non ignoras, auctorem peccati, principem flagitiorum omnium, evocatorem libidinosorum, et perditorum hominum regnare tantopere in hac civitate patieris, ut a te tuis concionibus non ejectus e civitate, et translatione multorum ad meliorem vitam, bonosque mores alio jam diu non amandatus fuisse videatur? nonne peccatum exterminare, non tyrannidem Daemonis depellere, non ad caelorum gloriam traducere mortales tuis concionibus contendes, et eniteris? Quid tandem impedit te? mores ne aliorum concionatorum flores, et pigmenta confectatum orationis? At non hi leges, et jura concionandi servat, et ab scopo, quem collineare debent, amentes procul aberrat. An perversitas hominum, et corruptela, quae non multum abest ab habitu tetricioris, et additi poenis inferorum? vis, et facultas orationis Christianae magis depravatos animos a vitiis avocabit

bit. An si nonnullos mordeas, id quod facere necessarium est, horum, aut sanguine secum conjunctorum insidias times? praecclarum profecto ages concionatore, et egregiam Deo rationem muneris tibi demadati reddes, qui te venustate agendi, scientia sacrae theologiae, viribus, et facultate dicendi, et auctoritate, et opinione multa, et hoc statu, hac dignitate viri religiosi conspicuum, et admirabilem fecerit, si propter alicujus periculi metum, aut leve suspicionem, quam saepe Daemon facit, ut bonum ac praecclarum opus impediatur, tu munus tuum egregie praestare destiteris. Sed si quis est amittendae vitae metus, non est vehementius severitatis, ac vindictae divinae supplicium metuendum? An cum peccatis contaminetur omnia, deformetur animi, in servitute tradantur Daemoni, a suo disjungantur Creatore, omnes denique ferveant avaritia, flagret iracundia, libidinibus ardeant, et omnis generis flagitiorum incendio privatim, et publice civitas conflagret, salutem animorum sanguine Christi Iesu restituta concionator aspernabitur? His ego sanctissimis Fidei vocibus, et honorum omnium, qui idem cupiunt, mentibus pauca respondebo. Faxit Deus, ne sim ego ille concionator, qui florere, et ornatum confectex orationis: ut quod ad salutem animorum datum est concionandi munus, ad aurium voluptatem convertat. Scio quatenus in mortis angustiis animi e corpore appropinquante discessu, et jam jam desperata prorsus valetudine conscientiam pungat, et stimulent officii male facti tunc in animo maxime inhaerentes scrupuli: et quatenus concionator id temporis recte munus suum fecisse vellet, et egisse negotium dumtaxat animorum, et rem ipsius immortalis Dei. Numquam equidem summi viri, et principes nostrae religionis non modo multitudinem ipsam, atque locupletissimos homines, sed neque Reges, et Imperatores ipsos metuerunt, et magnam semper illis animam, et os etiam ostenderunt ad maleficia reprehendenda. Chrysostomus ille sanctissimus audebat aditu ecclesiae, congressuque Christianorum, interdiceret Theodosium Imperatorem, cum ille veniret in templum praecedentibus aulae suae Principibus, omni pompa

pa, et apparatus consueto, majestate Imperatoria, quacun- que progrediebatur, omnium in se oculos, et ora convertete. Ioan- nes Baptista Herode non exhorret, et in custodia pro veritate defendenda caput obicit a cervicibus gladii diritate praef- cindendum, quod in disco sanguine recenti manans satiata ma- tris crudelitate filia Regis oculis spectandum protulit im- pudenter in publicum. Quid hoc ego semper animo non sim, ut mortem pro veritate allatam, vitam non mortem ducen- dam putem, et constantissime decernam? Polliceor me sic in posterum concionaturum esse, ut verissimos, quoad pos- sim, Dei concionatores imiter, et in finem intuens verum, so- lidumque concionandi, in salutem animorum, in decus im- mortale Iesu Christi. Reprehendam vitia sceleratorum, et om- nes impuritates, et intolerandam urbis luxuriam. Nihil magis appetam, nihil aliud facere constitutum, ac deliberatum ani- mo meo magis habebam. Tu mi Iesu sanctissime, qui superbiam omnem, et arroganti- am intolerabilem, atque ipsam sanctimo- niae simulationem vehementer reprehendisti, et tuis in con- cionibus aeterni Patris gloriam, et decus immortale contende- bas, ad fidem hanc praestandam, in hunc finem maxime ap- petendum, tua me quaeso caelesti virtute confirma.

### PROSOPOPOEIA TERTII GENE-

ris ex fine, et adjunctis, cum interroga-

tione, dissolutis, de beato

Ermenegildo.



Ed jam existat Hispalis, quae omnium com- munis parens est, et quanti beatum Ermenegil- dum facere debeatis, ostendet: sic enim vobis- cum loquitur. Hispalenses mei carissimi, cives- et amantissimi, qualem, ac quantum patronum ha- beatis benignitate vobis divina concessum, vellem vos om- nes consideretis. Non enim sine causa vobis datum esse, atque

tri-

tributum intelligite: in quem cum inspexeritis, in speculum virtutum inspecturos vos esse putate. Qui cum Rex esset potentissimus, atque in ea Regia dignitate collocatus, non dubitavit contra parentem bellum suscipere, et huiusce saeculi patrem pro Patre caelesti, et immortali commutare. Quae enim animum, quod os non ostendit sacrilego Leuvigildo per vim nefariam, Fidem insitam ex animo evellere molienti? non exercitus cogit? non auxilia petit a Romanis? non huiusce rei causa uxorem carissimam Ingundim, non filium tantorum haeredem regnorum obsides mittit Romanis? non aciem in medium campum educit? non instruit? non ornat? non bellica percrepante buccina primus in hostiles phalanges invadit? non labem illam, pestemque Leuvigildum vicisset, nisi a Romanis nefarie derelictus desertusque fuisset? cum captus est, cum a fratre comprehensus, succubuit animo? defecit in Fidei causa? Praeclaram equidem retulit gratiam immortali Deo, qui beati Leandri praeceptis institutus constantiam retinuit in gravioribus periculis. Nihil illum carceris angustiae, nihil caligo loci, nihil tenebrae, nihil ablatus hominum aspectus, sublataque colloquia, nihil itiones, reditionesque; Arria- norum a proposito animi abducendi causa ad carcerem a patre missorum, nihil injecta corpori vincula, nihil praegrades ferreae catenae, nihil regni, nihil diadematis, nihil sceptri spoliatio, nihil bipennis inteta capiti, nihil carnificis ora vul- tusque commovere potuerunt. Rex cecidit magno animo, mortemque invicta fortitudine oppetiit, ut lauream Martyris immortalem adipisceretur. Huiusce Regis pulcherrimo factio, virtuteque clarissima quid praestantius? quid illustrius ad veram, solidamque gloriam comparandam proponere vobis filiis amantissimis indulgens admodum mater Hispalis potuisset? hinc contemtionem, et rerum humanarum despicientiam, hinc patientiam in laboribus, in periculis fortitudinem, atque constantiam, hinc ad vos abjiciendos, et pro nihilo ducendos demissionem, hinc in Fide firmitatem, atque robur in-

Z cre

credibile, hinc in proximos, in Deum ipsum amorem, et ardorem caritatis inflammatum, hinc profundendi sanguinis sitim insatiabilem pro Religione vestra, hinc denique nihil, nisi quod vera, plenaque gaudia attulerit, quod aeternum fuerit, et immortale, capietis. Quare quam Fidem Ermenegildi sanguine revocatam restitutamque vestros in fines omnino videtis, ideo tanti constituisse putate, ut bonis moribus, integritate vitae, summa virtute tantam Religionem colatis. Neque tam vos aurum ex Indorum ultimis regionibus advectum, quam virtutes, et ornamenta Ermenegildi delectent: quoniam haec magis ornant, magis illustrant, magis hominem immortalitati commendant. Vos si mei cives esse vultis, et appellari, si me parentem unice diligitis, et quod debetis facere, salvam, et incolumem fortunam vultis in perpetuum, ad sedes caelorum mentis oculis, et corporis proponendas, ut quo debetis, in beatorum gloriam enitami, tanti Regis memoriam, et virtutes integre, sancteque colite.

#### PROSOPOPOEIA QUARTI GENERIS

ris ex causis, et etymologia, cum descriptione. Figurae sunt, interrogatio, et articulus.

**I**am te Antoni, non Augustus, non milites insectantur. Non is, qui bonis per summum flagitium retentis, et jure haereditario ablato, ut tu dictitas, est infestus. Populus Romanus a me producit, et ejus cives, atque Senatores, qui misere conquerentes obsessam a te Mutinam nefarie doluerunt. Quid exspectas? An ut Respub. quemadmodum Iulio Caesari Rubiconem transeunti capillis passis, et in humeros de industria dejectis, brachiis ipsis occurrens, humerisque nudatis, luctu, et moerore perdita, ictus pectoribus infigens acerrimos, lugubri, ac miserabili voce rationem a te officii tui, tuae dignitatis, boni civis, et Consulis flagitet. Ipsam puta adesse,

ho-

homo nequissime, et spurcissime. Intuere formam, et imaginem deploratis Reipub. redde te ipsum patriae, redde te tuis bona cum pace. Civitatem amicam populi Romani, et Consules, qui sunt parentes civium meorum, oppugnare desine. Cur cogis, clamat illa, populorum omnium dominam, partem orbis terrarum communem hanc miseram in publico vocem cum lacrymis, ac lamentis mittere? Cur cogis equites meos, Senatorium ordinem, cives clarissimos, Italiam denique totam tanquam contra tyrannum arma capere? cur compellis fortissimas, fidelissimasque legiones Quartam, et Martiam, veteranorum vim, et impetum in Antonium patriae caritate coactas concitare? Considera beneficium in te collatum, animadvertite fidem mihi datam, quoniam illum dicunt omnes Consulem, qui consulit, et providet patriae: non Consul est nobis Antonius, qui penitus eam conatur evertere. Sumus in Italiae visceribus, in Albano oppido, maxime idoneo, opportunoque loco. Sumus armis muniti fulgentibus, cum gladiis, atque telis: cum Senatus jusserit, et de Capitolio minimum nobis signum dederit, in Antonium invadere paratissimi properabimus.

#### PROSOPOPOEIA QUINTI

generis ex efficienti, cum Dialogismo. **P** S E mihi praeceptor manum injicit, et paulisper consistere, et commorari cogit. Unde hoc totum ductum, atque conflatum mendacium est? Ildefonsus est videlicet scholasticus callidus, et versutus. Hoc initio cogitare coepit, quoniam Martinus mihi servit, petam ab illo famulo mihi obligato, mei sepe indigete, ut apud praeceptorem me

Z 2 de

de absentia purget, et ut mea causa mentiatur, dicat occupacionem paternam mihi fuisse, quamobrem non venerim in gymnasium, demandata fuisse negotia, quae gesta nondum sint. Est hoc commune puerorum, qui se de aliqua re praecceptorem celare volunt, et eidem purgatos optant, ne in periculum flagellorum veniant. Quid deinde posteaquam decrevit id facere? Venit ad famulum, quem? puerum, improbum? imo optimum, studiorum inimicum? imo amicissimum, sepe abesse solitum? imo gymnasiū frequētantē. Huic posteaquam puer promisit se ad praecceptorem venturum esse, rogare coepit blande, et concinne scilicet. Mentire mea causa scolasticis omnibus, meis condiscipulis praesentibus. Dic me domi fuisse detentum. Dic patrem dedisse mihi negotium quidquam, quod agerem, et conficerem. Quid famulus? Ego vero cupide, et libenter mentiar tui causa: et si quando me vis pejerare, ut te periculo flagellorum liberem, paratum fore scito. Non fuit causa, cur has preces adhiberes, et promissa tam magnifica ostēderes: una minima significatione tuae voluntatis, quod facile fuerat, iussu tandem tuo impetrare potuisti: adeamus in scholas, si vis, ut conveniam praecceptorem, et purgem te apud illum de absentia, priusquam tu ingrediaris in gymnasium: ne multis sit opus percontationibus, et responsionibus multis, praecibo omnē a te culpam amoturus: simulabo me patris ad illum mandata deferre. Pro sancte Deus, ut hoc filius a famulo petiisset, aut ut puer filio petenti, et cū iusiurando falso paratus esset id concedere. Si biduum, aut dies aliquot abfuissent ii, quos scimus (et utrunque dico) et scholasticos frequentes, et optimos fuisse, neque illum unquam defuisse, nisi iustis, necessariisque de causis, et filio domino absente famulum, cujus opera sibi semper opus est, et praesentia, necessario quidem esse defuturum: obversari tamen debuit ante oculos utriusque imago veritatis, quae sic cum illis, et cum filio, et cum famulo loqueretur, atque severum hunc, et vehementem sermonem haberet. Quae sim, me cog-

nos-

noscite pueri, atque veritatem esse vobis omnes persuadete: quam ut colatis, velim minimis etiam in rebus, ne paulatim ad majora delabamini, atque ad peccata capitalia, ad insignia manifestaue perjuriam: quae facile suscipiunt, qui levioribus in causis fidem Deo non servant. Atque istud est bonorum adolescentum, et Fidei Christianae amantium, quidvis perpeti potius, quam a recta conscientia vel minimum defferre. Haec maxime vos consolabitur, sustentabitque gravioribus in periculis: cum crescatis scilicet, et adulti sitis, virique inter viros habeamini omni fide, et honore dignissimi. Quod saepe audistis nunquam excidat ex animis, memoriaque vestra, mendaces ex Daemone natos putari, atque his nunquam fidem adhibere bonos, etiam si verum postea dixerint, et cum iusiurando confirmaverint millies.

## PROSOPOPOEIA SEXTI GENE-

ris ad commiserationem, et reprehensionem

ex efficiēti, cum comparatione. Fi-

gurae, interrogatio, et

articulus.

**E**T enim quis est tam dissoluto animo, qui cū haec videat, tacere, ac non deplorare debeat. Me patrem vestrum perditum filii, cum locuples essem, vestris rapinis exhaustis, exhaustum in angustias maximas, atque in aegrotationis periculum adduxistis, matrem vestram omni auro spoliastis, patrimonium neque vobis, neque fratribus reliquistis. Quid vultis amplius? Etiam ne ad vitam parentibus exhauriendam, adhuc senilem spiritum conficiendum in flagitiis vestris, sceleribusque perstatis? In hac urbe tantas seditiones excitatis, ut in carcerem coniectos vos laqueo Praetor suspendat, et nos, totamque familiam dedecore, et infamia oppleatis? Adolescentes longe improbissimos vidimus in civitate nonnullos, et quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui simili-

Z 3

mor-

morbo laborant, insanissimi mos: sed aequae ac vos, furiosum sine dubitatione neminem.

PROSOPOPOEIA SEPTIMI GENE-

ris ex effectis, cum comparatione, dissimilitudine, fine, exemplo, descriptione.

Figurae sunt, interrogatio, Repetitio, Correctio.

**E**Gō ne pauperem ad me venientem nō audire potui? Expectabo, quam postea mihi Deus in rebus, et negotiis opem ferat? Ego ne vocem lugubrem, et miserabilem pauperis non auribus accipiendam curavi, ut me illius inopis, atque nudi miseret? Quam ille suam ostēdebat cutem, frigoribus et hyemis injuriis expositam, quod ostendebat corpus nudū, et spoliatum vestibus, non animadverti? Ita ne nulla me proximi coepit misericordia? Ego ne demissionem deposcentis, et preces adhibitas, et illam virginis toties repetitam intercessionem cum lacrymis, et fletu tanto, cū ipso corpore foetido, atque deformi, cū macie tanta, tanto pallore, atque pudore horrido aspernatus fuerim? Qui nihil a me nisi nummulum extorquendum, nihil nisi quod vellem, et id temporis haberem, ad miseras sublevandas efflagitabat, cui possem opem ferre manum inferens in crumenam, et expromens assem, nihil huic largitus fuerim? Quid dico largitus, cui ad me praebuerim acerbum, et inexorabile, ut uno verbo dimiserim vacuum, et inanem, tam tristem atque moestum, cū ad me totus tremens, atque pudore affectus accessisset? Qui potuerim verbum facere, importunitatem increpans? Quis hoc fratri frater? Quis proximus proximo? Quis Christiano Christiano ita respondit unquam? Paulo ante parasitus, et scurra, quod duo mihi ridicula verba dixerant, quod ad citharā ineptias, et scurriles versus concinuerant, crumenā exhausserunt, et exhaurirent nummorum magis plenā, et ad unū largiendum nummulū egētī tā strictus, tā avarus plane fuerim? Ideo ne domū mihi dedit potētissim⁹ caelorum Dominus, ut pateat para

parasitis, et scurris improbiſſimis, praeculsa vero sit pauperibus, et inopia maxima cōfictatis? ideo tot vestiū vim, et copiam innumerabile, ut ego, meique filii, uxor, atque filiae nō cultu solū, et ornatu pretiosissimo niteant, atque splendeant, sed arcae plurimae capere non possint sericas, et damascenas vestes, et multas aureo, argenteoque filo intertextas, pauperes, neque crassissimū pannū, neque rudē, atque cōtentissimum habeant ad corpus nudū amiciendū? nudis corporib⁹ incedant vicitim, et ostiatim misericordiā implorātes locupletū, et quoties meam opē imploraverint, cū probro atque dedecore dimittentur, et amandabūtur ad aliū, qui velit eisdem, et possit auxiliari? Ideo ne cōpleta cella vinaria, refertaeque sunt apothecae, penu redūdabit copia omnis generis rerū ad victū necessariū, ut me cibus cōpleā ad satietatē usque, quotidie minimū bis, et quoties collibitū fuerit, pauperes fame, sitique conficiantur, et me durū, et avarū adeuntes cum mala gratia, pessimis verbis accepti, dimissique frustulū panis non corrogaverint domi meae? Id scilicet beatus Martinus nondū Christianae Fidei insignibus ornatus, adhuc Caechumenus, atque miles faceret: qui in pauperē incidens sic aspectu fuit hominis ad pietatē commotus, ut gladio Chlamydem discindens tegendum, operiendumque non dubitaverit, quo facto sic aulam beatorum gaudio complevit, ut ipse Christus in habitum atque figuram pauperis vestitus, atque tectus media chlamyde se divo Martino spectādū visendūque praebuerit. Hujus nō dissimile factū commemoratur de divo Frācisco, qui miserum obviā sibi factū pauperē induit, quam gerebat, seipsum exluens veste pretiosa, valdeque splēdenti. Sic profecto me tantorum principū aemulū, et imitatorem extitisse testabor hac duritie, et inhumanitate tāta, qua pauperem dimisi, et ejeci supplicē a cōspectu meo. Ne considerarem me, et filios meos in has posse miseras incidere? non a florenti fortuna deturbari? non spoliari bonis omnibus, atque divitiis? Quo nunc animo expectabo classē

ex Indorū regionibus redeuntem; qua spe navim meam salvam, et incolumē? Quid mirabor, cū audiā has a praedonibus captas fuisse naves, illas tempestatibus demersas? non meis sceleribus, et inhumanitate naufragia huiusmodi meritū fuisse putem? accedat pauper, dimittam? quid? per quē oret, non animadvertam? revocavi scilicet discedentem demisso prae pudore vultu, seque in aedem inferētem aliam, ut remedium egestati suae comparet. Impotens, iracundus, cōtumeliosus, superbus in pauperes, quibus cum quidquam dederim, ipsum Christum acceptum referre non est dubium. Atque hunc excludens Christum exclusisse non videbar in pauperis cujuscunque persona latentem?

PROSOPOPOEIA OCTAVI GENE-

ris ex adjunctis, cum fine, per subjectionem.

**A**C jā nihil est, quod quisquā, aut tā superb⁹, aut tā arrogans sit, qui mecū certet: vellem quidē, liceret, aliquid de me dixissem. Dicas, licet. Laudassem nobilitatem generis mei. Laudes, licet, nemo prohibet. Proferrē principes, ac majores meos. Profer modo, fere omnes audient. Res illorum praeclare gestas jactassem. Aures praebebunt auditores, si nō inaniter, aut cum mendacio jactaveris. Post urbem hanc cōditam unum meum genus omnia poterat: quae posteaquam formam habuit civitatis, et coetus hominū congregatos suis moenibus sociavit, maxima principibus mei generis dignitas, honorisque sedes est demandata. Tamdiu autem eam retinere potuerunt posterī, quamdiu voluerunt. Posteaquā seditiones, et turbas, et has tantas, tamque perniciosas factiones, et malo Reip. ad urbis interitum permanare diutius, quā sperabant, animadverterunt, noluerunt in auctores, et principes discordiarum quidquam nec attingendae quidē rei familiaris causa facere: unum hoc dico, nostri isti parentes, atque propinqui mei, si non acres, et vehementes obstiterunt his perturbatoribus, a quibus haec fuerunt in Remp. profecta

ma-

mala, eos civium conservandorum causa fecisse. Quapropter inimici desinant aliquando dicere, viros hos splēdidissimos loqui hoc tēpore nō austos esse, qui antea libere, et audacter loquuti semper fuerūt. Desinant suum splēdorem, cum nostrorum hominum amplitudine comparare. Desinant, si illis se honoribus abdicaverint, de se aliquid detractum arbitrari. Videāt, ne praesentibus turpe fuerit, et ignominiosum, qui flos, et decus civitatis habebantur, eos propter factiones, et tumultus temere concitatos dignitates, et magistratus deposuisse. Quae quidem tyrannis, et dominatus intoleranda potētia quā viam munitet, quo iter affectet, vidēt omnes, et boni lugent eam ad direptiones, ad rapinas, ad caedes, ad libertatem, quae magni semper aestimata fuit, et pro qua retinēda gentes omnes gravia, diuturnaue bella susceperunt, cōculcandam, omninoque perdendam spectare.

PROSOPOPOEIA NONI GENE-

ris ex adjunctis, et dissimilitudine, cum interrogatione.

(?)

**C**VM hoc modo peccas homo nequam, non ne hoc palā dicis, ego quid auri habuerim scio, qua ratione comparaverim non curo, unum illud exspectavi, quod amantes saeculi appetunt, ad sumtus pecuniam non defuturā, me in gloria, et honore maximo versaturum esse, de bonorū comparatione, deque pravis rationibus neminem esse, qui me accusare per omne vitae meae tempus possit praeter factorū cōscium animum? et Deum fugere immortalem immania tua, te traque flagitia posse putas? haec te cupiditas in fraudem tantam impellet: non profecto hoc dixisses, si capita legis divinae magni habuisses, si verus Fidei Christianae cultor esses, si Deum tibi persuasisse poenas propter huiusmodi furta statim sumturum esse.

Aa

PRO

PROSOPOPOEIA DECIMI GENE-  
ris ex antecedentibus, et adjunctis cum  
dilemmate.

**N**unc tuos sensus Christus Iesus, qui communis est om-  
nium Christianorum Parens exploratos habet: et nū-  
quam vellet te nisi de caelorum gloria cogitare. Illius tu ne-  
que beneficia recordabere? neque voces audies? neque Numē  
divinum pertimesces? Ille tecum sic homo agit, et quodam-  
modo tacitus loquitur. Nullum jam tot annos diē sine sce-  
lere praetermittes? nullam horam vacuā peccato relinques? et  
tibi uni libidinum omnium impuritates, et execrandae tur-  
pitudines nunquam non voluptati erunt, atque cordi? tu nō  
solum ad cogitationes libidinosas suscipiēdas, et ad verba fa-  
cienda turpissima, verum etiam ad stupra, et adulteria com-  
mittenda perpetrandaque ferere praeceps? Haec quamquam  
omni tempore Christo Iesu fuerunt infestissima, tamen, ut vi-  
disti, pertulit. Nunc vero perferet te totam agere in libidini-  
bus vitam senem etiam? quidquid voluptatum potueris non  
praeterire, tu semper ferēdum putas? Omitte voluptates car-  
nis, ne mors si te inopinantem opprimat in inferorū regio-  
nes deturberis: sin aliquot annos post adfuerit, ut te paratū,  
et jam multo ante in gratia divina positum intercipiat. Haec  
si tecū, ut dixi, Iesus ipse loquatur, nonne impetrare debet,  
etiam si cruciatus suos, si mortem non adhibuerit ad ferreū  
tuum animum molliendum.

PROSOPOPOEIA VNDECIMI GE-  
neris ex enumeratione, comparatione, et dissi-  
mili, cum repetitione, et obsecratione, a-  
qua incipit exercitatio.

**O**rat, atq; obsecrat pauper, si nihil o dives de patris for-  
tunis amplissimis imminuitur, si de vestibus vetustissi-  
mis, et attritis pallium unum deposcit, si tibi plurima suppe-  
rūt

tunt abunde, si quae effragitat, jacent in angulis, si despiciū-  
tur a domesticis, neque filii, neque servi, neq; quisquā de tuis  
propter vetustatē suā, et propter plurima foramina, quib⁹ ex  
omni parte discerpta patent, induit, neque ullo tēpore induet  
in posterū, ut sibi per te liceat, nudū corpus, et frigoribus ex-  
positū cōtemtissimis, et infimis vestibus operire. Tu praedia  
multa possides, ego pedē ubi ponam, nō habeo: tu te pecuniis  
tuis magnificētissime alis, ego aliena misericordia vivo: tu-  
locuples es, et copiosus, ego quod inops sum, et vitā in tanta  
egestate dego, nisi quisquā ordinis ac fortunae tuae nūmulū  
erogarit, peribo, et interibo miser: domus tua nitet, et splēdet  
aulaeis ornata sericis, ego sub dio inopia tecti saepe pernocta-  
re cogor: mensa tua cibus exstruitur plurimis, et exquisitissi-  
mis, ego neque frustulū panis ad corpus sustētandū habeo: tu  
vestitu, cultuque corporis pretioso ornatus incedis, ego nu-  
dus, et frigore cōfectus, mēbris omnib⁹, et toto corpore tre-  
mens. Quid vis amplius? quid me nō spectas? quid nō respi-  
cis? quid uno solū nūmulo nō adjuvas? qua in re tuā rem fa-  
miliarē imminui posse putas? ubi de tuis pecuniis decessionē  
aliquā fieri? quid tibi defuturū metuis? si bonorū augēdorum  
causa nihil largiris, at illa Deus magis amplificabit. Quid im-  
moraris amplius, si nō argentū erogaturus es, et nūmulo cō-  
tētus ero? Si totū, quod est in crumena, argētū, aut aurū dicis  
esse, facile commutabis. Nō est servulus, qui commutet. Pro-  
foribus es, aderūt statim, simulatque inclamaris: neque lōgū  
quidē est tēpus, ut exspectes. discede, cōtēde, quo volueris, dū  
modo imperes frustulū nobis erogari panis, aut indusiū, vel  
vestē, quā afferre possunt de tuo mādato, qui manēt domi re-  
bus familiarib⁹ occupati. Quis tā inops, et egens? quis tā dis-  
cerptus, dilaceratusque fuit unquā? quis tā vestitus, tā victus,  
tā rerū necessariorū egens? vides me nihil in corpore vestitus  
habere, neque subuculae particulam aliquam praeter haec  
dissuta, milleq; foraminib⁹ patentia femoralia, quae sarta jā,  
resartaq; millies, tota discissa disruptaq; vidētur? Ita incedo



ut nudata sint crura, nudati pedes. Corpus ita se habet, ut terga ex aliqua parte tegantur, ac pectora nuda pateant, et aspiciantur. Quid brachia? quid humeros contractos, et lividos non intueris? caput horrido, et longiore capillo, faciem squalidam, et illuvie plenissimam, hac imbecillitate, hac tanta macie, ut vix pedibus me sustinere queam, intuere me. Si praedia, si domos, si vestes, si pecunias, si redditus, si tot opes, et divitias maximas habetis, ideo vos possidere putatote, ut vestris saltem reliquiis nostram inopiam sublevetis. Per ea, quae vobis carissima sunt, ut vestras augeat, et accumulet indies opes Deus immortalis, ut fortunet amplitudinem, et statum vestrum, per misericordiam, per clementiam immortalis Dei, nostrae vos inopiae, et extremae mendicitatis, in qua sumus, quam perpetimur totos annos, misereatur. Non postulo, ut praesenti misericordia emergam e mendicitate, sed ut mei misereri nunc incipiat.

## PROSOPOPOEIA DVODECIMI

generis ex dissentaneis, per postulationem.

**I**Taque praeclarus iste competitor, et candidatus praecellens vobis affert postulationem aequissimam, me sibi contrarium oppugnans. Aperte a vobis collegae sapientissimi petit, ut illum mihi vos anteponatis: et ait hoc se juste, sine injuria, et sine cuiusquam offensione concedere. Non enim, inquit, istud peto, quod alii candidati solent, cum vehementius concedunt, effragitare, ut candidatus meus collegium non obtineat: non peto, ut in aliud tempus potius, quam in praesens aditum expectet: id peto, da mihi hoc, concede, quod aequum est, quod justum, quod meis meritis, quod antiquitati debitum, et ab omnibus aliis prope concessum, quod mihi postulanti collegium non minus docti, non minus litterati concesserunt: quod

quod cum dederis, illud sine tuo dedecore, sine infamia, prope meo maximo iure dederis, ut in collegium nunc primum admittar, cujus ego causa maxime laboro. Atque ut aliquid roboris ac firmitatis suae causae accedat, annos, ait, multos esse, cum hoc ambierit Collegium: quia vident alii illud se consequuturum esse, eos cum adversario potentissimo, gratiosissimoque nolle contendere, quod ii fecerint, me facturum esse, qui nec litteris, nec tempore cum ipsis fuerint comparandus. Atque is non tam propter collegium laborat, quam quod intra paucos menses, postquam cooptatus fuerit, illum consilium Granatense manet, illum a consiliaris Regis, ab ipso Praeside ejusdem consilii Regii pro suis meritis maximis, quae ad hunc ordinem de nostro juris doctore delata fuerint, honore tanto afficiendum esse, id temporis expectari, ut honorificentius sibi dignitas tanti consilii deferatur. Huic ego candidato meo jam ante denuntio, si a vobis collegium hoc ille impetrare voluerit, rationem sibi petitionis suae fere totam esse mutandam, et ita quidem mutandam, ut non antiquitate magis opere confidat, qua quamquam ipse excellat, tamen velim, ut imitetur homines eos in petendo, qui cum longo tempore sint antiquiores, et de collegio decertent, nihil tamen ipsi consueverunt ad obtinendum, impetrandumque collegium praeter merita, praeter documenta ingenii data, praeter pericula in jurisperitia facta, afferre. Atque cum eo Praesidem, et consiliarios integerrimos colloquutos, ita velim, sibi persuadeat, qua ratione reliquis afferant tanti de terrarum orbe moderatores spem ad honores Regios ascendendi, si quae valent plurimum ad existimationem de eisdem, et opinionem habendam collegarum insignia consequantur: quamque ille se spem animo concepit, et me proculdubio ab eisdem cooptatum in vestrum collegium habere potuisse semper amplissimam, et ut est hujusce consilii cura maxima providendi rebus Hispaniarum, ac propterea idoneos quosque summa integritate deligendi, certissimam intelligat.

## PROSOPOPOEIA DECIMI TER-

tii generis ex dissimilibus. Christus

ad peccatorem.

**A**vdiamus sermonē Christi Iesu. Primum, ut alia omit-  
tā, ipse Christus Iesus dicere potuisset. Tu peccator pe-  
ctus medium dirumpens vulnus istud maximum fecisti: nā  
simulatque quanta potuisti vi, contentioneque brachiorum  
hastam in latus immisisti meū, illud discissum, atque disruptū  
fuit, tanquam janua quaedā patēs, et aperta, quod multo ma-  
nabat sanguine, atque aqua permista ad terrā usque defluēte  
et ipsam Crucis arborem irrigante sanctissimam Iudaeis ip-  
sis testibus, et exspectante meo discipulo Ioāne, qui tāti mi-  
raculi testimonium dedit, et reliquit annalium sacrorū me-  
moriae commendatum. Deinde cū te in vulnus tuorū oculo-  
rum, et mentis aciem intendere voluisset, et aliquod abs te  
officium pro tanto beneficio repeteret, et ille vellet dumtaxat,  
ut tāquam columba pennis elata in sublime, aēris regio-  
nem praeter volans, et fugiens fluctus, et tempestates conci-  
tatas in hanc arcam, tanquam in tutissimum perfugiū te re-  
ciperes, sic tu laetus, atque alacer, et ut plane dicam, quacun-  
que praeterires, huc, et illuc oculos cōvertens, cū grege tuo-  
rū satellitū nequissimorū per vias, per plateas omnes vagare-  
ris impudentissime? Cū postremo his te vocibus cōpellaret,  
se de Cruce pēdere mortuum, et expansis brachiis, et usque  
Crucis utrunque cornu distentis, et affixis diritate clavorū,  
cū tanquā bonus pastor suis sibilis, de summo jugo atq; ver-  
tice montis Calvarii, te vagā, et errantē ovē ab ovib⁹ reliquis  
disjūctā vocaret, ut venires accelerās in suos amplexus, para-  
tū se esse dicēs, paratū quidē cūcta tibi scelera praeterita cō-  
donare, quid ageres? quid respōderes, si sensum ullū habes hu-  
manitatis, et aliqua caelorum, et gloriae beatorū mētē tuā co-  
gitatio subiret? primū dices, iuvenis modo sum, et in aetatis  
flore constitutus, ut nunc primū oculos ad res huiusce sae-

cu

culi aperuisse videar, volo perfrui voluptatib⁹, sericū, atque  
damascenū induere vestitū, comitatu famulorū praecentiū,  
et cōsequentium peragrarē vicos, et loca celebriora civita-  
tis, ut me jactantē, et ostentantē magnifice noscant omnes,  
et digitis suis indicent, notent, atque designent oculis feli-  
cē, atque beatū appellantes: deinde cū pecuniae suppetant ad-  
sumtus, nullas non ad animi libidinē voluptates capiam: de-  
nique cū senex fuero, quoniā id aetas huiusmodi secū affert,  
ut domi jam me debeam cōtinere, recitandis globulis virgi-  
neis me totū, et quoniā scio legere, annalibus sanctorū ver-  
sands tradā, atque adeo sic animi salutē consulā, ut nullū diē  
non audiā sacrum, atque illud, quia senes attentione summa  
audire solent, aurē utranque praebens, et animum. Quid am-  
plius? praestituam octavum quēque diē sordibus conf-  
cientiae eluendis: mitis est, et misericors Deus, qui non im-  
paratū e vita me discedere patietur. Et hanc tu inis homo te-  
cū cōsiliorū rationē? sic annos ad voluntatē protrahis? quot  
te minores natu, et in mediis deliciis, et in maximis laetitiis  
bacchātes intendens arcum, et insequens a tergo mors saepe  
non opinantes oppressit, et ad illorū funera conclamari au-  
divimus, tum efferrī scimus funus per vias, percontari homi-  
nes de morte adolescētum, mirari tam subito, tam praeter o-  
pinionē mortuos esse, cū illos aegrotare non multi scirent,  
cum vix amici audire decubuisse, jamque (pro misera vitae  
ratio) occubuisse vidēt, denique post exequias in sepulturā  
inferri, relinqui sepultos, ac terra obrutos in hominū oblivio-  
nē paucos post dies vēturos, qui sua pulcritudine, et elegan-  
tia, quacūque cōtendebāt, mortaliū in se oculos cōverterāt.

PROSOPOPOEIA DECIMI QVARTI GE-  
neris ex repugnantibus, sine, exēplis, cū interrogatione, repe-  
titione, similiter desinētibus. Humilitas ad hominē.

**E**xistat e regione caelorum virtus aliqua, ac potissimū Hu-  
militas ipsa, quae profecto, si existeret, sic ageret, et loque-


Aa 4 re

retur. Homo quid tibi cū reb<sup>9</sup> hujusce saeculi? quid cū honōribus? quid cum opibus ac divitiis? cur aut tam honorum appetens fuisti, ut dignitates ambieris? aut tam Deo inimicus, ut in illis te extuleris insolenter? Non concionatores sacros, nō delectos Christi Iesu comites, non tanti Domini imitatores acceperas, et istius Magnopere saeculi cōtemtores fuisse? nō denique Christi Iesu exemplum sequutos fuisse cognoveras Assertoris nostri, filii Patris aeterni, qui, simulatque in hanc lucē exierat, sui Numinis cultores, et imitatores ad rerū humanarum contemtionē ac despicientiā instituere de praesepio coepit. Cum ex maximis honoribus in amplissimū gradum ascendisses, cur in demissionis oblivionem venisti? Iustitiae scilicet sitis, et rerum constituendarū cupiditas in sceleratos, et improbos homines excitavit? nihil horum: nam virtus omni profecto vacat scelere. Quid igitur tibi fuit, nisi quaedam insolentia, atque elatio detestāda? nonne si te leges humanae non commovebant, ne Iesu Christi doctrina ipsa, institutio divina observantem aequitatis, et moderationis in tanto magistratu esse admonebat? nō Martyr fortissimus ille Rex Ermenegildus, qui in carcerem a patre cōjectus se pro Christi dignitate tuēda regni celsitate privari passus est? atque illud quandiu obtinuit, summa semper lenitate animi fuit comitateque incredibili moderatus? cur te Luciferi insolentia potius, quam a Regibus tanta moderatione gubernata regna, atque adeo contemta, et cōculcata, et usque a Christo Iesu cū in viris sanctissimis, tum in Principibus celsissimis regnorum maximorum contemtoribus exēpla repetita moverūt? Ideo ne imperiorum gubernacula accepisti, ut in pauperum, et infirmorum personas tā opere invaderes? ideo māsfuetudinem, et clementiam Christus Iesus tant opere commendavit, ut illius tu sanctissima vincula quotidie perrumperes? ideo denique tam praepotens, tamque celsissimus Dominus singulis momentis peccatores ad se incredibili mansuetudine de praesepio, de Cruce vocat, sacramentis ipsis, sa-

era confessione, divino corpore ad gratiam suam reduceret, ut tu dignitate consequuta per summam inhumanitatem abutens non te moderatorem, sed intolerandum ex Hyrcania quadam, atque Thracū immani barbarie tyrannum, et carnificem sanguinariū praebeas? sed quid ego auditores ipsam demissionem induco, cum verear, ne jam omnium hominum odia, et ipsius Dei immortalis in te severitatem gravē, ac vehementem converteris.

### PROSOPOPOEIA DECIMI QVIN.

generis ex relatis, cum interrogatione, repetitione, adjunctione.



Vis igitur est, qui neget filium parētis arbitratu vivere debuisse, neque quidquā praeter id, quod parenti placuerit, filium posse facere? parentes, si una voce vellēt, ita loquerētur. Quidquid auri, quidquid argenti, quidquid ornamentorum in nostris aedibus, palatiis, et in arcis fuerit, quidquid in omni rerum genere beneficio Regum, Principumque hujusce saeculi habuimus, quod et a parentibus jure haereditario nobis obvenit, et nos acquisivimus industria, studio, labore, quidquid honoris, praerogativae, immunitatis, dignitatis, et amplitudinis consequuti fuimus, id a nobis filii nostri accipiunt, et nostris omnibus commodis aucti, cumulatique retinent. Quin nobis, cum illos susceperimus in hanc lucem, vitam, fortunas, honorem, et splēdorem omnem referre debent acceptum. Hoc igitur nomine communia pietatis, et caritatis officia a filiis omnibus, si possent una loqui, parentes jure optimo repetiissent.

### PROSOPOPOEIA SEXTI, ET DECIMI

generis ab exēplis, per demōstrationē, cum interrogatione, et similiter cadētib. sermo boni viri.

**H**omo bonus dicet haec. Cupio esse mansuetus, nolo in oblatiis occasionibus effundere gratiã Dei immortalis. Quid mea homo iste sic me indignissime tractaverit, et gladium jugulo intenderit, minitatus se mihi vitam ademturũ esse, nisi cum illo contendero vindicare injurias mihi factas. Nefarium est istud factum, et contrarium divinis praescriptionibus, et exemplo Christi Iesu de Cruce pendentis: qui jã jam animam exhalaturus, quattuor affixus clavis, Patrẽ aeternum, ut audirent tantae crudelitatis satellites, quam intẽta voce precatus est, ut Iudaeis affigentibus cruci seipsum, tanquam insciis, et ignaris sceleris, quo se astringebant, veniam daret, et se clamantem, precantemque in illis angustiis extremi spiritus audiret, non crudelitatem, et diritatem Soly morum Dominum, atque Assertorem suum tollentium in crucem ignominiosam respiceret. Tanti Domini factũ pulcherrimum imitati fuere milites Christianae Fidei fortissimi: qui tantum ab injuriis vindicandis aberant, ut plures perferre parati fuissent, et graviores pro illatis autem injuriis gratias agendi cupidissimi, atque adeo pro damnis factis multa suis inimicis commoda comparandi. Quid illae preces divi Stephani volebãt? quid deposcebãt? quid effragitabãt? Vidit Protomartyr invictissimus in media lapidatione patefactas caelorum sedes, et Filium ad Patris aeterni dexteram incredibili majestate confidentem: atque cum lapides crepitu fragoreque terrifico medium aera praetervecti, in caput, in brachia, in faciem, in totum corpus injicerentur, suorũ ille vulnerum, et sanguinis, cujus fontibus copiose profluentibus ex omni parte manabat, oblitus, veniam flagitiorũ, quae Iudaei suscipiebant in Deum immortalem, impetrare contende-  
bat.

PROSOPOPOEIA SEPTIMI, ET DE-

cimi generis ex imitatione comica, per dissi-

militudinem.

Ve<sup>2</sup>

**V**enio nunc ad te, atque ipse mihi auctoritatẽ concionatoris, severitatẽque suscipiã. Sed quẽ patrẽ potissimũ suscipiã, vehemẽtẽ, atque acrẽ? nũc meus animus ardet, nunc cor cumulatur ira. O nefande. O sceleste. Ego ne quid dicã? Ego ne quid velim? vix ferenda diceret talis pater. Cur te in perditorũ familiaritatẽ cõtulisti? cur illorũ pravitate cognita nõ refugisti? cur adolescentiã tuã, cur parẽtes dedecorasti? redi ad te. Ad meliorẽ te frugẽ recipe. Si redieris recipiã te in gratiã meã: si perstiteris in pravitate tua, te patria haereditate privabo, neque dicam te ex me susceptum, non ex matre tua natũ, sed expositũ, nostra misericordia altũ. Cũ egebis, ego illud scio, quãtũ cordi dolebit tuo: mihi satis est, qui aetatis quod praeterierit, pertulerim, tuae. Huius vehementi, ac severo patri, quid responderet filius ad illũ placandũ, si sana mẽte fuerit? Me cupiditate adductũ de via decessisse fateor. Quid signi? multi sumtus, multa jactura, nulla non versura. Atque in infamia fui propter mea scelera: neque sermones hominũ fugere potui in tanta meorũ notitia flagitiorũ. Resipiscã, ne furore plus mali mihi asciscã, quã ad hũc usque diem asciverim. Leni vero, et clemẽti patri, qui lenitate est nimia, qui neque objurgat filiũ, neque metũ injicit, sed facilitate sua revocare conatur a scelere, quid filius respõdebit? Enimvero cũ audierit nullũ ex ore patris exire verbũ, nisi mãsuetũ, atque lenẽ, et quod verbũ dixerit, non gravius esse, quã quod antehac fecerit, nihil ad se attinere, nihil sua, expleverit animũ suum, dũ modo quod postulat, et aequum est, faciat in posterũ, redeat jam tãdem in viã, fores fregit, restituẽtur, discidit vestẽ, resarciẽtur: arbitror hanc secũ initurũ esse filiũ rationẽ, ne libidinib<sup>9</sup> ullũ statuat modũ. Vbi res meas rescivit pater, coepit equidẽ humanitus, atq; ut animũ decuit aegrotũ adolescentuli tractare, nõ vi, et via pervulgata patrũ. Ex sua libidine, quae fuit olim, nõ quae nũc est, moderatur omnia: non hoc largitatẽ sua assequetur hodie: satis enim, satis clemẽs est. Quamobrẽ expectabo tẽpus aliud, dũ se magis duro, ac

B b 2 ve

vehementi esse animo ostēderit. Hinc palā est, quantum pater unus distet ab altero: ille filiū severitate in viā reducet, alter prorsus adolescentem facilitate perdet.

## DENOTATIONE.

**N**unc de Notatione dicēdum est, cuius proprium est, ut describat, quid cuiusque naturae consentaneum est, de qua licet post Chronographiam multa in primo volumine dixerimus, ejus tamen formam variam multiplicemque hac in parte statuimus. Habet autem illa magnam vim, et perspicuitatem, ut Sallustius Catilinam, Livius Annibalē describit. Ita personae fictae describuntur. Ut si philosophia producat vultu constanti, et auctoritate praedito, musae simplices, apertae, atque blandae, Iustitia rectis, atque immotis luminibus. Atque eadem describit naturam, animum, et mores alicujus suis figuris (et ut ita dicam proprietatibus) ut si describatur ostentator divitiarum, cum sit pauper; si superbus, hypocrita; humilis, superbus; ebriofus, sobrius; dives, pauper; avarus, prodigus; negligens denique, diligens.

## ANIMADVERSI O AD NOTATIO-

nis faciliorem notitiam.

**Q**uoniam haec Notatio magna ex parte conflatur ex adjunctis, illius forma multiplex ex adjunctis petita, suisque diversis schematibus illustrata demonstrabitur: non tamen obliviscemur dissimilium locorum, ex quibus eandem Cicero Notationem saepe sumit.

## NOTATIO PRIMI GENERIS, AD

mores naturae hominis inhaerentes.

**V**ixit enim laetanter, atque jucunde, natura sua vi, atque hilari, non in solitudine, non in diversis locis versatus est.

est: id egit, ut homines hilaritate vultus alliceret, suavitate sermonis retineret, et sumtibus, atque officiis devinceret, et convivas prandiis, et coenis lautissimis. Idem commodare vestitum, mutuas dare pecunias ad sumtus, deligere comites, et socios jucunditatum suarum, ad ludos invitare spectādos, ad comoedias deducere, pro spectatorib<sup>9</sup> persolvere nūmos, rusticari, nare, equitare, peragrare cum eisdem vias, lustrare plateas, obire loca celebriora, denique dare operam omnem, seipsum, et opes suas ad illos explendos conferre, quaecūque potuisset, nulla nō studia, et officia privatim, et publice praestare. sic se omnibus urbanū, et elegantem praebat a ulicorum rationem diligens, quorū splendor omnis cum natura, moribus, et studiis suis congruebat.

## NOTATIO SECUNDI GENERIS

ex adjunctis, cum demonstratione dis-

lutis tractata plurimis.

**C**redo cum vidisset, qui homines in illo circulo gladiatorio versarentur, circumspexisse, num ille, aut ille digladiatoris esset, de homine quodam, nec suspicatum esse: quod gladium in manus minime sumisset antea. Posteaquā invenit neminem eorum, qui poterant, et solebant, velle digladiari, ita gloriari coepit, ut cum omnes ad gladios sumendos provocasset, et illi neque minimum se commoverēt, resideret, deinde spatia retur, nonnunquam etiam nomine suo, quos noverat, appellaret, ut ad digladiandū prodirent: prorsus, ut tanto conventu, atque turba spectatorum, pro summa solitudine abuteretur. Itaque laceffendi finem non faciebat. Non recusavit certamen quidam homunculus, et totus horridus, et incomtus: ut nihili faceres, et coquum putas, aut carbonarium. Partes se dixit velle suscipere digladiandi. Lactus tunc alter contemnere omnes visus est, quod nō alius potius digladiaretur. Vbi sum sit gladiū homunculus in ma-

num, usque eo praesentes animadverterunt eum joculari, et parvam hominis staturam irridere, antequam gladio coepisset uti. Quem simulatque vibravit, et objecit adversario, et versavit in omnes partes, cum ictus vitaret solertia non minore, quam artis gladiatoriae notitia plane mirabili, statim verba magnus gladiator facere desiit, et mirari magnopere visus, ac se ipsum respicere, consulere capiti, atque corpori, ne percussus ex ludo gladiatorio cum ignominia discederet: qui tot ante gloriolas inanes efflarat. Intellexerunt omnes, quemadmodum hominem gloriosum homunculus perterruisset, qui semel, atque iterum eum percussit. Res tunc magis calere coepit, atque qui provocaverat, quantum in seipso erat, contedebat, si posset injuriam ulcisci, et ictus totidem infigere: sed homuncio notans, atque designans oculum, aut faciem, aut alias partes corporis, si vellet, percutiendas, vestrum magis gladiatorem perturbabat. Interea homines seipsum magis intueri, admirari scientiam homunculi, dicere praeterea hominem fuisse in circulo, qui cum gladiatore veterano decertare auderet, et superaret quidem, aliter rem processisse sibi, atque ipse existimaret, non recusari certamen oblatum, vexari pessime gladiatorem veteranum, artem, scientiamque suam non adeo spectatam fuisse, spectatores diligenter attendere, percussum denique, atque notatum de contentione exiisse, si res ageretur caedendo, non illum evasurum incolumem, ut quo cum pugnaverit, meminisse deinde posset in perpetuum.

NOTATIO TERTII GENERIS EX  
adjunctis, cum imagine, per interrogationem  
repetitionem, et acclamationem in homi-  
nis laudem.

Nonne ipsum os, oculorum aspectus, et frons tranquilla, atque serena praeseferre virtutem, et praedicare miram integritatem videtur? Non ab imis unguibus usque ad verticem summum, si quam conjecturam asserit hominibus racita  
cor-

corporis figura, modestia, honestate, virtutibus, et ornamentis animi maximis praeditus esse videtur? qui non idcirco tranquillitate frontis mirabili, et ore ad modestiam est semper composito, ut in illo virtutis, et honestatis imaginem intueri videamur? si totam hominis figuram, et oris lineamenta tanta cum modestia, et ad religionem conformata dignitate, contemplari volumus, veteres illos patres, et praefectos familiarum religiosarum agere visus est. Sic illorum patrum sanctimonia summa in istius ore, oculis, moribus, et actionibus expressa cernitur oculis objecta mortalium.

EXEMPLVM ALTERVM SIMILE  
superioris ad vituperationem, cum simili.

Nonne ipsum caput, et supercilia illa penitus abrafa, pilosae genae, color mustelinus, facies notata maculis, oris habitus, odor corporis intolerandus oleris libidine, et claudere turpitudinem videtur? nonne a pedibus ad caput usque, si vultus est tacitus quidam sermo mentis, ex omni scelerum colluvione constatus totus putabitur? non idcirco his corporis maculis est aspersus, ut intimos animi sensus praeseferre videatur? Hujus personam qui de facie noverunt, homines in pecudem hanc incurrentes praeclare divinare solent: neque tamen ei pro suis effraenatis libidinibus par nomen imponitur: nam hominem hunc impurissimum, et turpissimum de facie cum vident, Sardanapalum appellant. Itaque illius persona mollis, effoeminata, libidinosa in hujusce hominis moribus, natura, vitaeque expressa videbitur.

NOTATIO QUARTI GENERIS  
ex Notatione, sermocinatione, cum dissolutis.

Cum Ioannes testamentum faceret, et nollet ab hoc testatore, qui suos haeredes nullos habebat, relinqui haeredem

Antonium, testatoris amicum, et familiarem, quem si conveniret, certo sciebat instituendum esse nullo cohaerede relicto, ut partem haereditatis haberet, impedimento fuit Ildefonsus, quem minus aegrotantem Ioannem Antonius invisaret. Itaque testatoris amicitiam cum Antonio domesticis amicis denuntiat, monet, ut provideant, ne Antonius Ioannem invisat: ostendit enim, si pateat aditus ad cubiculum, illos pecuniam grandem amissuros, se haereditatem non instituendum. Quamobrem amicos rogare passim, si gratiam a se referendam expectent, ut semper pro foribus essent, testatorē identidem praemonere, ut se nepotem gratū, et fidelem ad mortē usque institueret, Antonium, qui non adesset morituro, neque aegrotatē tot ante dies graviter, et periculose invisisset, ut prorsus oblivisceretur. Sed vide fallacias Ildefonsi. Ille saepe adire domum Antonii, convenire, colloqui, dicere difficilem, et morosum Ioannem, intolerandum hominem, qui neminem ad se vellet intrare, omnes eicere iussisset de cubiculo, nec quenquam oculis vellet cernere, eius rei causa janitores ab illo constitutos, quos nunquam habuerat, et famulos a cubiculo, ne quisquam ad illū ingrederetur, simul bona sua relinquere coenobitis quibusdam, et nosodochiis, quod, ut ille jaētibat, mallet animum suum respicere, quam amicos, et mortaliū quenquam, qui simulatque oculos clausisset, amplissimae pecuniae fierent domini, et alienis se ingurgitaret bonis, oblituri quam brevi sui ipsius. Sed jam attēde ea, quae sequuntur. Antonio decepto redire deinde Ildefonsus domū Ioannis aegrotantis, janitores, qui ad fores erant, fallere, ut perstarent, simulate spem falsam ostendere, cum Ioanne verba facere contra Antonium, ut ab illo prorsus alienaret animum, quae Ioannes daret, et multa affingendo janitoribus responsa renuntiare, qui sedulus, et industrius in janua custodienda fuisset, cum illo praediū, aut aedes depacisci, denique venire Antonius, quaerere de valetudine Ioannis, orare, et obsecrare, ut per illos semel liceat saltem invisere, negare illi, si

su-

suū officium esset facturi, qui custodiae praefecti fuissent, intus in cubiculo qui erat, sermonem, et vocē Antonii audire Ildefonsus, deinde per rimulas quasdam innuere, quamprimum dimitterent, ita saepe venientem, et redeuntē Antonium aditu prohibere janitores, usque eo autem perseverare, dum moritur Ioannes Ildefonso suorum omnium bonorum haerede facto.

## NOTATIO QVINTI GENERIS EX

adjunctis, cum repetitione, et dissolutis, in famulorum nequitia ad heri libidinē facti.



Xponam vobis breviter, quid hominis sit, ut heri nequitiam, qui illum secum habuerit famulorum praesertim numero bonorum, ac loco, et calamitatem domi cognoscatis. In meretricum domibus tenedis, et in omni ejusmodi libidine, atque turpitudine mirandum in modum accepi hunc famulum ad heri flagitiosas libidines, effraenatasque voluptates natum, atque aptum fuisse. Investigare, adire, suis nominibus appellare vicos omnes, atque domos, ubi habitarent scorta libidinum impurissima, quidvis facere in eis conveniendis, et comparandis domino, quanvis turpiter, quanvis audacter, quanvis impudenter, quanvis ignominiose. Idem mira quaedam excogitare genera delectandi herum suum, monere, hortari ipsum dominum, ut quoniam parens pecuniis abundaret, et omnibus bonorum copiis, ea sibi persuaderet omnia sua esse ad suas libidines, ad corporis delicias, ad vitam agendam jucundam, et confertam voluptatibus. Hujus vero erat ars, et malitia miranda, quod acutissime quid cuique de domo esset jucundum, atque praecipue necessarium, indagare, et odorari solebat, omnium voluntates, et studia cognoscere, alloqui, et se illis offerre, suam eisdem apud dominum operam, et studium polliceri. Qui gratiosi domino

Cc fuif-

fuiſſent, qui ab eodem alienati, his reditum in gratiã, illis favorem ad retinendam benevolẽtiã promittebat, omnibus ſe praebebat amicum, paratum, et promtum ad ea, quae ſibi fuiſſent opus. Simulator, ac diſſimulator ſcelerum aperte videbatur agere hypocritã; et frontis tegumento celare fraudes omnes, nunquam deſſe domino, adſe, quo ſignificaret, ire, redire velociter, praesto eſſe, et expedire omnia, quidquid domi erat, id habere in poteſtate ſua, et ad voluntatem domini ſuum, ac totam familiã. Atque non ſolum erat adminiſter cupiditatum domini, verum etiam ipſe ſui meminerat, ut aequè non ſolum nummos, ſi qui de crumena exciderant, tollere ſoleret, ſed ex negotiis, mandatiſque ſibi delatis, quidquid poſſet, in ſuos uſus convertere: unde pecunias maximas fecit; ex quibus potuit omnium maxime nitidus, et ſplendidus, et ſatis egregie ornatus apparere in conſpectu domini ſui, ac ſeſe venditare palam appetendũ omnibus, qui viderent illum, qui alloquerentur, qui tractarent: ut omnes in viderent domino ea ſpecie, atque ipſo gratiſſimo aſpectu, qui talem videretur, tam ſedulũ, atque diligentẽ, obſequẽtem, et morigerũ habere ſervũ, egregia forma, ac liberali regũ, et principũ famulatu digniſſimum. Sed cum haec, quae commemorata ſunt, habuiſſet, et omnibus ſe ſimulaſſet probũ, et virtutis amantiũ, ſolum domino nequiſſimus, ac turpiſſimus celari non poterat, cujus voluptatum, flagitiorũque iſte ſervus intemperantiſſimus ita reliquias colligere ſolitus erat, ut nullas praeteriret.

## NOTATIO SEXTI GENERIS EX

antecedentibus, et conſequentibus, cum  
acclamatione.

**A**Tque idem quanto in odio fuit illis hominibus, quibus antea jucundior erat? Atque id factum eſt hominis mutatione vitae, morũque repentina: qui ſe ſe praeſtuerat fa-

ci-

cilem, comẽm, atque benignũ antea, neque quidquã rei, praeter id, quod amicis placuiſſet, appetentẽ. Qui ſolitus fuerat eoſdem veſtitus induere, eadem adire loca, noctes, dieſque cum illis ponere, et una ſaepe prandere, ſaepe coenare, ut in altiorem locũ aſcendit, ſic in aliũ commutatus eſt hominẽ, ut nemo perferre poſſet mores illius, immutatum animũ, ſaſtidium, et arrogantiam, vultũ, et amiũ, atque illã ad talos uſque demiſſã tunicã. Et jam hominibus, ait, obſcuris, et ignobili loco natis favebimus? Qui dum vivit, bonis omnibus gratus eſt, ita vivit, ut honoribus dignus videatur: qui eo pervenit, quo aſcendere contendebat, ſi mutet mores, iſ ſe vel intolerandum, vel metuẽdũ propter ſuperbiam, et arrogantiam praeſt.

## NOTATIO SEPTIMI GENERIS

ex diſſimilitudine, praecedente com-  
paratione.

(\$)



Quem vidisti, ecquem audisti tam voracẽ, tam impurũ heluonẽ fuiſſe? Fabricius ſocios ſui ſimiles ſecũ habebat, ducebat eos per omnes vias, atque plateas, feſſos, atque defatigatos ambulando reducebat domũ: in aula communi, ſi meridies eſſet, prandium dari, cum vero nox, ſine mora, ſumma celeritate ſterni menſã, mappas explicari jubebat, et eo convocari ſocios omnes turpiſſimos, et non ſolum luſtrationũ, et peragratiõũ ſuarũ comites, ſed etiam alios, qui exſpectabant, et ſciebant ſuorum horas, prandiorũ, atque coenarũ: ut cum illo inire convivium et ventrem carne, et quibuſcũque eſcis inferire potuiſſent: Non hic exſpectetis cõvivia, quae inire ſolẽt, et ad quae ſpetatiſſimi, atque honeſtiſſimi viri invitantur, ſed ſine capite, ſine ſecundis menſis, ſine fructibus ullis, ollã male coctã

Cc 2

craſ-



crassissimis, atque rusticanis carnibus cōpletam, multa ovilla, aut hircina carne, ad summum petasone subrancido, crassiore caule, napsis, et alliis, caepisque confertam: ut cum de mensa surgerēt omnes teterrimam popinam, odorē aliorum, atque caeparum turpissime ructantes exhalarent.

## NOTATIO OCTAVI GENERIS

ex enumeratione, per comparationem,  
cum effigione.



Spicite auditores vultum hominis, et aspectū, et ex familiaritate Marcelli quā in omni vita cū illo retinuit, illos ipsius mores corruptos, et depravatos recordamini. Hic est amicus, et familiaris hujusce dynastae: qui cum undique nequissimos homines quaesivisset, et cum ipse secū sui similes deferret, hunc nequitia, luxuria, audacia, sui simillimū judicavit. Itaque Marcellum non hominis splendor, non generis nobilitas, non status, aut fortuna florētissima, sed libidinis ardor, morum turpitudine, similitudoque cōjunxit. Dynastae isti mores improbos, impurosque nostis. Fingite vos, si potestis, aliquem in lustrationibus nocturnis, in obeundis meretricum domibus, in coenis, in ludis, in audacia, in impudentia, in commovēdis seditionibus, in afferenda vi, in contemnendo genere hominum, in distringendis gladiis, et plagis inferendis nulla de causa, ut fortis appareat, et miles audacissimus, qui par ad horū flagitiorum multitudinē, et magnitudinem esse possit, is est Marcellus, amicus ex intimis, et familiarissimis nostri dynastae. Atque ore ipso impudenti, vultuque, atque una frontis, et altera narium cicatrice signati, notatique similitudinem habent inter se perspicuā ambo. Quid dicā de statu? de motu ipso? Cū arrogantia uterque progreditur, et elatione superbissima. Uterque gurges, et immensa vorago cujuscunque generis escarū, quibus replere se solent

lent, et infercire nullo legitimo vescendi expectato tempore heluones spurcissimi, nequissimique. Cum exeunt foras, cum revertūtur domum, praetergressi vias notissimas, in artocreatiam aliquam domum, in cauponas se solent conjicere, ut carnibus male coctis, et non secus assis se compleant, et cyathos plenissimos, et redundantes undique vino meracissimo exhauriant. Hunc igitur dynasta in omnibus suis libidinibus, hunc impuris in comestationibus, hūc in factis sceleris, et audaciae plenissimis principē adhibet. Hūc ille, quāquam divitiis maximis locupletatus, in clarissima diei luce, spectante multitudine, et flore sui generis suspirante, et a tāta turpitudine oculos avertente suos, secum aperta lectica residentem in sella serica, et evomentem omnes turpitudines, et impuritates vehere non verecundabatur. Tantam autem habebat morum similitudo conjunctionem, atque concordiam, ut Marcellus, qui aliis agrestis, et barbarus, isti unī humanus, atque disertus videretur: ut quē omnes odissent, neque videre vellent, sine eo iste esse non posset, nec punctum temporis, quin lateri suo adhaereret. Itaque si semel discedebat, si quando ab alio vocabatur, vel aliqua necessitas urgebat, ad pūctū istud tēporis discessum illius perferre non poterat. Quid dicam amplius? uterque eisdem poculis bibebat, et eodem modo, et more bibendi utebatur: quin qua parte ori poculum admoveret Marcellus, eadē adhibere mos erat clarum, illustremque virum. Postremo teterrimum uterque, et intolerandum odorem ex intimo pectore, ex hepate corrupto, putrefactoque exhalabat, qui suavis utriusque, jucūduisque videbatur perferendi per tot annos odoris intolerādi fati inveterata consuetudine. Dynastae igitur erat semper a latere Marcellus, in aede suā assiduus, in cubiculo socius, in lustrationibus urbanis, in faciundis itineribus comes, in prandiis, in coenis aequalis: atque eo tum maxime tempore, cum libidinis, et audaciae facta fuerat usitata aggressurus.


NOTATIO NONI GENERIS, CVM  
effictione.

**C**VM vero illi auctores haereseos, et praeceptores in concionem a suis simillimis fautoribus, et principibus huiusce gregis producantur, primum prodeunt, quo fastidio, et insolentia? quam vini, stuprique pleni? quam erecto collo? quam cervice tumida? quibus diductis oculis? quibus fluentibus buccis? qua pressa voce? qua truculenta facie, quod in Christianos omnes fuerit animadversum? ubi haec auctoritas tam diu tanta latuit? cur in lustris, et heluationibus horum correctorum, et emendatorum vitae tam eximia virtus cessavit? non illi sic cum reliquo grege, cum suis compotoribus, cum portentis, ac furiis totius regni in oculis omnium versantur, ut eos praeter defectionem a nostrorum religione sacrorum nulla res singulares faciat, non litterarum studium, non rerum sacrarum cognitio, non mores humani, non etiam communis elegantia? Qui cum sint ex sutoribus, ex sartoribus, ex omni sentina infimorum, et perditorum hominum, incurrés in eos aliquis bonus vir, incultos, horridos, agrestesque videbit: atque etiam si barbaros, agrestesque, et idiotas iudicaverit, ex vultu quoque, ex oculis, et ex sermone libidinosos, et perditos, et omnibus sceleribus coopertos, non aberrabit. Cum hos homines videres, aut Daemonem in figura hominis latentem aspiceres, aut plusquam Satanam, plusquam furiam pestiferam ac funestam notares. Quam enim libidinosi? quam impuri? quam intemperantes? quam superbi, et arrogantes? quam crudeles, et inhumani? quam expressa Daemonis simulachra deterrimi? cum sectam interpretari conantur suam, et ipsam inficere rudem, et ignaram multitudinem, suae videntur sectae studiosissimi, penitus illis erroribus, in quos plebem caecam et amentem inducunt, implicati. Sic totos dies, et horas de crudelitate, de carnificina loquuntur. Qui ad proscriptiones,

ad

ad spoliationes, ad sacrilegia, ad omne genus vitiorum, et ad fidem ejiciendam, depellendamque Christianorum adhortantur. His utuntur haeretici praefectis suorum conciliabulorum, his auctoritatem, et fidem tribuunt. Iidem sunt apud illos conditores, instructoresque popinarum. Iidem expendant, atque aestimant sectae perversitatem, et omnia suis compotoribus, et heluonibus ad libidinem praescribunt, atque praefiniunt.

NOTATIO DECIMI GENERIS EX  
effectis, cum Repetitione, Dissolutis,  
correctione.

 Nefanda, et perniciofa labes civitatis. Adeste, clamat pater Antonii, dum hunc hominem dilacero, dum poenas, quas optavimus, sumo: quoniam in manus ille meas incidit. Me exspectate, et in illum saevientem aspicietis, me sequimini praecedentem, et accelerantem, ut illum, qui me, qui meam familiam dedecoravit, ulciscar. Videbo, an cum manus, cum unguis experiatur meos, quae solitus est aliis, quae etiam mihi verba facere, faciat in posterum impudens. Nunc nunc equidem oculi, vultus, verba homini nequissimo procul dubio cadent. Testes mihi poteritis esse, et praedicabitis in urbem redeuntes. Ille ne, qui suis verbis nos deterrere, contumeliis onerare inspectante multitudine non cessabat? Parum jam intervalli inter me, et inter illum scelerosum intercedit: quantum lapidis unius jactu, quod videtis, consequi possumus. En nequam hominem, quin advolo, ne se in aedem proximam ille conjiciat, unde per pseudothyrum ejiciatur aliquod. Atque si in illam intraverit, certum est operiri, quoad exeat: quamquam magnam noctis partem sub dio, sim, et quidem quamquam plueret. Nunc cum sudum est, quid dubitum, quin exspectem

ut de illo justum ac debitum exemplum sumam? Pluris mihi honos est, quã vita. Sed istud est verba dare, dum loquor, ne tempus abeat, et ille evadat etiam inimicus, periculũ est, et non mediocris mihi metus injectus. Sed illum videte, nosque respexit, et in aedem se primam conjecit. Id nimirũ erat, quod suspicabar, illac deflectam, fortasse abiisse nos ratus, nihil opinãs mali, brevi quidẽ exhibit. Neque mihi quicquam vestrum aliud consilium daret: nam qui se in conspectum mihi dedit, oculos iterum vitabit, ne quod meritis jam pridem est, ipse sibi asciscat malũ. Si venerit in manus, adeo exornatum, adeo depexum dabo, ut dum vivat, meminerit semper mei. Quis ego, quis ille, qui majores nostri, qui sui parentes fuerint, intelliget. Atque ad id faciũdum facile adducor, ne me verba vobis amplius dare arbitremini. Cum die quadam, quã sciunt, et recordãtur amicissimi, familiarissimique nostri Petrus Ildefonsus, et Franciscus Martinus, in aedibus necessarii Publii Justiniani se se fautoribus audaciae suae aliquot audiẽtibus de nostro genere detrahere incipiẽs venditaret, adolescentem mentientem, exultãtemque continui, simul os, et animum ostẽdi, duobus inceptis dum taxat verbis omnem impetum sermonis instituti contentionemque compressi. Atque ille expertus, qui vir siem, accensus, et aestuans se se ex aedibus repente proripuit cum quibusdam minis, et cum inanibus ad se ulciscẽdum injectis, denuntiãtisque terroribus. Quem cum abeuntem insequi coepissem, nisi me retinuissem, qui id temporis aderant, amici, et sublatum jam, et intentum brachium retraxissent, fortasse mala haec praecidissem. Sed cepi maximum honorem, et ex favore praesentium adolescentum, et ex laude mihi nunquam sermones lacessenti delata. Arque ille vecors repente sine vultu, sine colore, sine voce constitit ad voces meas: et cum retorqueret oculos, respiciens ad sublatum brachium, ad os, et ad oculos ardentes, et simul videns studium, et sermones audiẽs amicorum omnium cõcidit vix uno, vel altero gradu

du facto, in ipsius cubiculi aditu, atque janua: ut si vellem, ac me non impedirent isti ipsi, quos proxime commemoravi, ille stultissimus omnium ferret temeritatis suae pretium.

## DE MIMESI.

**S**equitur Mimesis, quae cum notatione similitudinem habet. Est autem imitatio sermonis, et morum alienorum: quae nõ modo personae orationem, sed gestum exprimimus. Quae quanvis similes videantur, tamen in exemplis non parum dissimilitudinis apparebit. Hujusce autẽ Mimesis, quemadmodum superiorum exercitationum genera constitue-

## MIMESIS PRIMI GENERIS, EX NOTATIONE, et Mimesi.

**O** Rem foedam, et omnibus visu turpem. Ut omittã caetera, quo tandem pudore, quo ore atque vultu, pileo capite tecto, et simplici presbyterorum nostrorũ collari, veste honestissima, ad talos usque demissa, ut jã agere viderere personam aliquam de Ecclesia castissimam, et honestissimã, jam aspirans ad sacros ordines, donandus, ut tu dicebas, non multis post diebus sacerdotio quodam amplissimo, domum infamẽ intrare fueris ausus spectantibus hominibus, vespertino tempore, hora tertia, quod tempus est istius viae lustrandae propter celebritatem suam? qui nulla ratione turpitudinem hanc subiturus eras, ne vestem saltem talarem, speciem, honestatis, castitatis insigne dedecorares? Ingressus igitur fuisti domum aleae, pictis foliis addictam, et publice propositam collusoribus. Cubicula vocibus his personabant. tecum vis, ego ludam alea? vis pictis foliis? quo ludo? mecum nõ ludas amplius, postquam me spoliaveris? postquam exhausseris paene crumenam, quod reliquum est, non perdam? aut quod

amisi, quod tu abstulisti, non recuperem? ubi alii proferunt nummos, alii deponunt in mēsa, alii numerant. Vbi fit strepitus, et nummorū, qui numerantur, et auferuntur de cumulo, et in cumulum conferuntur nummarius. Vbi nihil nisi clamores, nisi falsa iusiurāda, nisi execrationes omnes, in parētes, nisi Daemon ipse, nisi spiritus nequissimi usurpantur. Illi colludunt, alii exspectant, alii suas pecunias ad ludum aliquem spondent, atque inferant, et intrudunt, dum ab unius, aut ab alterius collusoris parte stant. Intercipiuntur pecuniae ad chartarum solutionem, ad lucernas solvendas, ad alia, quae propria sunt, ludique communia. Vbi de lucro intercipiuntur etiam nummi, donantur spectatoribus, famulis, pueris, parasitis, multique statim lucra liguriunt edendo, potando intemperanter. Denique quod minimū fit damni, domibus illis lusoriis tempus perditur, et infamia summa deportatur in aedem. Dic, hanc tu quo animo domum ingressus fueris? in hac fueris tam multas horas? Tuū illud meritum, tua culpa, ut cum ex huiusmodi domo infami exires, ex perspecta multitudine, is vidisset te, quem tu scis, et in ipso statim limine: qui dum te aspicit, dum respicit admirans, quid illi respondeas, prorsus ipse nescis. Ita repente tibi color immutatus est, et vultus, et oratio, denique mens excidit.

## MIMESIS SECVNDI GENERIS EX

demonstratione, et mimesi per adjuncta.

**I**N hac contentione puerili cum frater natus maximus fraterculū male tractatū, et colaphis caesū, ictibus tuber caput, et faciē etiam ostendisset praeceptorī, et auctores malefici verberandos contendisset, eadem verba saepius repetebat, respice praeceptor vultū, et faciē fratris, respice aures, respice tuber caput, et sanguine totum os oppletum, cruorem cōcretum exspuens. Cum hoc respice praeceptoris incitandi causa saepe dixisset, illa verba jam repetēdo defessus, propulsatū fratrem a conspectu spectatorū volebat abducere.

Hic

Hic spectatores ridere, stomachari, atque vociferari frater, scelera nō vindicari, et ob eam causā affectū pudore fraterculum abuisse, neque se, neque fraterculū in haec scholas venturos esse deinceps. Neque quidquā propius est factū, quam ut auctorem colaphorū praesentē, nisi adolescētē homines quidā retraxissent, male inspectante praeceptore multasset.

## MIMESIS TERTII GENERIS EX

efficienti, cum repugnantibus. Illustratur

interrogatione, repetitione, dissolutis.

**R**espondit quidem Ioannes insolenter. Ille mihi injuriā cur potius, quam honorem? an ille meis non inservivit parentibus? et sine meis maioribus, quis ille? quis inquam, nisi nullus? Majores mei ad illū nominis causam atulerūt, majores locum in hac Repub. dederunt, majores mei, contra gratiam, splendoremque familiarū, contra Senatores potentes, et contra vim tribunitiam, contra robur omne, et contra potestatem civitatis, sua fide, divitiis, auctoritate, virib' fulserunt, sustinuerunt, atque conservarunt. Nec mihi gratiam referat, cum majores mei, hominis evehendi causa fuerint? Cur non apud hunc manebit in persona mea majorū jucunda recordatio? Ius postulo, sed nihil ad rem. Habeo hominē, in quo sustinendo nonnullam ego patientiam ostentem.



amisi, quod tu abstulisti, non recuperem? ubi alii proferunt nummos, alii deponunt in mēsa, alii numerant. Vbi fit strepitus, et nummorū, qui numerantur, et auferuntur de cumulo, et in cumulum conferuntur nummarium. Vbi nihil nisi clamores, nisi falsa iusiurāda, nisi execrationes omnes, in parētes, nisi Daemon ipse, nisi spiritus nequissimi usurpantur. Illi colludunt, alii exspectant, alii suas pecunias ad ludum aliquem spondent, atque inferunt, et intrudunt, dum ab unius, aut ab alterius collusoris parte stant. Intercipiuntur pecuniae ad chartarum solutionem, ad lucernas solvendas, ad alia, quae propria sunt, ludique communia. Vbi de lucro intercipiuntur etiam nummi, donantur spectatoribus, famulis, pueris, parasitis, multique statim lucra liguriunt edendo, potando, intemperanter. Denique quod minimū fit damni, domibus illis lusoriis tempus perditur, et infamia summa deportatur in aedem. Dic, hanc tu quo animo domum ingressus fueris? in hac fueris tam multas horas? Tuū illud meritum, tua culpa, ut cum ex huiusmodi domo infami exires, ex perspecta multitudine, is vidisset te, quem tu scis, et in ipso statim limine: qui dum te aspicit, dum respicit admirans, quid illi respondeas, prorsus ipse nescis. Ita repente tibi color immutatus est, et vultus, et oratio, denique mens excidit.

## MIMESIS SECVNDI GENERIS EX

demonstratione, et mimesi per adjuncta.

**I**N hac contentione puerili cum frater natus maximus fraterculū male tractatū, et colaphis caesū, ictibus tuber caput, et faciē etiam ostendisset praeceptori, et auctores maleficii verberandos contendisset, eadem verba saepius repetebat, respice praeceptor vultū, et faciem fratris, respice aures, respice tuber caput, et sanguine totum os oppletum, cruorem cōcretum exspuens. Cum hoc respice praeceptoris incitandi causa saepe dixisset, illa verba jam repetēdo defessus, propulsatū fratrem a conspectu spectatorū volebat abducere.

Hic


Hic spectatores ridere, stomachari, atque vociferari frater, scelera nō vindicari, et ob eam causā affectū pudore fraterculum abuisse, neque se, neque fraterculū in haec scholas venturos esse deinceps. Neque quidquā propius est factū, quam ut auctorem colaphorū praesentē, nisi adolescētē homines quidā retraxissent, male inspectante praeceptore mulcasset.

## MIMESIS TERTII GENERIS EX

efficienti, cum repugnantibus. Illustratur interrogatione, repetitione, dissolutis.

**R**espondit quidem Ioannes insolenter. Ille mihi injuriā cur potius, quam honorem? an ille meis non inservivit parentibus? et sine meis maioribus, quis ille? quis inquam, nisi nullus? Majores mei ad illū nominis causam attulerūt, majores locum in hac Repub. dederunt, majores mei, contra gratiam, splendoremque familiarū, contra Senatores potentes, et contra vim tribunitiam, contra robur omne, et contra potestatem civitatis, sua fide, divitiis, auctoritate, virib⁹ fulserunt, sustinuerunt, atque conservarunt. Nec mihi gratiam referat, cum majores mei, hominis evehendi causa fuerint? Cur non apud hunc manebit in persona mea majorū jucunda recordatio? Ius postulo, sed nihil ad rem. Habeo hominē, in quo sustinendo nonnullam ego patientiam ostentem.





## DEMONSTRATIONIS

### Liber Quartus.



#### DE ETHOPOEIA.

**Q**VONIAM Ethopoeia, cum praepositis Demonstrationis generibus plurimum convenire visa est, ea librum quartum sibi merito vindicabit. Ethopoeia autem est imitatio morum alienorum: quae cum superioris libri exercitationibus plurimum agnatione coniungitur. Hac subjectae personae mores, vel affectus exprimuntur. Sed longior est, quam superiores exercitationes. Atque duplex constituitur: aut enim nota persona inducitur, et tunc Ethopoeia dicitur: aut nota, sed vitae laboribus defuncta, et tunc Idolopoeia, appellatur. Neque Profopopoeiam, de qua actum a nobis est, ad hanc referri volumus: hoc enim grave lumen augendi est a nobis separatim explicatum, neque ullo modo hoc in loco commiscendum. Haec Ethopoeia, cum in factis, aut in dictis versetur, aut in

utro

utroque simul genere, in ea tractanda tria spectantur tempora, praesens, praeteritum, futurum. Ad praesens spectat, quae adsunt, quaeque proposita nobis sunt, quaeque affectus nostri sunt causa; si ve laeta, si ve tristia illa sint. Praeteritum vult, ut cum superioribus, unius, aut alterius generis comparatio fiat. Futurum eo pertinet, ut capiatur consilia, vel adhibeantur remedia. Quibus vel malis medicina fieri queat, vel laeta retineantur.

#### QVAE VERBA FACERET LEUVIGIL-

gildus iratus filio Ermenegildo.

**A**CCEPI litteris, et sermonibus multorum, et ministri nobis nuntiarunt Ermenegildum filium meum, maximam natu, spreta contemptaque pietate paterna, qua satisfacere, et obtinere mihi debebat, Hispalim se recepisse, neque sprevisse solum mandata Leuvigildi sui patris, sed habuisse delictus, conscripisse exercitus, sollicitasse multos in meam perniciem, et ut conata melius perficere potuisset, occupasse urbem Hispalim. Filium ne Ermenegildum, meorum haecredem imperiorum, quem unice dilexi, quem in deliciis habui, quem duxi semper suavitate, ac vitam meam, quem semper arbitratus fui ad meam voluntatem factum nunquam non fuisse, non morigerari patri, cui leges omnes, et iura praecipit parere? Filium hunc Hispalim occupare? copis coactis velle nobis resistere? urbem tenere? munire vallo? et omnibus bellicis machinationibus urbem omnium maximam, et praestantissimam, quae sunt in Hispaniarum ditione, et imperio florentissimum, caput Baeticae ditionis, propugnaculum illarum gentium, in qua tanta vis est, et copia incredibilis auri, atque argenti, et merces innumerabiles reperientur? In hanc urbem ad meam perniciem se recepisse filium, quae alit infinitam hominum multitudinem, quae denique infinitas impertitur Hispaniae divitias? hac ne, hac ne inquam in urbe, opulentissima,

potentissimaque perfidia, et nequitia sua Ermenegildus in meam pestem lenitate patris abutetur? Amittam potius vitā, et cum sanguine profundam, quam filium Ermenegildū impunitum abire patiar. In hac sum sententia, ut filius ad se redeat vi, malo suo, si precibus, blanditiis, et via consueta patris noluerit resipiscere. Quid facturum sim, qui etiam ad saniores mentem adolescentem sui ipsius impotem, effraenatum, et temerarium redigam, dicam postea. Ante hoc equidē tempus quam carus, et per iucundus mihi fuit Ermenegildus? quantis in deliciis? quā in ore, et in animo Leuvigildi? de nullo alio cogitabam ornando, indulgenterque tractando. Sive in palatio essem solus, sive cum aliis, sive in otio, sive in negotio, in mediis fluctibus, et in undis ipsis negotiorum, ac rerum omnium nostrarum, in quotidianis Magnatum meorum sermonibus de filio Ermenegildo loquebar, deque suis quidē multis, maximisq; virtutibus. Omnes semper laudare mihi illū, et fortunas meas praedicare, gratulari frequentissime nostris urbibus, atque provinciis, quae talē, ac tantū Principem sortitae fuissent: quae tam bona indole, tanta virtute, et expectatione majore Principem haberent. Ille se mihi dedere nunquam desistebat, et quod morigeri faciūt adolescentes, omnia, quae Leuvigildus vellet, facere. Non iussa expectare patris videbatur: neque quidquam ei palam ostendere, aut verbo edicere opus erat: si significarem, satis habebam: ad arbitrium, nutumque meum se totū accommodabat, atq; fingebat. Nihil Ermenegildo meo meli⁹, nihil praeteritis temporibus filio meo iucundius, atque obsequentius: at nunc quam alius est, ac quondam erat, quā subito immutatus, et in alium conversus est Ermenegildus. Non filius, sed hostis, non pax, et tranquillitas, sed labes erit, et communis imperiorum pernicies. Scio, quid faciam, delect⁹ habebō militum, copias cogam, cōjungam cum illis, quas habeo, et milites omnes meos Hispalim jubebo contendere: desinā, quas modo premo, civitates, oppugnare, et faciam bellū terribi-

mo

mo, et infestissimo filio: tum cum audiet copias venisse Hispalim, vim omnem, et potentiam meorum imperiorum ad urbem oppugnationem, ad illum capiendum, atque adeo perendum, delendumque contulisse patrē, obsideri urbē acerrime, vehementissimeq; oppugnari, verberari muros, admove ri arietes ex omni parte, et omnibus bellicis machinationibus moenia disjici, disturbariq; sine intermissione, averti fluvium Baetim, nequa cibaria deferri ad urbem queant, omni publico, atque privato prohiberi com meatu, in tantas angustias, et extremum se adduci periculum, ut aut perire cum suis, et fame confici debeat, vel in manus paternas sine dubitatione venire, quid ille ex omni colluvione scelerum, et impietatis filius cōsiliū capiet, adductus malo suo intelliget. Et quoniam certum est mihi sectam, quam colo, tueri Arrianorum, captū hunc Ermenegildum nostrae sectae cōtemptorem, desertorē, que nefarium in turrim angustam, et obscuram includā, vinculis astringam, et tanquam vile quoddam mancipium, ferro oneratum a Fide Christianorum abducā. Dabit ille poenas post hominum memoriam inauditas, et mittam carnificem, qui caput a cervicibus abscindat, aut medium ferri diritate discindat. En crimen, en supplicium. Quo nequitia filiorum nos parentes optimos, primum lenes, atque faciles, deinde se veros, atque vehementes adducit. Sed qui cum gratia nihil boni vult facere, malo suo sapiat, atque adeo ab insania resipiscat.

ALTERA ETHOPOEIA. QVAE  
verba faceret beatus Ermenegildus.

**A**Vdio patrem meum Leuvigildum iratum valde venire copiis coactis, et exercitu veteranorum militum maximo, fortissimoque in hanc urbē Hispalim, qui obsideat urbē, oppugnet, et omni cōtentione capiendā curēt, evertāt si op⁹ fuerit, et illā solo adaequēt, me autē nō patiātur evade-

D d 4 re,

re, aut in alias partes fugere, sed comprehendat, captum ad se, trahant vincendum, onerandumque ferro, atque in arctam, et caliginosam conjiciendum custodiã. Quod si res sane sine mea nece fieri non potuerit, occidendum statuit filium, atque crudelissima morte mactandum. Audio accelerare milites, parum abesse ab urbe, omnes armatos, gladiis accinctos, et omnibus militaribus machinis instructos, nihil illos loqui nisi de immutato Ermenegildo, de Patre Leuigildo a me relicto, de secta Arrianorum deserta, de Christi Iesu Religione suscepta, de nostra traductione nova, de consilio patri meo, suisque copijs obfistendi. Omnes me dicere miserum, et aerumnosum, caecum, et amentem, nullius plane iudicii, qui a Leãdro in hanc sacram Fidem fuerim, atque adeo, quod illi pessime dicunt, et caeci furore, et amẽtia praecipites Arrianorum, in fraudẽ inductus. Leuigildus dicitur incitare milites ad properandum, accelerare omnes, ille praecire, saepe jurare, me poenas daturum esse temeritatis, et amẽtiae meae, et filios capturos in posterum consilium obtemperandi paratibus, spirare vincula, et crudelissimam mortẽ. Milites imitati Imperatorem, sequuti Leuigildum Regem eructare sermonibus suis, cum caedes aliorum, tum Ermenegildi, cujus causa bellum susceptum fuisset. Dictitare iidẽ, et jaetare saepe, qualis in me pater, et ego in illum ante hoc tempus fuisset, quam ab eo, qui quondam fueram, et ab omnibus praedicabar, prorsus immutatus. Recordor primis temporibus pueritiae meae, atq; adeo ab ipsis incunabulis, et in ipso flore ineuntis adolescentiae in Arrii privatis erroribus fuisse, atque me patris, et eorum, quibus ipse pater se se dederat, rationes, et vitae sequutum fuisse cõsilia, in tenebris jacuisse mẽtẽ caligine circumfusam Arrianae haereseos, tandiu (quod sine dolore, et lacrymis recordari non possum) me hac opinione permanisse depravatum, quandiu nemo fuit, qui offusas menti tenebras disjiceret, et hanc noctis caliginem obscuram dispelleret. Atque illo tempore caecus, et amens, mei

ip-

ipsius inscius, tot erroribus implicatus obtemperabam patri, nihil faciebam contra voluntatem Leuigildi: sed animum, fateor, nesciebã a vero aberrare, et me ipsum Daemonis imperio devinctum, obstrictumque esse prorsus ignorabã. Postquã vero Leãder disjecit tenebras, lucẽ attulit Religionis, et veras Fidei, quae deducit, et effert in caelorum gloriam, dirigit, et extollit animos ad aspectũ divini Numinis perfruedũ, iniquum erat in errore amplius me versari, in Arrianorũ secta permanere, in tãtis tenebris, et obscuritate jacere, atque me ipsum dare in Daemonis servitutem miseram, quam in hoc saeculo, si in Arrianorum secta perseverassem, servissem miserissimam, duriorem vero, terribilemque, atque sempiternam post mortem in inferorum sedibus, aeternis flammis, atque cruciatibus acerbissimis torquendus. Quem animum de me habebat pater, eiecit, exsuerit amorẽ omnẽ, atque omnem humanitatem, et induat speciem, formamque belluarum omni diritate immanissimarum, nec minimũ mutabo sententiam incertum est in proposito, susceptoque cõsilio permanere. Quod si pater me expectat, simulatq; tympana concrepauerint, bellicus ipse tumultus perstreperit, clangor ex auditus fuerit tubarum, urbs obsessa, bellicae machinationes admotae, atque moenia verberata, me mutaturum esse sententiam, errat tota via. In animo est urbem tueri, defendere Religionem, pro Christi Iesu Fide pugnare, atque in urbe nõ me continere solum, sed educere exercitum, ornare, instruereque aciem, manũ cum illo conferere, cum suis cõffigere copiis, et nullum, modo potestas sit Religionis Christianae defendendae, periculum recusare. Si occubuerim in bello, nihil mihi grãtius, neq; gloriosius accidere potest, quã pro Fide Christi Iesu contra haereseos Arrianae sectatores mortẽ oppetere. Si captus a paternis militibus fuerim, quae minatus fuerit, subire sum paratissimus, carcerem scilicet, inediã, vincula, ferrum, catenas omnes, atque tandem ipsam a Patre mortẽ crudeliter oblatã non a quo solum, et forti animo perferre

E e sed



sed appetere vehementer, et enixe ab immortali Deo effragitare. Spoliet regno, diademate ipso, omnibus gubernaculis imperiorum: manere me certo scio caeleste atque immortale regnum, Martyrum lauream gloriosam, illas insulas, et insignia beatorum, voluptates, et honores nullo unquam tempore interituros. Humana omnia, quae infra Lunam sunt, omnia fluxa, caduca sunt, atque plenissima miseriarum, innumris exposita fortunae telis: quae id temporis cum maxime extare et eminere videantur, et summam fuerint amplitudinem consequuta, permixta mille acerbitatibus, curis, et angoribus infinitis obnoxia animum explere nequeunt. Adibo igitur, concludit Rex invictissimus, quaecunque pericula, subibo tempestates malorum omnium, oppetam mortem atrocissimam, et me discerpi, dilaniari, et in mille frustra patiar potius cōscindi minutatim, quam acceptam semel Christianorum disciplinam cum probro, et dedecore, tanto malo, et interitu animi, atque offensione sempiterni Numinis abjicere. Ipse Christus Iesus, qui Religionis in me tantum beneficium contulit, suo divino robore, et muniet, et praesenti virtute confirmabit.

## DE PATHOPOEIA.

**A**ccedo jam ad Pathopociam, quae ab eloquentiae praecipitoribus definitur vehementiorum affectuum, et perturbationum expressio: de qua Macrobius toto libro. 4. praecipit. Hujus duae sunt formae. Prima, intentio: quam Latini quidam imaginationem appellat: qua metus, dolor, ira, odium, invidia, effraenata cupiditas, libido, spes immoderata laetitia, reliquaeque perturbationes animi describuntur, et excitantur. Hujus exempla passim obvia sunt, in tragoediis Graecis, et Latinis, et in Philippicis Ciceronis, et in actionibus Inverrem, et in Virgilio, maximo principe affectum commovendorum. Altera forma est commiseratio: qua lacrymae

cli-

eliciuntur, et misericordia: captatur etiam venia. Haec in amplificationibus nimium dominatur, et in perorationibus: ut licet ex orationibus Ciceronis accipere. Nos utriusque generis aliquot adjungemus formas, et imprimis laetitiae proprias, atque peculiare.

## DE LAETITIA, ET DOLORE.

**L**Aetitia affertur ex praesentibus commodis publicis, aut privatis, ut in gratulatione fieri solet, ac debet. Dolor excitatur ex praesentibus malis, aut communibus, aut propriis: ut in oratione fnebri.

AFFECTVS LAETITIAE IN NATALITIVS Domini, ex antecedentibus, consequentibus, et exemplis. Cum repetitione, dissolutione, adjunctione, conversione, exclamatione, gradatione.




**M**ULTITUDO igitur bonorum, quae in nos, majoresque nostros, universamque posteritatem redundarunt, nos ad laetitiam corporibus, animisque capiendam invitavit. Fruere genus humanum fortuna fausta, fruere tantis bonorum copiis, et commodis maximis, honoribus, et immortali gloria caelorum parta. Fruere denique sedibus illis, atque palatiis caelorum clarissimis, neque his solum, sed honoribus, et dignitatibus beatorum civium sempiternis: quae veram libertatem, verum decus, et gloriam solidam afferunt, et comparabunt in perpetuum. Vultis gaudium, quod nulla unquam aegritudo comminet? natalitia Domini comparavit. Desideratis libertatem nullo

tempore amittendam? hanc acquirerunt Christi Iesu natalitia. gloria vobis in optatis est, et illi beatorum honores, nulla memoria saeculorum omnium relinquendi? eos nobis adeptus est natalis dies Domini. Omnes causas laetitiae, libertatis, gloriae, tanto Domino in lucem edito referre debemus acceptas. O felices vos homines. O vere quidem fortunatos, qui huiusmodi gaudiorum, huius diei tantae laetitiae fueritis participes. O veros Christianos, quorum corpora non solum, sed etiam animi gestiant, atque triumphent, ex magnitudine, celebritateque natalitiorum veros fructus, atque solidos percipientes. Hic ciné sim ille, cui libertas recuperata, dignitas restituta, reddita gloria caelorum, et ut divinae fiam particeps, atque confors dignitatis, et apud me sim prae gaudio? non exultem? non omnibus gestiam laetiis? non unde liberatus, considerem mecum gaudens, mecumque gestiens? non ex inferorum poenis? cuius a me jugum servile deiecerim? ipsius Daemonis inferorum principis? quas evaserim poenas horribiles, atque sempiternas. contemplan, non serio triumphem? quo vocer? ad quas opes, ad quae gaudia, ad quod decus filii Dei, Dei ipsius immortalis, summi, praepotentisque caelorum Opificis, non recorder? hoc memoriae mandari, hoc animis condi, huius beneficii causa ante porticum nos choreas agitare, cantus edere laetissimos, et omnibus gestire laetiis, temporis ipsius, et acceptorum. ratio beneficiorum postulat. Quid illi beatorum spirituum cantus? quid divinarum mentium harmonia caelestis? quid tanta suavitas, ac dulcedo jucundissima deposcit? nos haec omnia genus hominum, nos mortales invitât, nos attrahunt, et ad hanc non percipiendam solum, sed instaurandam, inter nosque recolendam admirabilem, et plane stupendam natalitiorum jucunditatem. Nostra sunt natalitia, nostrae illorum utilitates, noster honos, atque decus. Illorum beneficio libertatem filiorum Dei recuperavimus, libertate dignitatem, dignitate gloriam caelorum immortalem, gloria opes ipsas beatorum caelestes, et

cum.

eum his omnia, quae fingi, et cogitari possunt, decora, et ornamenta caelestium aulicorum immortalia.

ALTERVM LAETITIAE GENVS. A Beatorum exemplis, per comparisonem, adjuncta, et per consequentia, cum repetitione, demonstratio, et inter-



Vid laetius illis clarissimis viris esse poterat, qui in mediis cruciatibus, suppliciorum expertes videbantur, atque illas magis, atque magis, appetebant, ac deposcebant suppliciorum acerbitates. Cum admovebantur corporibus ardentes laminae, rosae videbantur, et lilia. cum prunas accensas pedibus illi calcareret, floribus, et violis stratos agros praetergredi se purabant. Nunquam ad spectacula publica, ad ludos Trojanos, ad taurorum agitationes, ad convivium magnificentissima tam laetantes ibant, et gestientes homines huius saeculi, quam Martyres nostrae Religionis invictissimi laetiis omnibus exultantes, ad mortem, ad crucem, ad flammam properabant. Videres eos vultu hilari, laetis oculis, alacri animo, suavitate verborum gratias agere maximis suppliciorum auctoribus, eosque affici suavissime jucundissimeque, ut veritatem Fidei ore ipso vultuque prae se ferret, et palam coetui spectatorum testarentur. Intuere Stephanum Christianae Fidei cultor, illam comitatem, benignitatemque Stephani, tranquillitatem frontis, hilaritatem vultus, gaudium, et laetitiam incredibilem, quem ore gerebat, risum, promptum, et paratum animum, alacrem, et erectum ad perferendos lapidum ictus, tamque alienum a querelis, a moerore, a dolore, ut coniectis lapidibus os ipsum, corpus, et totum denique libens, et laetus praebere. Quam Protomartyri sanctissimo laetitiam caelorum apertae sedes, aspectus Christi Iesu ad Patris aeterni

dexteram tanta maiestate confidentis, ipsa filii gloria caelestis tanto splendore fulgentis, ipsa tam excelsa praepotentis, et augustissimae Triados Majestas afferret? Cum gemmae, smaragdi, carbunculi, margaritae viderentur lapidum infinita multitudo, quibus caecis illis in nubibus, atque procellis instar grandinis horridae corpus appetitum proscinderetur, quantopere gavisum dicemus illum fuisse, laetatumque vehementer? Quid aliud Christus Iesus, quid cellissima Trias palatii caelorum patefactis, de suo solio magnificentissimo tanti beneficii magnitudine Stephano significare voluit, nisi ut laetanti animo exciperet lapidum ictus toto corpore imprimendos, quod ad gaudia caelorum immortalia primus sanguine profuso invitaretur? Cum his caelorum laetitiis omnibus laetus Stephanus ad extremum usque spiritum in illa, semper acerrima lapidatione perseveraverit, mentis oculis cernes loci dignitatem, et praemiorum, ad quae vocabatur, amplitudinem, atque jam capite coronato Protomartyrem, in Christi Iesu societatem, et ad tanti domini gloriam perfruendam ascendentem, et intelliges caelesti Stephano praecipuam, et singularem dono ac munere divino causam allatam fuisse laetandi.

AFFECTVS AD SPEM EX ENVMERATIONE, cum exemplo, de Regum Magorum adventu. Figurae, articulus, repetitio.

Veniat nobis in mentem Regum Magorum itineris, et profectio nis longissimae, et tanto cum periculo, tantis difficultatibus, atque adeo vitae discrimine manifesto progressionis, et tredecim dies confectae viae, ac denique Regum ipsorum, vultum, et ora subeuntium Herodis tanta cum animorum magnitudine, ac plane Regali constantia. Cum in ipso solymorum ingressu, ex oculis subducto sidere, non defecerint ipsi Reges, sed spem in Deo duce summo, ac principe sui itineris

ris posuerint, qui illos signo de caelis observato, de suis regnorum sedibus visendi non vi Regis causa eductos ad eisdem usque tandem brevi, feliciterque conspectum, et ora perduxerit, cum nobis constet non mentem regibus injectam fuisse falsam, non inanes allatas cogitationes, omnia ex divina sententia processisse, illos in Christi Iesu venisse conspectum, suisque tandem donis ac muneribus procumbentes in genua divinam affecisse Majestatem, quis non spes omnes suas in divino Numine collocabit? quis non sperabit fore tandem aliquando, serius, aut citius, ut quem iste tantus Dominus dederit colendae virtutis animum, expleat, et augeat, si homo vim sibi faciat, et ab otio ad laborem, a somno ad vigilias, a corpore ad animum, a deliciis omnibus carnis ad hostis huiusce motus comprimendos, a saeculi inanitate ad verum Dei obsequium se totum excitet, atque convertat? quae ille vere regnandi spem habebit in omnem saeculorum memoriam, et quae Reges ipsi obtinuerunt, beatorum domicilia comparandi? Hac ille spe erigetur ad contemtionem rerum humanarum, ad opes, et regna quaecumque contemnenda, ad spectandum in Deum immortalem, et ad perfruendum eiusdem in omnes saeculorum aeternitates divinae Majestatis aspectu. Hac spe alebatur Davidis animus, in Deum spes suas omnes, rationesque conferebat, huc spectabat, huc contendebat, nihil aliud sperabat, nulli rei magis confidebat: neque regno, neque armis, neque sapientia, neque praesidiis aliis humanis, ullo veniebatur honore mortalium Dei opem, et Numine sempiternum implorans: ut hostium manus evaderet, et salvus, et incolumis ab omni periculo liberaretur.

SECUNDA RATIO MOVENDI AFFECTUS ad spe ex consequentibus. Figurae sunt articulus adjunctio, correctio, conduplicatio, exclamatio.

Hic tunc audita praedictione clarissimi viri Senatus doctorum confirmatus, omnis academia permota, omnes

denique omnium generum, atque ordinum scholastici matris academiae, a Rectore, et ab ipsis consiliariis petendum esse auxilium arbitrabatur. Cum illi essent academiae Praefecti, cum doctorum consensu ipsi facultati tanto praeceptore ferre opem, et auxilium potuissent, flagitabatur ab scholasticis cum in scholis plausu quotidie doctori sapientissimo excitato, tum precibus multis ad doctores adhibitis, et schedulis in chatedras multis passim projectis, et alias aliis consequentibus, ut animum suum non significare, sed voluntate tanto studio, assiduaque effugitatione ostendere videretur, ut eruditionem viri animadverterent, facultatem jacentem rhetorū varia, multipliciq; cognitione excitarēt, honorarēt academiam suam tanta sapientiae praestantia, in his studiis bonorum praeceptorum inopia laborantem, agerēt aliquid, denique referrent ad ordinem suum. Hi non modo multos dies mittendo, remittendoque schedulas, sed etiam orando, gravissimum quonque illius ordinis urgebāt. Eodem die quadam subito, cū incredibilis plausus excitatus esset in media schola doctori, nescio, quo afflato spiritu, mente incitari vehementissima, ex tota illius facultatis academia, cunctaque classe rhetoricae scholastici, cum frequentissimus convenisset doctorum ordo, ad cubiculum Rectoris advolantes Idoc-torem retinendum flagitarunt, et Rectorem ipsum, confesumque omnem omni ratione, mercede proposita, quoniam id temporis cathedra non vacaverat, ut praeceptorem tantum adjuvarent, orare non destiterunt. Quanta voluntate coetus ille, confessusque doctorum amplissimus, et imprimis ipse Rector, atque consilarii sermones optimorum scholasticorum, et preces audierunt? Quid ego stipendii mentionem faciam, quod illi continuo non solum, quod operae pretium esset id fieri, sed quasi valde gloriosū ad honorē academiae, decernendum non dubitarunt, sed chatedram, et sine cōpetitore, siquam haberent, deferendam decrevisse. Vos, vos inquam scholastici, vos alumni eloquentiae, et alii boni, vestri

ami-

amici, familiaresque tanto studio, vos pro praeceptore tanto, (vel ut verius dicā) pro parente communi academiae ad doctorum pedes, Rectorisque jacuistis: cum vestris precibus a tanto coetu exauditis vir incredibili scientia, summo ingenio, bonis artibus instructus, publica mercede constituta, et omnium opinione majore in chatedra rhetoricae collocatus est. O diem illum auditores, academiae laetū, utilem doctrinae benedicēdi, et ad posteritatis memoriā gloriosum. Quid enim scholastici possunt ex omni memoria suorum studiorū sumere illustrius, quam pro bono praeceptore omnes orare doctores, et hanc utilitatem, hos fructus afferre gymnasiis? Hoc die, mihi credite, omnibus doctissimis hominib' ad bene de suis laboribus, et matri academiae de fructibus literariis praeclare sperandum, quasi signum aliquod a vobis prolatum esse putatote.

## TERTIA RATIO MOVENDI AD

spem ex consequentibus, et exemplo, cum interrogacione, et traductione, de

divo Ermenegildo.

**A**N mihi ipsi non fuit mors aequo animo oppetenda? Quid tūc agerem? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? An caput meum in tantum armorum strepitum cum inferrem, non mihi spoliatio regni, non mors ob oculos versabatur? non haec denique tanquā ad futura in ipsa contentione patris ab adversariis passim jactabantur? an erat mihi in tanto parentis mei odio, in tanta alienatione, tanta acerbitate, tanta armorum contētionē, si vicisset, vita speranda? tam etiam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expertus consilii, aut iudicii? tam immemor adhortationum Leandri? nihil audieram ab illo? nihil acceperam? nihil ipse cogitādo, meditandoque cognoverā? nesciebam vitae brevē esse cursum, gloriae sempiternū, et cū esset omnibus definita mors,

Ff op-

optandum esse, ut vita, quae necessitati debebatur, Deo potius immortalis donaretur, quam reservata naturae videretur? Non me docuerat Leander vitae ipsius curriculum exiguum esse, atque brevibus terminis circumscriptum, et tunc ad regnorum caelestium sedes semper ternas immigrare animos beatissimorum, fortissimorumque Martyrum, cum e corpore excessissent, spiritu, quem acceperant, pro Dei sempiterni gloria cum sanguine profuso? Denique cum omnia semper ad immortalem Deum sui cultores referant, neque sine tanto domino quidquam expetendum esse homini in vita constituerint, mortem, quam caelorum immortalis gloria consequitur, pro beatorum immortalitate contemnendam non mihi persuaseram? Mortem etiam, quam Ingudis in itinere regia animi magnitudine pro Fide Christiana contemserat, ego vir huiusce conjugis fortissimae, Rex etiam Hispalensis, tantis signis, documentisque meae fidei datis metuerem? cum praesertim ejus Religionis studiosus alumnus essem, cujus princeps, et auctor Christus Iesus sanguine suo caelorum sedes patefecisset? Ex qua Stephani Protomartyres paucos post dies invicta virtute praediti se, atque vitam suam in mediam lapidationem coniecissent? ex qua beatus Ioannes Evangelista imitandi sui praceptoris, et Martyrum adipiscendae laureae causa mortem in variis contentionibus olei ferventis, ex filii, aliorumque periculorum exultans oppetiisset? in qua Religione ipse accepissem Pueris Innocentibus vix nato Assertore Iesu satellitum crudelissimorum manibus sanguinem exhaustum fuisse? quae denique tot innumerabiles Heroas fortitudine, sanctitateque praestantes, Martyrum honoribus, et insignibus affectos, sacris, solennibusque feriis quotannis exornat? Haec ego, et multa alia cogitans, non libens meum caput crudelitati carnificis objecissem? Neque mihi quidquam esse jucundius poterat, neque magis amplum ad mei nominis gloriam, neque ad illud caelorum immortale regnum adipiscendum.

QVARTVS.

QVARTA RATIO ERIGENDI IN  
spem ab exemplo Pharaonis, et populi  
Solymorum.

CONsiderate clementiam Domini in liberando populo Iudaeorum ex deterrimis inimicorum manibus. Quis nam Iudaeorum salvus esset? quis incolumis evasisset? Insectabatur gentem Hebraeorum ab Aegypti finibus Rex impotentissimus ardens odio, hostili animo in omnes Hebraeos omnipeditatu, et equitatu Pharaonis. Quid hujus audaciae, et sceleris poterat opponi? non dum gens tanti Domini fines Aegyptiorum transierat, non tela, non gladios ad se defendendam habebat. Nullum erat perfugium, nulla evadendi potestas, daedae cervices erat crudelitati nefariae, et in veterem omnes servitutem redigendi. Fugam quaerebat multitudo, quae exitum praeccluso mari rubro non habebat. Quis tunc Hebraeis, quis populo Solymorum transitum fluctibus instar muri ex utraque parte consistentibus praebuit? Cum omnia ad Solymorum perniciem ultimam illi pestifero draconi paterent, non subito praeter omnium spem spes omnibus affulsit, et adnota Moyses virga maritimis fluctibus viam patefecit, ut tanquam aridam terram transeuntes, in alteram ripam gaudio exultantes, et gratias agentes immortalis Deo sese dederint? Pharaonis transire properat atque festinat, sed cum omnibus copiis aquarum mole revocata subito obrutus fuit, atque submersus.

QVINTA RATIO EX ADIVNCTIS.  
Exemplum in adolescente viam litterarum ingresso.

INGressus es in academiam florentem, et altricem bonorum Ingeniorum, officinam maximarum artium, cunctarumque disciplinarum, et doctorum copia praestantissimorum

Ff 2 abun

abundantem. Non obest caeli intemperies, non immoderati calores, non vis frigorum, ac magnitudo, non inopia, et indigentia rerum, quibus multi ab studio bonarum artium avocari solent. Es summo ingenio praeditus, memoria maxima ad litteras, et disciplinas excolendas, neque unquam adversa valetudine jactatus, non ullo tentatus capitis dolore, bonis viribus, et firmis lateribus, reliquis denique adjumentis naturae, praesidiisque necessariis instructus. Summa est expectatio tui ipsius, quam ingenii, et reliquorum ornamentorum praestantia mortalibus attulisti. Hanc ne decipias, et ut expleas potius, omnium in te oculi facient, et ora conjecta mortalium. Ad quam excitabunt te honorum gradus, Reip. dignitates maximae, spes sororum, et fratrum tuorum in tuo ingenio, in tuis studiis jam pridem positae, atque illa parentis tui celebritas, et gloria nominis consequuta: qui scientia juris civilis ad summum Regni Senatus Consilium per omnes honorum gradus ascendit. Tu si parum laboris susceperis, qui sunt pleni expectatione de nostro Ioanne Martino, non diu suspensi, et incerti, obscura spe, et caeca expectatione pedebunt: quin in academia, in qua nunc es, brevi te talem praestare poteris, ut jurisconsultus evadens maximus, laurea doctoris ornatus hujusce facultatis in amplissimo dignitatis gradu colloceris, et deligaris ad Granatense, deinde ad Vallodolitanum, denique ad Regium, et omnium maximam, summamque Consilium.

## DE PVDORE.

**P**Vdor est dolor ex malis, quae afferunt dedecus.

## PRIMA RATIO AFFECTVVM AD

pudorem sumitur ex adjunctis, enumeratione,

consequentibus, et fine. Figurae sunt repet.

art. Adjuncti. Demonstr.

Non



Non te pudet spectaculum cernere Pueri Iesu octavo die sanguinem profundentis, et sanctissimam carnem gladio rescissam audire, iam tam tenera aetate, in ipsa infantia, vix natum octo dies gladiorum aciem subire, Deum ipsum, qui totius est expers peccati, omni culpa liber, hac lege solutus, hunc ipsum architectum caelorum legem summo jure servare, atque virginem ipsam adesse spectaculo, cernere Iesum lumen oculorum, doloris magnitudine confectum, vagientem, plorantem, atque multo sanguine manantem hominis ipsius causa, tui peccatoris gratia, ut te ipsum respicias, a peccatis omnibus discedas, redeas in viam exemplo suo, ut sedes motus animorum, et adversantem libidini sanctissimam in omni re legem divinam serves? ita ne hominem jam amplius annos triginta natum tanta libidine flagrare, ut te non pudor, non anni, non aspectus hominum, non tot oculi mortalium a sceleribus revocaverint? non pueri vagitus, non acies hujusce gladii, non pueri rescissa caro, non sanguis profusus ori tuo fraenum, manibus vincula, pedibus compedes, corpori catenas, animo pudorem injecerit, ne quidquam homine Christiano indignum faceres? pudebat te in hominum conspectu, ne te saeculi satellites deriderent, imitari facta Pueri Iesu, et illum sequi praeceptorem, et auctorem virtutis, atque sanctimoniae? tempus erit, mihi crede, et non abest multum, cum in te speciem, et quasi formam Daemonis Iesus ipse videns derelinquet te praedae, direptionique inferorum. Cum in conspectum Domini veneris rationem vitae tuae redditurus, qui tum pudor? quae perturbatio? quae caligo tuis oculis offusa? qui mentis stupor? nolles te natum fuisse, cuperes nunquam in hanc lucem exiisse, qui cum probro, ac summo dedecore eiecideris a conspectu divinae Majestatis, atque adeo quia pudoris, et pudicitiae repagula perfregisti, in obscuras inferorum sedes de gradu honoris tui dejectus summa cum infamia deturbaberis: pudebit enim

Ff 3

Chri-

Christum Iesum vos in aspectu Patris aeterni filios suos appellare.

SECUNDA RATIO SUMITUR EX  
consequentibus, et ex dissimilitudine, cum  
Præteritione, Repetitione, Dissolu-  
tione, adjunctione.

**N**ON plura de me dicam: satis vobis meum, meorumque candidatorum ingenium, satis artes, bonaeque disciplinae, quas unusquisque nostrum sibi comparavit, notae sunt: satis testati sunt labores, vigiliae, lucubrationes omnium nostrum. in oculis vestris positae sunt actiones publicae, renuntiationum gradus, opinio, et expectatio, gloria nominis comparata. Quid efficere possit unusquisque, quemadmodum discipulos artibus erudire liberalibus, quaestiones omnes difficiles, et abstrusas agitare, suis huc, et illuc trahere argumētis, dispellere tenebras, asferre lucem, et discipulos ejusmodi bene institutos, beneque instructos in exitu curriculi parenti academiae dare valeat, qui praeceptorum officio fungi possint, et eandem summa cum laude artem, facultatemque tradere, vobis omnibus multo melius, quam nostrum quisquam verbis exprimer, notū est, et exploratum. Scio vos nihil in istius cathedrae suffragatione commissuros esse, quare vos pudeat in posterum praeceptoris: ut cum aspexeritis praeceptorem suffragiis delectum, non cōsuluisse commodis vestris, non providisse matri academiae, quisquam vos acculet, aut vos oculis prae pudore dejectis in terrā nolitis aspicere, quē delegeritis: quod falsi fuisse videamini inani ostentatione, et falsa jactatione sui ipsius, aut procuratorum fallaciis, et fraudibus decepti, qui vobis talem suis pigmentis, et fūco ementiti fuerint: ut perlegisse cōfirmaverint omnes illum libros, nulla non verasse volumina auctorum, in difficultatibus superādis omne studiū laboriosissime posuisse, quaestiones abditas atq; recōditas habuisse notatas omnes, intellectas etiā,

ac penitus perspectas, explicare posse laqueos, et nodos auctorum dissolvere, et quid in unaquaque re tenendū ex doctorum auctoritate, disciplinaque collectum, dilucide auditoribus ostendere. Quare providete, quaeso, vobis, cōsultite honori, respicite, qui sermo fiturus in posterū de vobis suffragatoribus, de vestris praeceptoribus. Iterū, atque iterum per Deum immortalē obsecro, per illam, quā debetis academiae vestrae observantiā, et pietatē maximam: si quid temporis diurnitas, usus, et exercitatio tot annos ante suscepta, gradibus suis consequutū collegiū maximū, et ejusdē amictus, insignia, decus, et ornamentum collegarū beati Ildefonsi valet: si quid nullo stipēdio, nulla mercede, amore solū in litteras, et studio flagranti, et vobis notissima voluntate servienti, nostri labores assidui, tot ac tātae vigiliae, lucubrationesque nostrae, nostra merita valuerint. si nihil tam implicatū fuit, quod nō explicuerim, nihil tā difficile, quod nō expedierim, nihil tam obscurū, quod non illustraverim, nihil tam reconditum, quod non investigaverim, patefecerim, et in orbis gentium lucē meis publicis praelectionibus nō protulerim. Vestrum erit dare operā, ut delecto praeceptore magis idoneo, magis e re, usūque cōmuni, sine cujusquā vestrū ignominia, de cathedra proloqui valeatis. Pulcrū erit vos audire praeceptorē cū honore academiae maximo, ejusdē scripta proferre cui cunque deposcenti, laudare, praedicare disciplinam, denique ubicunque locorū fueritis, de vestro magistro gloriari. Sic credo futurū, ut latebras nullas quaeratis, nunquam aspectum fugiatis mortaliū, non cōcursum, neque celebritatē adversariorū: sed quocūque adieritis, ibi vos summo cū honore futuros esse: quocūq; oculi inciderint, evētura omnia vobis honorifica, gloriosaque faustis seper acclamationibus. Itaque parietes quasi gestientes vobis ipsis de tāto praeceptore gymnasiis dialecticorū debito, justeque delato gratulari velle videbūtur.

DE AMORE CONCILIANDO.

**A**MOR facile paratur duabus causis, virtute, et utilitate: diligimus enim hominem, aut quia bonus sit, aut quia de bonis meritis sit, aut mereri possit. Hinc Tullius conciliat amorem Senatus Caesari: cuius in patriam merita, et res in Gallia bene, feliciterque gestas commemorat in oratione de provinciis Consularibus.

## EXERCITATIO AD AMOREM EX

auuctoritate, adjunctis, comparatione, et enumeratione. Figurae, repetitio, articulus, si-

militar cadens, interrogatio. Affectus

amoris in Deum.

**V**are quid sit, quod amorem nobis maiorem conciliare debeat, quã iste tãtus, tamque praepotens Dominus, non video. Huic nos dedere, huic nos totos tradere, huic denique nos animo, et voluntate, quãtum eniti, et efficere potuerimus, debemus infervire: neque quidquam in nobis erit, nullam corporis, aut animi partem vacare aequum est, quae studium, et operam suam diligentem, et assiduam eidem sine intermissione non praestet. Nam praeterquam quod nihil magis a Deo optimo maximo commedatum est generi mortalium, quam ut summo divinam Majestatem amore complectamur, atque divinae legis praescriptiones ad proxima, et ad Dei praecipuum amorẽ referantur, hisque duobus mandatis divina lex innitatur: agite, quid magis cõtenderũt divinae legis cultores? quo suarum actionum assiduae meditationes, quo finis cõferebatur? Cujus rei magis, quã divini Numinis enixe, summopereque amandi gratia laborabãt? et carcerem, inedia, vigiliã, famem, omnes cruciatus perferebãt? atque profundendi non solum sanguinis quocũque modo cupidissimi erant, sed in mille frustula discerpi, mille subire suppliciorũ genera Dei immortalis amore capti, succensique cupie-

cupiebant? Hunc amabant, hunc appetebant, de tanto Numine dies, noctesque cogitabant, de eodẽ loquebantur, hunc somniabant, illius nunquam ullo loco, ac tempore cogitationem deponebant. Insidebat in istorum animis bonitas illius immensa, nunquam visa pulcritudo, augustissima, celsissima, que Majestas, divitiae, et opes infinitae, sapientiae perennis, et inexhaustus fons, principatus, et dominatio caelestis, summum in omne genus hominum, atque rerum univrsarũ imperium, aeternum, et immortale decus, gloriae magnitudo, et felicitas sempiterna: qua nihil beatius, nihil bonis omnibus affluentiùs cogitari potest. Quo cum homo aspiraverit cum hujusce boni se compotem factum esse viderit, atque in tantae Majestatis se viderit oculis, et aspectu nunquam non acquiescere, nihil erit, quod ampli⁹ desideret: habet enim exploratum, futurum se semper in solidis, et aeternis beatorum gaudiis, atque voluptatibus. Quamobrẽ sic immortalis Dei homines summa virtute perfecti amore flagrant, ut reliquas omnes res, honores ipsos, imperia, regna, dominationẽ, semper illi faeces, atque sordes appellent: ipsos vero Principes atque Reges hujusce saeculi comparatos ad augustam, sempiternamque tanti Domini Majestatem vermiculos, atque animalcula, quae trahere pedibus, ac proterere nihil ducant: nihil etiam ad minimam divinorũ ornamentorum partem procul dubio putet, et habeant. Si quid enim homines boni, si quid pulcritudinis, si quid divitiarum, si quid virtutis, et omnis generis bonorum consequuti sunt, id a principe, et auctore bonorum omnium immortalis Deo profectum fuisse vident, atque deductum. Quod terra foeta herbis, ac floribus vireat, et niteat, et frugum ubertatem, et copiam fundat, alat animalia, venas auri, et argenti abditas, et abstrusas suppeditet, quod fontium liquores, fluminum cursus, maris immensitatem tanta piscium multitudine refertissimam, quod aëris circumfusam regionem, avicularum cantibus, et volatu vago solutoque jucundam creaverit, quod caelum istud sideribus,



et Lunae varietate noctu distinctum, et diu Solis splendore illustratum videamus, monimenta sunt haec amoris divini, et in gen<sup>o</sup> hominum eximia caritatis insignia clarissima. Quod si nos ipsos circumspectamus, cum corporis, et animi dotes contemplamur, cum effictos, atque formatos ad imaginem, et similitudinem divinam, cum Filii sui sanguine, e Daemonis, in cuius manus incideramus, servitute liberatos, Christiana dignitate, sacris insignibus ornatos, in Fidei sanctissimae potentissima, religiosissimaque sede cultrice educatos, illustratos gratiae divinae splendore, et omnibus suis auctos divinis, et caelestibus ornamentis, ac tandem futuros gloriae caelestis habitatores, et incolas in perpetuum, si per nos non steterit, et gratiam caelestem, et divinam amicitiam cum summo scelere, perfidiaque non effuderimus, iterum iterumque consideremus, haec non faces ardentes? non accensae flammae? non ignes indies magis ac magis invalescentes ad amores Christi mirabiles in nostris animis excitandos esse sine dubitatione videbuntur? tantum ne hos opibus, et ornamentis huiusmodi valuisse? adeo potentes, et florentes fuisse? sic omnibus copiis circumfluxisse humanis, et caelestibus, tantum in Deo bonitatis, sapientiae, pulcritudinis, potentiae, reliquarumque virtutum exstitisse videamus, et non exarsisse nos? non flagrasse incredibili tantae Majestatis, atque optimi sanctissimique Creatoris amore, Deum hunc tantum, et tam immensum, delicias, et amores nostros summopere diligendo, non omnium rerum humanarum, et cunctorum hominum abjecisse nos amorem, et illum in Deum tam eximium transfudisse semper tot innumerabilibus infinitisque de causis summae fuit, et extremae plane dementiae.

## PRIMA RATIO AD ODIVM AMORIS

contrarium in Iudaeos conflandum, qui Iesum cruci affixerunt ex repugnantibus, cum causa efficienti, praecupatione testimonii.

Ma]

**M**aximis igitur periculis non modo liberati, sed etiam amplissimis beneficiis, et honoribus affecti, cumulati- que Iudaei non erubuerunt Filium tuum in crucem tollere: quod profecto neque tyrannos immanes facturos fuisse putarem. Vt enim omittam cujus tanti sceleris fuerit in conspectu cunctarum gentium necare innocentem: cujus tantae importunitatis omnium saeculorum, atque omnis memoriae clarissimum lumen extinguere: cujus tantae ferocitatis falsis testimoniis iram divini Numinis provocatam non extimescere: cujus tam inhumani, atque ingrati animi, a quo tanta beneficia accepissent, in eum tyrannos inveniri: ut haec omittam, cujus tanti furoris fuit omnes caelites, quorum voluntates necessario fuerant avertendae, omnes divinas Mentis, ipsas Potestates caelorum, omnia denique humana, atque divina in se miseros excitare? quo nam illi modo tot signis de caelo servatis, ipso templi sanctissimi velo discisso, saxorum tot maximorum evulsionem, percussioneque concrepanti, a mortuis excitatorum hominum aspectu terrifico, et in ipsius diei media claritate, repentina defectione Solis, et rebus omnibus obscurissima caligine circumfusus mentibus, atque animis possent consistere tanto scelere non modo profecto, sed etiam cogitato? At haec homines dementissimi non videbant, qui mediam diei lucem subito sibi ipsis ereptam aspexerunt. Quod unquam scelus magis exhorruit caelum ipsum? quae horroris sui clariora signa dedisse mortaliu generi ulla saeculorum omnium memoria visum est? nota fuit illis hominibus Christi Iesu probitas, noti mores, nota sanctitas. Quibus porro, qui modo Iesu nomen audiverunt, miracula edita, virtutes admirandae, opera caelestia, atque divina non fuerunt audita?

## SECUNDA RATIO ODII CONFLAN-

di ex efficientibus, effectis, dissimilitudine in Iudaeis, qui extrahit hominem ab ecclesia.

**A**t etiam aras sacras, et tepla sanctorum. O immanem hominis audaciam, tu ingredi domum sacram ausus es?

G g 2 tu

tu istud sanctissimum templum intrare? tu istius tēpli sacris imaginibus os importunissimum ostendere? cujus sacellam nusquam aliquis nisi religiose intrare debet, nemo sine summa sanctitate obire. Sacro te ex tēplo hominē extrahere nō puduit, ubi sanē nihil non sanctum, et religiosum occurrebat? An tu, cū illos parietes, illa sacella, aras, sacrariū Afferentis Iesu aspexisti, domum alicujus oppidani te introire putabas? Fieri profecto non potest, quāvis sine mente, sine sensu tunc fueris, ut fuisti, quin et tuum corpus, et corporis partes omnes contremuerint aspectu simulachrorum, et loci ipsius majestate, atque adeo sacrarii Christi Iesu religione sanctissima. Neque vero credibile est te unquam cymbalorum pulsū toties audientem quotidie, et mane, vespereque percipientem tuis auribus posse mente consistere. Atque necesse quidem erit, quanvis fueris, ut fuisti audax, atque violentus, cum cymbalorum leni, suavi que sono, vehemēti ve, citatoque pulsū, quocūque in loco, ac tēpore aures tuae perforauerint, et loci ipsius sanctitas, atque objecta religio fuerit augustissima, non solum totis artubus te contremiscere, sed animo perturbato vehemēter maximū formidare suppliciū. Me vero commovet mirum in modū, et lacrymas in his malis cogit effundere acerbissimas recordatio offensae libertatis Ecclesiae, et tuorum satellitum clamoribus, atque furore violatae. Quid enim sacra sanctorum tēpla, domus Dei immortalis videre debet, nisi honestum, nisi sanctū, nisi ex optimo more, atque disciplina? Sunt tēpla, sicut scimus, cum immunitatibus multis donata, tum praecipua divini Numinis praesentia omni ratione veneranda. Atque id temporis pro religione sacrilegiū admittebatur, pro cātibus divinis clamores satellitū audiebātur, pro servāda immunitate vis, et furor tuus bacchabatur.

### TERTIA RATIO MOVENDI AFFECTUS

ad odiū ex enumeratione, cum repetitione, et praeteritione, de crudelitate Iudaeorū.

Quid



Vid enim vos Christus Iesus violarat, quē comprehendistis, raptavistis, omni crudelitate tractavistis? quid ille Agnus, cujus comprehensio cogitata, vexatioque miseranda vobis fuit iucundissima? quid ille pater benignitatis, quē, quandiu a vobis indignissime tractabatur, nemo nisi patientissimum, mansuetum admodum aspexit? quid inquam fecerat, quod eum toties per insidias interficere voluistis? quid ovīs illa mansuetissima, Christus Iesus admiserat, quem cum post injurias multas, cōtumeliasque gravissimas, flagris caedendū decrevissetis, vestibus se spoliari passus est, atque nudari? Cum ejus facies, et os caeleste, in quod Angeli intuebātur, foedatum tantopere, et adeo Pilato deformatum videretur, illud vobis visendum, spectandumque protulit, si tantum Dominū vestris fortasse manibus, et effraenato furore liberare potuisset? Sed quid ego vestram hanc crudelitatem exprobo, quam in ipsum Iesum flagellis, spinisque laceratū adhibuistis, qui ad mortem raptus, qui in crucem sublatus, qui ejus ori, qui ejus lateri sanctissimo nefariā, et omni imbutā odio diritatem ostendistis.

### QVARTA RATIO EX EADEM ENU-

meratione, cū diversis schematibus, frequentatione scilicet, et interrogatione, et repetitione, de proditore Iuda.

Q Vid enim potes scelerate Iuda dicere, cur ista proditio non summam habeat acerbiter exuta humanitate communi, quam in prodendo etiam desertores habere solent? tu adeas ex omni Iudaeorū numero Christi inimicos, et principes veteris legis, ac denique eos, quos inhumanos, quos crudeles, quos efferos aspexeris? tu Christo Iesu innocente, auctore totius sanctitatis, et tuo praepceptore prodito discipulos suos, et socios ac comites tuos dissipas, atque disper-

Gg 3

disper


dispergas, tecumque deferas, quos principes veteris legis de-  
derunt armatos ad quodlibet audendum paratissimos? dein-  
de praecas signifer? in itinere inflammas ardentem, ut ante  
comprehensionem Agni, quem comprehensuri sint, intelli-  
gant. Tibi furcifer comprehensio, tibi virgae, tibi spinae, ti-  
bi denique crucis ignominia, tibi tanti Domini mors cum  
tanto probro, atque dedecore plane quidem attribuenda est.

### QVINTA RATIO SVMITVR EX

eadem enumeratione, cum praecupatio-  
ne, et interrogatione. In pec-  
catorem.

**D**ices tibi in animo esse alio tempore mores depravatos  
mutare. Quod tandem erit id tempus? Quando id facies?  
Cur deformasti pulcritudinem animi tui? cur amicitiam Dei  
deseruisti, ac prodidisti? Cur animum tuum ipsi Daemone cu  
hominibus scelere ac fragitio perditis de vovisti? nonne fi-  
dem Deo servare? non illius amicitiam colere? non Daemo-  
nem ipsum, qui menti tuae tenebras tantas offuderat, lucis  
Christianae splendore depellendum, et ejiciendum curare te  
oportebat? nemini quidem certum est, se ad crastina die, nec  
ad vesperum esse victurum.

### SEXTA RATIO EX EADEM ENU- meratione cum comparatione, in impro- bum scholasticum.

 Vid huic scholastico facias? aut quo tam im-  
probum adolescētem, aut quo potius hostem  
academiae sceleratum reserves? qui, ut omit-  
tam caetera, quae sunt ab eo in matrem cru-  
deliter, et impie commissa, hoc unum fecit fa-  
cinus execrandum, atque detestabile, ut expulerit ex acade-  
mia

mia, relegarit non dico litteratum hominē, non doctissimū,  
atque suae facultatis scientissimū, nō facile academiae prin-  
cipem, non illo ipso tempore cum aliis candidatis, et compe-  
titoribus notissimis de cathedra decertantē, sed meritis ma-  
ximis, et inauditis, et jam opinione communi hominū con-  
ditam domi cathedram habentem nullo divinae severitatis  
timore, ex academia suffragium e mentitus egerit? Nullā in-  
juriam candidati Romani graviolem accipere consueverūt,  
quam eam, quae nonnunquam illis inferebatur, si de spe de-  
jicerentur dignitatum adipiscendarum. Atque eisdem can-  
didatis consequutis post annis reditus erat ad petitionem, ad  
suos honores ambiēdos, et in illo accepto incommodo nul-  
la in quenquam de familia propria calamitas importabatur.  
Hoc vero quid est? scholasticus exterminabit munerū cor-  
ruptelis scientissimum litterarum praeceptorem a gymnasi-  
is? scholasticus expellet ex academia? deliget, quem volet? ca-  
thedra adimet? atque ejiciet subornatus? Hic si unquam aca-  
demia eam, quae est apud filios optimos, fore parentem pu-  
tavisset, si denique lac se uberibus suxisse maternis, et ingre-  
mio se altum, atque educatum esse recordaretur, unquam au-  
sus fuisset hominem tantum de gymnasiis tollere? condisci-  
pulorum utilitates aspernari? legum denique divinarum re-  
pagula iniquitate tanta perfringere.

### SEPTIMA RATIO EX NARRATIO ne alicujus facti per comparationē, et enumera- tionem, cum renovatione attentionis, cum amplificatione consequentium, et exemplorum.

**M**agnū hoc, et incredibile crimē est libidinis, atque im-  
probissimae cupiditatis. Accipite nūc avaritiae prope  
modū in suo genere nō levius. Amicos suos grandē pecuniā  
Fabricius poposcit, quae illū merciū emēdarū causa plurimū

adjuvarent: illi statim loculos multos de suis arcis profatos, plenissimos confertissimosque pecuniarum dederunt: his pecuniis in nundinas Burgēses profectus est. De aliis syngraphis, item de fidei iussoribus deceptis in dies certos, de fallaciis, et fraudibus in maximos, et locupletissimos mercatores tametsi dici tum vere, tum graviter, et vehementer potest, tamen dicere praetermittam: eaque omnia, quae mihi ignota sunt, divinae vindictae integra reservabo. Illud, quod neque taceri ullo modo potest, neque dici pro indignitate, cognoscite. Ipse decimum diem post decoxit, seque recepit aliud in regnum. O Deus immortalis. Incredibilem fraudem, detestabilemque fallaciam quis non aspicit? Loculos tu praegradi perdere, quos tibi amici fidelissimi fidem tuam sequuti, ut rem tuam augeres, ut in nundinis Burgēsis negotiareris, quod commodum tuum esset, mercareris, mutuos dederunt, ausus es auferre? si te magnitudo maleficii, si te hominum existimatio non movebat, ne illud quidem cogitabas huius improbiissimae fraudis, huius tam detestandae praedae hanc totam Hispalensem civitatem, emporium gentium universarum, et illas, quo te recepisti, sedes terrarum testes futuras esse? An quia tunc ex hac civitate excedere constitueras, et simulatque Hispalensibus fraudem tuam sermones multorum, litteraeque renunciant, comprehendere te ipsum, et in vincula conjicere creditores non poterant, idcirco te ex hoc crimine elapsum esse arbitrare? non tu Deum ipsum, horum scelerum, atque flagitiorum conscium esse intuereris, et apertissima furta, tot hominum spoliationes ulturum? Manet quidem fraus haec, manet equidem, et dum erit civitas manebit. Sunt Hispali homines honestissimi, quaestuosissimi mercatores, atque ipsius facile principes mercaturae, qui tametsi pecunias amissas vident, et earum recuperandi spem nullam habent, tamen sensum, et dolorem fraudis non modo non amittere ex animo, sed neque spoliati, et damno tanto affecti reticere poterunt. Dicent inquam, et religione adducti, et fidei violatae dolore,

re, quid suis pecuniis factum sit. Ostendent Fabricium in ea mercatura quaestuosissima, quae Hispali, et Burgis fit, furem ac praedonem nefarium fuisse, praeterea pecunias occupavisse plurimas aliorum, syngraphas fecisse, atque illum cum nundinatum abiisse Burgos omnes putarent, aliud in regnum defraudatis creditoribus se contulisse.

OCTAVA RATIO PER ACCLAMATIONEM, cum frequentatione. Scelera Praetoris improbi.

EN gubernacula istius praefecturae. En memoria Praeturae administratae. En ratio reddita rerum suae administrationis. Cum tibi totam urbem, et illius populos tanta cum jurisdictione administrandos Senatus Regius tradidisset, cum tibi exposita esset ad praedam omnis civitas, cum reliqua oppida celebriora suae ditionis, ceteris maximis aliis furtis non fuisti: manus a pupillis; manus ab egentibus, manus a viduis abstinere non potuisti. Iam te non oppidani, non divites solum, ut tu dictitabas, circumveniunt, non ii, qui decretis, edictisque tuis in te concitati, infestique sunt: pupilli a nobis nominati, et mulieres plurimae, atque viduae, quae misere flentes everfas a te suis omnibus bonis esse dixerunt, in iudicium te adducunt, atque adeo vehementer accusant. Quid exspectas? an ut a mortuis viri istarum mulierum, et puerorum parietes existant? atque abs te officia haec Praeturae, ablatas filiorum, et uxorum pecunias repetant? Ipsos putato adesse homo nequam, et spurcissime. Redde bona pueris meis, redde, clamant, pecunias conjugibus, redde utrisque fortunas ereptas. Cur cogis a mortuis nos excitatos in hoc loco voces cum dolore, et querimonia mittere? Cur cogis puerorum tutores, uxorum procuratores, maximam denique multitudinem contra te testimoniū dicere: cur pulcherrimos, lectissimosque pueros, prudentissimas, honestissimasque matronas, omnium an-

tea bonorum abundantes per tuum scelus, et fraudem maximam, inopem, et miseram vitam in posterum agere patieris? Audi querelas, et lamentationem omnium.

ULTIMA RATIO EX ENUMERATIONE, et testimoniis, et occupatione, cum repugnantibus. Exemplum de Pilati prauitate.

**T**Vausus es Pilate deterrime pro nihilo prae Iudaeorum amicitia tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullae praedictiones Vatū sanctissimorum? nulla conjugis visa species in somniis? nullus conscientiae morsus? nullus divini iudicii metus? nulla tibi Agni mitissimi tanta patientia, tam incredibilis, atque stupenda? Itaque mortis condemnas Christum Iesum. Quae (malum) ista fuit amentia? Ecquando te rationem istius sententiae redditurum existimasti? Afferatur mors, quae nulla debetur, ad Iudaeorum animos explendos? cruci addicatur Agnus mitissimus? in humeros lugubre lignum imponatur? et sudans, et anhelans cōportare compellatur ad locum usque Calvarii? Neque hoc solū, sed ita res agatur, ut neque simulatio quidem mansuetudinis adhibeatur? non honoris, non dignitatis habita ratio? In crucem agatur medius interpositus inter duos latrones? Per Iesum hunc, quē cruci affixisti, quid interest, utrum iudex imperes, sententiaque edicas eum capitis supplicio mulcari, an huiusmodi iudicium feras, quo iudicio testatus innocentiam, et integritatem Christi Iesu manus abluens, eundē in adversariorum conspectu tradas crudelitati satellitum excarnificandum? Profecto negare nō potes ex ipsis legibus Christum Iesum te absolvere debuisse: cum praesertim tu ipse suā summam integritatem, innocentiamque testere. Sin illud dices te Iudaeorum clamoribus, et amicitia Caesaris a vero deflexisse, ipse te impediens, ipse tua defensione implicabere.

DE

DE INVIDIA.

**I**Nvidia est ab invidendo dicta, quā Cic. invidentiā quoque appellat. Est autē aegritudo ex alteri rebus secūdis, ut inquit Cic. Tusc. Lib. 3. atque idē definit, lib. 4. earundē Tusc. Quam Stoici invidentiam esse dicunt, aegritudinē susceptā propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti.


PRIMA RATIO INVIDIAE CONFIDENDAE ex adjunctis, cum efficienti.

**E**N bonum scholasticum, en amātem virtutis, diligentem, frequentem, et assiduum, neque a praelectionibus unquam absentem, semper praesentē publicis disputationibus. Quod a praelectionibus vacat tempus, et interjectum est inter unam, et inter alteram praelectionem, libenter conferendis, repetendisque praelectionibus ponere nunquam non illum aspicias, et argumentantem acerrima contentione, semperque excitantem reliquum scholasticorum genus ad officia sua summo cum studio, et labore faciunda. Cū primus veniat in scholas vix albente caelo, ultimus discedit: neque janitores possunt eicere de scholis, nisi vi facta, et semper multa cum contentione. Atq; ea est causa, cur perferre nō possit desides, et ignavos, litterarum oblitos, atque virtutis. Hos ille defert ad praeceptores, et ejiciendos clam curat partim per se, partim per alios, et urgendo praeceptorē, et praemonendo parentes aliquando suos, ut ab scholis amoveant, a litteris, et studiis abhorrentes adolescentes. Quae cum ita sint, vide ne illa fuerit causa bone adolescens hunc infectandi bonum scholasticum, et in illum mendacium, atque falsum testimonium dicendi, quia cum aemulum, et imitatore bonorum scholasticorum, cum consimilem optimi cujusque, et te ipso multo superiorem condiscipulum aspiceres, ferre non potueris: atque ob eam cau-

H h 2 sam

fam ceperis consilium plenum sceleris, et invidiae de hoc adolescente detrahendi, obtrechandique eidem suis in bonis moribus, et recte factis omnium ore commendatis: ne tibi in renuntiationibus publicis praeponeretur, et tibi posthabito ignominiam, et dedecus inureret. Progressiones illius, et processus admirabiles invidiam tantam excitarunt, et usque eo inflammaverunt, ut in scelus, et crimen manifestum adducaris.

SECUNDA RATIO EX FINE CVM  
dissimili, et consequentibus.



Vis te perferre C. Caesar possit, si quod Pompejum vides tantis honoribus cumulatum, principem Senatus, columnam imperii, dominum terrarum, post tot res praeclare gestas, post victorias incredibiles de suis hostibus ubique terrarum reportatas, post triumphos tres gloriosissimos de tribus orbis terrarum partibus actos, tot laboribus, tot periculis defunctum, et capientem pacate tandem aliquando in ipsa senectute fructus justos ac debitos virtuti, fortitudiniquae suae, nefarium contra patriam arma capiendi consilium ceperis, neque destiteris quoad Rubicone superato veneris Ariminum, inde Romam usque contenderis. A qua urbe post tot Consulares, tot Praetorios, tot Magistratus maximos, post Praetores, post Consules, post ipsum denique lumen, atque decus Reipublicae Romanae Gnaeus Pompejum expulsus, et ipsam Rempublicam suis quasi sedibus exterminatam Thessaliam accelerasti, ut bello quaestionem dirimeres. Non ad Pompejum aequandum aspirabas, et contendebas, sed ad regnandi cupiditatem explendam: ut Roma primum, et inde orbis terrarum imperio universo potireris. Te jam pridem, ab illo scilicet tempore, cum ad statuam Alexandri magni Gadibus ingemuisse, omni ratione comparabas. Tu ne illam violatae intercessionis

nis Tribunitiae causam caecus, ac furens inani specie simulationis praereptam iactares? Nulla istaec causa est, nihil istae voces valent: Eruperunt consilia, fraudes atque fallaciae paruerunt, et illustratae sunt, cum confectis bellis civilibus nisi caesus viginti quinque pugionibus Dictaturam non deposuisti.

TERTIA RATIO EX DISSIMILI,  
adjunctis, et efficienti, cum praeoccupatione. In-  
vidia movetur in Leuvigildum.



Vid ait beatus Ermenegildus? quid obsecro in Leuvigildum patrem? Qui mihi auctor fuit? qui Fide Christiana me ad caelorum gloriam informavit? quem ego sum sequutus, is a patre relegatus est? pater Leandrum urbe expulit, et ejecit? Siccine pater eum, qui filio verum suavit, apud quem omnes virtutis numeros vidisset, sanctissimum hominem, dignitate Praefulis ornatum, optime de Christiana Fide meritum, in exilium contra jus, et fas omne miserit? scilicet oppugnabat adversarium, qui tuum regnum in discrimen haeresi sua adduxerat. Non est tibi, crede, ullus excusationis locus, in invidiam raperis ab omni genere hominum, qui Imperio accepto ad bonorum pestem, atque adeo ad Fidei sanctissimae perniciem abutaris.

DE MISERICORDIA.

Misericordia est dolor in alterius rebus adversis, qua movetur, qui audit, si adduci potest, ut quae de altero deploratur, ad suas res conferat, quae aut sibi acciderunt adversae, aut aliis eadem fortunae vicissitudine iactatis. Ita cum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiantur, si dolenter dicuntur, tum afflicta, et prostrata virtus maximos luctus excitare solet.

PRIMA RATIO MOVENDAE MI-  
sericordiae petitur ex efficiēti, et effectis,  
cum obsecratione. Exemplū in cau-  
sa Beati Thomae Can-  
tuariensis.

**R**es erat, et causa propinquorum beati Thomae eo jam loci, ut dejicere oculos, et spirare plane videretur, quisquis erat, qui gradū aliquem affinitatis cum beato Pontifice recognovisset, quocumque abiisset, quod oppidum cūque intrasset. Mittebantur illi, suis bonis, penatibus, praediis ever-  
si, ejecti de civitate, squalidi ac sordidati. Decesserat ex Anglia Thomas, expulsi fuerant propinqui magno moerore, sed multo etiam majore squalore. Thomae iter faciunt tota obviam suorum multitudo cum lacrymis, gemituque processerat, loquebantur illi interclusa prae fletu plurimo voce, conquerebantur omnes, unusquisque lamentabatur vicē suam, ne omnes, si seipsum non respiceret, iret perditū orabant: ad pedes abjecti prostratique, supplices obsecrabant, consisteret, revocaret iter, ne affligeret, et perderet familiam suam in perpetuum. Ille in sua sententia permanens omnium preces repudiabat, omnia denique, quae sui dicerēt, fortiter, constanterque rejiciebat, nisi Rex immunitatem Ecclesiae, praerogativam omnem, denique Romanae sedis auctoritatem integram, incolumemque servaret.

SECUNDA RATIO SVMITVR EX  
efficiēti, et minorum contentione, cum tri-  
plici enthymemate. Mater Ecclesia  
preces religiosorū effragitat.

**S**i semper Resp. Christiana opem, et auxilium divinum implorare consuevit, hoc tempore, hoc in-  
quam

quam maxime implorat: non enim de unius gētis, aut unius principis in suam perniciem arma capientis feritate, sed de tot regnorū, et Imperiorū potētissimorū, et latissimorū furore, de Galliae, Flādriae, Britāniae, Scotiae, et aliarū his locis finitimarum gentium inimicitiis in suam pestē, exitiumque exortis anxia, et sollicita esse debet. Neque in unam dumtaxat sedem Christianorum, sed in omnia prope regna Hispaniarum, Italiae, et in ipsum caput Romanum Pontificē supra dictarum gentium Principes, et Reges omnes, tum ipse Turcarum immanissimus Imperator cū exercitu omni copiarum genere abundante, cum classibus ornatis, et instructis imminere visus est, ferrum, et crudelitatem spirans. De Fide nostra, de Religionis statu, de communi salute, de Matre Ecclesia vexanda, perdendaque agunt istae belluae deterrimae. Reliqua perfugia armorum, praesidia bellorum, subsidia rei militaris, consilia, auxilia Moysē non tendente manus in coelum, ceciderunt. Vestras ergo preces, vestra suspiria, vestras lacrymas, vestra cum summa religione sacrificia Mater Ecclesia implorat. Quem enim quaeso appellet? quem obtestetur? quem illa imploret? Regem ne Philippum suae defensionis portum, et perfugium unicum? At is ipse auxilium petit a vobis, et suarum fortitudinem copiarum vestris precibus inferiorem esse sentit. An reliquorum etiam hominum genus? Iudicat vos principes omnis ordinis, qui nihil non a Deo vestra sanctitate possitis ab immortalī Deo impetrare. In vestris precibus, in vestra virtute, in vestris lacrymis omnia fere posita videt, ac intelligit esse sita. Quamobrē nisi hoc tēpore, nisi apud vos, nisi per vos auctoritatē suā, quae tot armis hostilibus oppugnatur, et statū, qui tāto opere machinis omnib⁹ ab adversariis opprimitur, tenuerimus, quid est obsecro, quo cōfugere possimus? Oppugnare volūt hostes caput Ecclesiae, Romanū Pōtificē: quid est causae, cur nō ii, qui filii sunt, et alumni habētur, pertimescāt? raptūtur apud hos ad poenā, qui Christiani sunt, sui etiā generis

atque fortunae homines, cur sibi confidunt ii, qui alienigenae sunt? et his ipsis communes hostes sumus: atque tales hostili dissidio praedicamur? Socii consiliorum, administri, comitesque custodia, inedia, cruciatibus, et suppliciis omnibus vexantur, quid auctores? quid duces bonorum? quid principes expectabunt? Utinam boni viri, vos religiosi vere, et ex animo Deum oretis, ut omnis multitudo, omne genus reliquum a sceleribus, et flagitiis absteat, remedium his tandem malis sine dubitatione reperiemus.

TERTIA RATIO EX EFFICIENTI  
cum translationibus, cum enumeratione, de  
divo Leandro.


**I**njecta est fax foeda, ac luctuosa Reip. petita est gravitas ordinis amplissimi, confessus bonorum omnium, totius denique Ecclesiae status: Haec enim certe petebatur, cum in Leandrum Pontificem Hispalensis ecclesiae illa flamma, illius exilii fax coniecta fuit. Excepit, et pro Religione exfulans exarsit: sic tamen, ut deserti boni, presbyteri eisdem ignibus circumsepti, quibus Leandrum ictum pro Christi Iesu honore, et fumantem viderunt, paene conflagrare viderentur. Non enim sedabatur discordiae, sed crescebat Arrianorum in Christianos odium, a quibus furores Regis incendebantur, et indies magis inflammabantur: ut omnia miscerent, ac turbarer, Leandro, qui Christianos defendebat, ab Hispalensi solo exfulere, et extorre.

QUARTA RATIO SVMITVR EX  
comparatione, et exemplo, de Christianis vexatis per tyrannos primis nascentis  
Christianae Fidei temporibus.

**Q**uid enim primis nascentis Fidei temporibus Christianis hominibus laboriosius? quid magis sollicitum? magis

gis exercitum dici, aut fingi potest? qui spe caelestium praemiorum ad sacra Fidei suscipienda adducti, metu crudelissimorum malorum, et omni genere suppliciorum, et injuriarum carere non potuerunt? et quidem omnes tempestates, atque procellas in ipsis acerbis fluctibus semper decreverunt sibi ipsis esse subeundas: quod instigante conscientia pro veritate contra mendacium stabant. In adulta jam Ecclesia, et tot Martyrum, et virorum sanctissimorum virtute, tanta miraculorum multitudine, et praestantia stupendorum corroborata, post tot annorum millia, in Gallia, et in illis partibus Romanae sedi finitimis, in quibus ex cunctis ordinibus ab incunabulis Ecclesiae sanctissimi viri floruerunt, nunquam existimavi spem ullam, aut vires habituros esse haereticae factionis administros ad Fidei gloriam in illis regnis non modo perfringendam, sed neque etiam ex ulla parte attingendam.

QVINTA RATIO SVMITVR AB  
exemplis, cum enumeratione commodorum,  
per conduplicationem, et obtestationem, in laude beati  
Leandri.



Ed me repente auditores de fortissimi, et clarissimi Pontificis virtute, et gloria dicentem, et plura dicere parantem exilii ejusdem memoria in ipso cursu orationis repressit. Video enim beatum Leandrum sacrae Fidei, Christianae Religionis, veritatis defensorum, et propugnatorem acerrimum exfulum. Video fratrem Isidorum, id temporis puerum adhuc collacrymantibus oculis fratrem suum natu maximum intuentem. Video fortissimum Ermenegildum, ducem libertatis Hispalensis, custodem salutis nostrae, repressorem furoris patrum, extinctorem haereseos Arrianae, defensorum te-



plorum, et sacrorum sacellorum, propugnatorem solidae, veraeque dignitatis, dolentem, et deplorantem exsilium Leandri. Video iterum, atque iterum in exsilio Leandrum, ex torrem, et eiectum de sede Pontificatus, sine infulis, sine tiara, sine Pontificio baculo, omni sua spoliatum dignitate: quem nos duximus semper, et ducere debemus patrem, ac parētem nostrae hujus recuperatae fortunae, ac nominis, posterorum, majorumque nostrorum in hoc misero squalore ac sordib<sup>9</sup>. Cur Leuvigildus saepius, et sedem Pontificiam, et omnē dignitatem Romani Pontificis auctoritate confirmatam actus, et inflammatus Arrianorū furoribus ademit, rejecitque omnes omnium preces, atque lacrymas pro patre verissimo, et clarissimo Pontifice summa contentione adhibitas? Atque hic tot, et tātorū Principum, et Regis Ermenegildi squalor, hae lacrymae, hi luctus suscepti fuerunt propter unū Leandrum: quia vestram urbem, quia templa religiosissima, quia sacra Christianorū, quia Fidem sanctissimam, Religionemque defendebat: quia seipsum poscētibus bonis, flagitātibus presbyteris, Fidei Christi Iesu ab Arrianis deformatae propugnatorem acerrimum praebuit sese. Quod tātum est istud in vos beneficium? quae tā immortalia merita? quid nō fortiter fecit illo die, illo tēpore, cū pro vobis, pro Fide, pro Christi Iesu honore suam auctoritatem, suam dignitatem, suum caput, atque vitam impiorum hominum furoribus opposuit? Atque si pericula subeunda sunt pro Religionis honore defendendo, subiit periculorum satis. Ablata dignitas fuit, ereptus honos, injuriae factae, ignominiae iniustae, domus adempta, direpta: Pontifex relegatus incredibili in vos pietate, amore inaudito praeditus, puls<sup>9</sup> aris, focis, penatib<sup>9</sup> ipsis, abstractus ab ovibus caruit Hispali, quam, ut levissime dicā, defenderat: pertulit crudelitatem inimicorum, scelus Arrianorum, injurias horum satellitū. Si hoc est satis, quod haec omnia in sua persona suscepta pro Fidei conservatione tolerāda fuerunt, et tandē vobis reditu suo, vestra vobis Hispalēsibus dig-

dignitas reddita fuit, atque restituta: multo vobis Hispalenses multo inquā labore expedit ad hāc fidem virtutibus ornandam, illustrandamque vestris tantis defensoribus, et conservatoribus respondere Leandris. An Ermenegildus vivere fortasse potuisset ab urbe Hispali vestro Leandro eiecto, qui veritatis illum Christianae compotem fecerat? Non potuit esse Hispalenses: neque ille unquam Isidorus frater, qui suis lacrymis, qua esset in fratrem pietate, declaravit, relegato fratre suo propter Fidem Christi Iesu seipsum, nisi fratrem imitaretur, tanto pastore dignum fratrem putavit. Itaque illum imitatus, et vestigiis, quoad potuit, institit: usque eo autē potuit, donec merit<sup>9</sup> est ut de Patronis Hispalēsibus propter virtutē suam maximus, et praestantissimus adoptaretur. Leander vos in omni fortuna cū dignitate sua, sive in exsilio nunquam complexus non est. Neque illum a vobis, quem vestra de causa relegatum vidistis, unquam suae fortunae commutatio divulsit: neque ullis unquam temporum turbulentissimis tempestatibus homines nisi de suis Hispalensibus, de suis ovibus dispersis, atque balantibus ex deterrimi lupi Leuvigildi ore, ac faucibus, cū sermone non posset, lectissimis epistolis, eripiendis agere destitit. Vos, qui illum ab exsilio redeuntē, Hispalēses, qui vestris moenibus, atq; tectis, qui vestris tēplis, et omnium magnificētissima illis tēporibus Hispaniarū sede primaria recepistis, quem stipatum flore principū, ipso presbyterorum coetu comitāte clarissimo Rex ipse Recaredus, quo post Ermenegildi memoriam Regem Hispaniarum regna clariorē viderūt neminē, in suā dignitatē restituit, patrōnū imitādū, colēdūque oculis, et animis vestris proponere debetis. Vos hujusce patroni virtutib<sup>9</sup> exculti virtutē omnē augere, tela nequissimorū spiritūū cōjecta perfringere, moribus optimis animos augere vestros, et veterem illā beati Leādri virtutē renovare poteritis. Quare vos obsecror, atque obsecro, si vos salvos esse voluistis, si post mortem gloriae beatorū cōpotes fieri, patroni sanctissimi, fortissimi-

que Leādrī virtutē assidue colatis: cuius causa vestri quoque majores Christianae Religionis veteri dignitati studium, et operā omnem, assiduitatemque praestiterunt.

SEXTA RATIO AB VNO DVM-  
taxat exemplo, de Adamo primo huma-  
ni generis Parente.

**I** Am vero primus humani generis Parens im-  
perio superbissimo Daemonis, et crudelissimae  
dominationi subiectus, de Paradiso fuit extur-  
batus. Magno hoc dico cum dolore: miseran-  
dum in modum a Daemone deceptus, captus,  
ejectus, dissipatus, ac perditus fuit, et in terra hac infima, mor-  
bis, laboribus, anxietatibus implicatus: et quod est acerbissi-  
mum memoratum, posteritas scelere primi Parentis suppli-  
cium gravissimum subire coacta fuit. Atque cum versatus  
fuerit, cum hominibus auctor ipse vitae Christus Iesus, et  
suis legibus, et praescriptionibus sanctissimis excoluerit ge-  
nus eorum, natalitiis, meritis, et cruciatibus acerbissimis expia-  
verit, tanto praesidio, atque robore virtutis divinae firmaverit:  
quasi nulla lege divina, nulla cognitione Dei, quasi nullis  
meritis tanti Domini adjuti fuissent, ritu pecudum vivere tot  
homines, et ab idolorum cultu, et plurimarum perversitate  
sectarum ad aeternam caelorum gloriam, ad immortalis Dei  
cognitionem, multarum gentium mentes, animosque non ex-  
citatos fuisse quis non admiretur?

SEPTIMA RATIO AB EXEMPO,  
et comparatione, cum exclamatione, et con-  
duplicatione de exilio Divi  
Leandri.

**P**RO Deum immortalem. Cur interdum in hominum sce-  
leribus dissimulare visus es, aut commissorum scelerum  
poc-

poenas in tempus aliud reservare. Legimus, legimus enim, et  
illum legendo hausimus dolorem vel acerbissimum in vita,  
cum beatus Leander abstraheretur, e sinu complexuque ci-  
vitatē Hispalensis: cumque ille vir, qui natum se defendēdae  
Religioni dicitavit, aliquot annis postquam in Pōtificatu,  
in excelsa sede honoris, in tanta dignitate florisset, incredi-  
bili robore, maximo animo, invicta virtute auferretur crude-  
lissime bonis omnibus, atque universae Ecclesiae. Quo qui-  
dem tempore ille discedens, cum jam caeteris ex partibus cau-  
sa Christianorum victa fuisset, et hoc unicum subsidium ad-  
pestem bonorum auferretur, cum urbem Hispalim intueretur  
desertam, testatus est clara, atque quam intentata voce, quan-  
ta impenderet procella Rege Leuvigildo civitati. Et cum cae-  
lum saepe suspiceret, quod supra eandem erat civitatē, Eccle-  
siam, causam Christianorum lugebat. Quem quidem Ponti-  
cem, si tanta vis, et furor effraenatus Leuvigildi e civitate non  
sustulisset, quonam modo Leuvigildo Regi secum sanguinis  
communione conjuncto Pontifex restitisset, qui Pōtifex fu-  
rentem, atque debacchantem represit? et e manibus, ex ore  
cruento agnum abstulit Ermenegildum?


OCTAVA RATIO EX HIS, QVAE  
fieri deberent, et ex contentione minorum,  
in doctore deposcente cathedram.

**Q**Uamobrem maneat in ejus potestate cathedra, cujus  
ingenio, litteris, cognitioni, quattuor annis ante, tot  
scholasticorum suffragiis demandata fuit. Etenim si  
ingenii muneribus amplissimis ornatus, iterum ejusdem con-  
tentionis periculum subire nolle, si in theatrum istud, si ad  
hanc contentionem, ad hunc honorem, ad hanc cathedram,  
quam suis laboribus debitam omnes vident, si ad praelectio-  
nem hanc, ad suffragiorum incertam aleam non rediret, si in  
humeros scholasticorum sublatus vehi per urbem victor re-

nuntiatus, secunda laurea recusasset, si denique timeret casum aliquem, qui etiam si contingeret, tantum auferre tamen honoris non posset, quatum augere, quod injuste, quod contra leges, quod pravis rationibus, quod subornatis suffragatoribus ademptam optimus quisque cathedram intellexisset: vos tamen oporteret, huic ipsi vim inferri, ne certamē recusaret, in theatrum trahere debuissetis: atque primum plausu, deinde manibus vestris collocaretis in cathedra. Cum vero ille gloriae jam pridem academiae vestrae nunquam non inservire velit, quid est, quod magistrum tantum incensum ad academiam vestram augendam in cathedra reponere, et totam suffragiorum rationem ex vestra voluntate pendentē explicare non aperte studeatis.

### NONA RATIO EX EFFICIENTIVM

conglobatione. Exemplum in exequiis  
domini Ioannis ab Austria.



Nox illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisset. Cum Agareni suos ad defectionem, regulus ad bellum, conjurati ad exitiū, et vastitatē civitatem uni versam vocarent, cum Praetor civitatis voces Agarenorum, tumultusque exaudiēs, ad urbis defensionem omnes oppidanos excitaret, cū Cōsiliarii Regii, cū ipse Prorex vigilātia, sollicitudineque summa aedes, fortunas, vitam cūctorum civium tueretur: tu tu domine Ioannes Austriace communis exitiū auctores retardasti: tu inclusā in Granatae medullis, visceribusque pestem delevisti: tu periculorum magnitudinem ab urbe, a templis, a tectis, a moenibus, a tota provincia Granatensi vastitatem ultimam avertisti. Quae te duce bello Granatēsi res clarissimae gestae fuerūt? qui exercitus ducti? quae praelia cōmissa? quae victoriae reportatae? quas tibi gratias omnes egerūt? quas Senatus Granatensis? quas Consiliū Regium?

giū? O dies ille felicissimus, quo te Duce, et Imperatore Agareni subjugati fuerunt: quem omnes diem vere natalē hujus urbis, aut certe salutarē appellare potuerunt. O caeteri dies, qui hunc consequuti fuerūt, felices, fortunati, fausti huic civitati. Vos nō felices Granatēses? Quod gaudiū? quae voluptas? quae laetitia omniū exstitit? Sed quid ea commemoro, quae tum, cum agebantur, uno consensu omnium, una voce populi Granatensis, omnis generis, et ordinis testimonio in caelum laudibus efferebantur? Nunc vereor non modo non profuerint, verū etiam nō nihil obfuerint. Etenim multo acriorem improborum interdum invidiam esse video, quā invictae virtutis memoriam. Ego te, fortitudo ait, quod e vivis excesseris, ego te inquā, mi fortissime Ioannes perdidisti. Tua dextera, tua fortitudo, tua virtus mihi referri debuit accepta: cum te in Granatensi bello, in extinguēdo Agarenorum genere, in Turcarū sanguine navali in pugna profundendo, fortem, et invictum reddiderim. Quod tāto opere gloria tua crescere videbatur, neque id invidorum improbitas ferre poterat, mors abstulit, extinxit, delevit. At te Imperatorē clarissimum, quod Deus facta praemiis immortalibus compensat, nunquam tot discrimina pro salute subjisse Christianorum, nunquam gladiis, et militaribus periculis toties objecisse caput, nūquam pro religione te magnanimū exhoruisse mortem poenitebit: semper enim cum Granatēsi, cum navalia monimēta, cum facinora egregia, cum gloriosa quaecunque tua facta celebrabuntur, tum in caelorum sedibus, laborum fortitudinis, periculorum, virtutis denique praemia consequutus eris immortalia.

DECIMA RATIO EX EFFECTIS CON-  
globatis, illustrata expolitione, exclamatione, inter-  
rogatione, metaphora, praeteritione.

**P**ro Deus immortalis. Defensorem, et propugnatorem  
Religionis ejici de civitate, de sede sua deturbari Pon-

tificem sanctissimum, integerrimumque Leandrū. Quae nam illa in urbe Hispali monstra, quae scelera vidistis? Vir erat expulsius, qui Religionem Christianā ex Romanae sedis auctoritate cum paucissimis bonis defenderat: et expulsus est, non aliqua alia, sed hac ipsa de causa. Erat ille expulsus sine causa, furore Leuvigildi Arrianorum furoribus inflammati. Erat dejectus de gradu dignitatis altissimo, de Pontificatu suo, sine tiara, sine baculo, sine infulis, et insignibus Pontificiis, sine auctoritate. Mittitur in exilium hac tanta spoliatione sedis Pontificiae: nec punctum quidem temporis inter mandata Leuvigildi, et Leandri discessum interfuisse putate. Statim discedente Archiepiscopo ad diripiendam domum, et spirante quasi Hispalensi ecclesia ad ejus suppellectilem rapiendam advolarunt furiae Leuvigildi. Omitto gaudia, epulas, perpotationes Arrianas. Diripiebatur domus, auferbatur supellex, famuli vexabantur, boni, atque cultores Religionis a Leandri pedibus avelli non poterant, gemebant collacrumabant, suum sequebantur pastorem, neque ab illius aspectu se se abducere nisi jussu Leandri voluissent: qui robore praeditus incredibili cedebat temporibus: neque exilium, sed mortem pro Christo Iesu ferre cupiebat incredibiliter.

#### VNDECIMA RATIO AB EFFECTIS

per repetitionem, et sermocinationem.

**A**spexit Iesus Petrum illis oculis, quibus semper solitus est, cum ovis aberrantis misereri solet: movet quippe aspectus Christi Iesu Petrum, cui tunc tacite Christus sermonem fecisse visus est. Quid tu me iratum tibi Petre putas? tibi, cui Ecclesiae principatū me daturum esse promisi? quē ex primis meis delegi comitibus? Tu Petre semel praeceptorem tuum negasti. Tu cum iusiurando neque de facie novisse dixisti. Tu non semel, sed iterum, atque tertio dedisti iusiur-

ran

randum mulierculae. Tu uno ancillulae verbo succubuiisti, cecidisti victus. Tu me desertū a discipulis, jam omni humano praesidio derelictum impiis carnificibus deludendum, deridendumque reliquisti. Hanc rem, et si nefarie fecisti, et jus est acquisissimum de proditione tecum expostulandi meum: tamē cum in me inimici crudelitatem expromserint suam, ego in te maxime intueri non desinam: tu fidei, quam mihi dedisti paulo ante, recordare, vel si opus fuerit, te mortē mecum appetiturum esse.

#### DVODECIMA RATIO EX CON-

globatione effectōrū. Per interrogationē, articulum, adjunctionem, praeteritionem.

**A**N Martinus, qui in gratia Dei fuerat, et levi de causa, una objecta cogitatione, vel aspectu mulierculae, de tāto gradu dejectus est, cum ea, quae acciderunt, providere potuit futura, et non occasionem fugit, tanta desinet in moestitia esse, quanta vir ille, qui tātum boni amisit, fuisse deberet? dolebit, dolebit quidē gratiam Dei tot ante virtutū actionibus auctam, et amplificatam sic misere se perdidisse. Neque enim est ille tam ignarus, indoctusque rerum, ut nō frāgatur propter gratiae spoliationem: quam ille non deserēs majoribus donis caelestibus afficeretur, amissa, multas in miserias idem incidit: illos ille homo gratiae fructus uberimos, lumina amicitiae divinae non retinuit, tot dotes, tot ornamenta, tot decora caelestia, omnem praeterea florē virtutis, atque honestatis, tum divinorum gaudiorum multitudinem, magnitudinemque: quae si retinerentur, quamquam aliquo detrimento corporis (bonis enim plurius est corporis commoditatibus animorum salus) animi lumen non extinxisset. Quae si perseverantia in virtute sibi fuisset, ac nō ille nefarie animo, cujus incolumitati consulere debuisset, unius

KK cu-

cupiditate mulierculae malum attulisset, ut alia omittam, ille equidem nunquam amicitiam Dei, atque animi pulcritudine amisisset.

DECIMA TERTIA RATIO EX AD-  
junctis, cum dissimilibus, per interrogatio-  
nem, et Ironiam.

**Q**uid ergo auditores, cum civibus moerētibus Hispali Leander cecidit, non solum Pontifex, non domum, non gregem ovium suarum amisit: quae fuisset causa restituendi Pontificis, nisi fuisset injusta ejiciendi? Arrium videlicet defenderat, illius causam tutatus fuerat, Regem Ermengildum a Fide abstraxerat: et Leandro in causa mala, in Leuvigildi optima etiam caput dedendum erat. Improborum et nefariorum satellitum armis agnos sibi traditos, agnos in qua Leuvigildi imperio, potestatique dedere non reculaverat. Vidit equidem, vidit urbs Hispalensis hunc ipsum Leandrum Pontificem, lumen, et ornamentum Ecclesiae paene confici Leuvigildi viribus, cum bonus Praesul Religioni adesset: quibus in fluctibus Rex idem Leuvigildus, tyrannus deterrimus in exilium mittendum non dubitavit.

DECIMA QUARTA RATIO EX  
adjunctis, cum comparatione, per com-  
morationem.

**P**ersona Christi Iesu pro fenestra Pilati produ-  
cta, dignitas Iesu (miserum me, recordatione  
hujusce imaginis lacrymae erumpunt sponte  
sua) dignitas inquam tanti Domini celsissi-  
ma libidini intemperantissimae subjecta Iu-  
daeorum. Vno illo in spectaculo tanta dignitatis oblita Pha-  
risaeorum cohors clamaverit potestate facta Barabbae  
sedi-

feditiosi, ac turbulenti hominis, Iesum ad necem poscens: eligens-  
que dimisso nequissimo, deterrimoque perturbatore populi?  
Quis erit tam impius, tamque demens, tam Deo, hominibus-  
que infestus, qui illud responsum datum non exhorreat? omif-  
so scelesto bonum virum ad mortem deposci quis putaret?  
praesertim cum tot essent testimonia in Iesu virtute, summa-  
que sanctitate reperta, quae divinitatem illius caelestis testa-  
rentur? Vnus populus inventus est, qui id auderet, quod nul-  
la Tigris, neque fera immanis non exhorruisset. Tantus igitur  
vos stupor oppressit, vel ut verius dicam tantus furor,  
ut primum cum populus Dei fuissetis delectus, ipsis Hiero-  
solymitis nati, deinde cum Messiam expectaretis avidissime,  
tam vos execrandos gentibus, tam detestabiles posteritati  
saeculorum omnium, tam omnes caelites, omnes divinas  
Mentes, ipsum Patrem aeternum, et esse id temporis, et fu-  
turum vobis inimicum non sciatis. At quam crudeliter in ejus  
hominis corpus invastistis, cujus virtute terribilis erat popu-  
lus Hierosolymitanus omnibus gentibus, atque nationibus,  
miraculorum gloria clarissimus? In ejus igitur corpus, cum  
vos tumultuosissime impetum faceretis, exultantes facta po-  
testate crucem ejus humeris imposuistis; modo verbis, modo  
omni impulsu tantum Dominum foedissime tractantes in  
Calvarii montis summa juga pertraxistis.

DECIMA QUINTA RATIO EX  
antecedentibus, conjunctis, et consequen-  
tibus de Natalitiis Christi Iesu.

**R**ecreor magnopere Natalitiorum Christi Iesu feriis san-  
ctissimis: quod tanta benignitas, quanta nunquam in ho-  
minum mentes cadere potuisset, aspicitur. Video Iesum ipsum in-  
tra humiles, atque vetustos porticus hujusce parietes. Video  
extra conventum: et eam frequentiam aulicorum, quibus Majestas sum-  
morum Principum honorari solet. Video extra lectum, et omnem

apparatum, et magnificentiam Regalem, atque adeo in summa demissione, in rerum omnium indigentia. In Pueri Iesu vagitu, in ploratu, in lacrymis, in ore, in vultu, in corpusculo prae frigoris magnitudine tremente acquiesco. Haec omnia intueor, has incommoditates, et acerbitates omnes meus spectat animus: quae mihi ad spem misericordiae appositae sunt, et ad motum animi, et ad lacrymas eliciendas magnopere faciunt. Hanc enim misericordiam si in Natalitiis suis, in ipsis cunabulis, meis rebus afflicta, atque perditis affert Christus Iesus, quid exitu vitae suae faciet? quantam mihi spem affert de cursus vitae sanctissimus? quis huic Domino non inserviet, cujus totos triginta annos in humani generis agenda causa collocatos esse cernit? licebit spectare Crucem, suspicere medium inter duos latrones pendentem auctorem hunc, et recuperatorem nostrae dignitatis, recordari clavos, latus hastae diritate trajectum, ipsum denique testari caelum defectione repentina Solis obscuratum. Sic cum et Christi Natalitia, et vitam omnem, atque mortem sanctissimam, reliqua, quae in nos exstant, merita recordabor, nullo modo tenere lacrymas poterò; me ipsum ad obsequium tanto Domino praestandum omni ratione semper excitans.

DECIMA SEXTA RATIO EX AN-  
tecedentibus, et consequentibus, cum  
dubitatione.

**M**isericordiam spoliatio sacerdotii quam habere debet spectatores? una quidem eripiuntur cum sacerdotis dignitate omnia. Deditur enim exauguratus potestati iudicium, fascibus ministrorum, sententiae mortis, et ad omnes miseriae, et ad omnem ignominiam subeundam traditur. Quare quid considerandum spectatoribus, aut cuiquam presbyterorum sit in hoc miserrimo spectaculo, video quidem

dem, et summo cum dolore: quae vero miseranda sunt, ea, et mihi ante oculos versantur, et vos videre, et perspicere potestis. Si quod omnes aspexistis, hunc sententiam subiturum esse cognoscitis, quo se miser vertet tanto dedecore coopertus homo? Ad Pontificem ne, ut quem vestitu presbyteri, atque adeo sacerdotis insignibus ornatum vidit, eundem deformatum ignominia, privatum tanta dignitate, moerentem, lugentemque oculis misericordiae respiciat? at tulit jam sententiam: quod factum, infectum quidem esse non potest. An ad fratres, qui miseri praeteritos ante annos pro fratre ad tantam dignitatem evehendo, et pro Ecclesiae honore deferendo multos sumtus immoderatosque fecerunt, et nunc recordati diei sacri primum ab hoc homine facti lacrymas tenere non poterunt: cum eundem non multo post spoliatum tanta dignitate conspiciant. An ad presbyteros, quibus cum aliquando versatus fuit, in una ecclesia fructus tulit, et cecinit, et officia fecit sacerdotis? At hi nesciunt jam hominem: vident abdicatum, ab Ecclesia ejectum jam, et ex numero suorum plane deletum. Sed quid ego Pontificem, aut presbyteros appello, quos nova spoliatio sacerdotii, exauguratio turpis, et ignominiosa, et pontificis aspectu, et presbyterorum societate congressuque privat. Ibit igitur miser ad aliquos consanguineos? an eliget terrarum angulum aliquem abditum, et remotum, ubi jaceat in luctu, et squalore perpetuo? Prius quantum habet incommodi, cum fieri nullo modo queat: neque quisquam consanguineorum tam erit mitis, et misericors, ut qui tantam generi familiaeque suae ignominiam intulit, hunc aequis oculis, et animo videre possit. Et idem quantum dolorem habet, quibus cum hominibus cum honore fuit, ad eosdem cum ignominia hominem reverti? Iam vero inops, et vagus, hominum auxilio destitutus quod perfugium, quem portum reperiet, cum omnia infesta sibi esse videantur, et contraria? qui illius, dicite mortales, dolor? qui moeror? quae abjectio atque debilitatio animi? quanta fortunae commutatio? quam crebra, quam

luctuosa recordatio? quod quibus in locis, paucis ante mensibus homines sacerdotem honoratum, ornatumque videre possent, sumtus facientem maximos, et vitam splendidam agentem, et ad quem opem imploratum atque misericordiam multi quidem adirent, ad eos accedat indigens ipse jam quotidiani cibi, et aliena in posterum pietate sustentandus. Quae si misera, si luctuosa, si plena turpitudinis, et ignominiae, si modis omnibus fugienda sunt, conservate quaeso sacerdotes beneficiū delatae dignitatis. Praebete vos gratos, et memores tantae liberalitatis. Date hoc ipsum Deo, date Filio suo Iesu Christo: cujus personam sustinetis in hoc saeculo. Date hoc populo, date omnibus demandatis: ne quid indignum dignitate vestra committatis. Nolite a sacris faciendis, ab his honoribus, et dignitatibus Ecclesiae alienum quidquam facere: quo famam, quo gloriam, quo honorem vestrum laedatis, violentisq; Vos ego Ecclesiae, quoniam multum habet momenti recordatio huiusmodi, et auctoritatis fides conservata, sacerdotes sacerdos ita Deo immortalis commendo, ut cunctos cupidissimos salutis animorum, studiosissimos Ecclesiae sacrosanctae, acerrimos contra peccata, fortissimos in occasionibus, inimicissimos vitiis omnibus, quae vestrum honorem violant, amicissimos divinae Majestatis in perpetuum esse velim, et exoptem.


**ULTIMA RATIO SUMITUR EX AD-**

junctis, cum exclamatione, ex consequentibus,

cum altera exclamatione, ex antecedentibus,

exemplis, cum obsecratione,

et obtestatione.



Vdi, atque attende peccator, ut scias, quid Christo Iesu debeas: confitearisque aliquando, quod tu facias, te, et ingratus, et impius facere in hunc mitem, et mansuetum Agnum: ti-

tibi, quae Christus Iesus pro salute animi tui fecerit, si non profutura fuerint, te quidem in culpa esse, qui tantam medicinam abieceris. Nam simulatque crucem humeris suis impii satellites imposuerunt, statim illam libenti animo contenta veste induit, coronatus spinis acerrimis, fune de collo pendente, praecone praecedente, consequentibus natura piis mulieribus, et acerbissime flentibus ad Calvarii culmen usque deportavit. O acerbam bonis omnibus memoriam temporis illius, et loci, cum Filius in Matrem Mariam incidit. Duo caeli, terraeque lumina confestim una se cōpexerunt: et terram fufis conspersit lacrymis Maria, neque loqui praemagnitudine doloris potuit. O rem cum auditu crudelem, tum visu nefariam. Ita ne praeco vocem intendens, et tollens, quantum poterat, in caelum, nostrae salutis auctorem publico praconio ad iustitiae speciem, et ad acerbissimae simulationem morti crudelissimae addiceret? et auctorem virtutis, et innocentiae, tanquam seditiosum turbulentumque hominem clamaret tollendum in Crucem? Hic ego nunc de Christo Iesu quid dicam majus, quam Filium Patris aeterni generis hominum tam amantem fuisse, atque cum pro tui ipsius, O peccator libertate recuperanda exstitisse Fidei iussorem, et ea luisse, quae tu ipse meritis pro tuis maximis sceleribus, et peccatis fueras? Non unam ille dumtaxat tui causa, sed mille mortes subire, perpetique paratissimus erat. Ille, cum una suis sanguinis gutta satis esset, ad satisfaciendum aeterno Patri pro primi Parentis defectione scelerata, tanto in te, et in homines amore fuit, et caritate singulari, ut post virgarum diritatem, post spinarum acriter pungentium coronam, Crucem patibulum usque suis humeris portandam suscepit? et in Crucem ascendere pro tui ipsius salute, et dignitate hominum libertateque recuperanda, tantis ignominias, et probris affectus, tanquam in equum alatum, exultans gestiensque properaverit? Hanc Christus Iesus, et suo complexu retinuit, diram-

que pestem a capite tuo depulit, toto corpore de cruce pendente, brachiisque ipsis, pedibusque clavorum diritate transfixis. O fortunam tuam peccator miserandam. O deplorandam calamitatem. O flebiles dies. O noctes scelerum tuorum acerbas. Siquidem Christus tibi mortuus propter pertinaciam non proderit, qui cunctis ad se redeuntibus, et veniam peccatorum petentibus sine dubitatione profuit semper. Memini enim, memini, neque unquam obliviscar temporis illius, cum cuicumque homini venienti, precanti, et ex animo deponenti peccatorum veniam, se nunquam non impertiturum esse Christus pollicitus est. Quid stas? Quid immoraris? Quid accessum ad assertorem Iesum differs? Vides quantum Iesus tibi de suis opibus polliceatur: quanta te, et quam inflammata caritate complectatur. Hunc pro te non aspicias pendere de Cruce Dominum? hunc exanguem, et mortuum inter duos interpositum esse latrones? hunc tanquam pastorem de montis vertice sibilo vagantem, et errantem ovem revocare suo? De Sanctissima morte sua, de Cruce, de vulneribus, de latere Longini hasta trajecto multa tecum tacente, non dubium, quin saepe Christus colloquutus fuerit. Nunc vides me nihil tibi praeter eadem vulnera, et cruciatus, qui duros, et ex silice factos animos saepissime mollierunt, afferre posse. Quid enim possum aliud facere, nisi Christum proferre virgis caesum, nisi hunc appellare coronatum, hunc testari nostrae salutis causa Cruci affixum, nisi te quoque, o homo, cum Christi Cruce compellere. Salutem ille solus tibi dare potest, qui Davidi, qui Matthaeo, qui Magdalena, qui Paulo, qui multis aliis dedit. Expergiscere peccator quaeso, recipiet te solita sua liberalitate Christus Iesus, te retinebit, et complectetur: neque me solum deprecatores tuarum miseriarum, sed divos ipsos, caelites sanctissimos habebis: atque ut spero de benignitate sua Virgo Maria misericordiam semper animo, valdeque benigno, memor suae in genus hominum maternae pietatis precibus suis mitissimi Filii opem implorabit. Dic inquam, dic peccator,

non

non modo mea traductione, non lacrymis, non dolore solum contendo, sed sanctorum meritis, sed Christi virtute, sed tanti Domini cruciatibus: mecumque te simul Christe Iesu. Boni omnes, qui praesentes sunt, testantur auditores, et pro uno homine scelerato, perditoque se praebent omnes deprecatores. Noli mi Iesu per mansuetudinem tuam, per mortem, per Crucem ipsam inimico Daemone me miserum discerpendum, devorandumque dedere. Noli meum animum flammis inferorum ardentibus deflagraturum semper, et comburendum in perpetuum dejicere in noctis obscurae caliginem sempiternam. Sine me, quaeso, quod fretus misericordia tua precor, id a te hodierna die provolutum ad tuos pedes impetrare. Teque Virgo Maria oro, et obtestor, quam nostrarum aerum narum, nostrorum periculorum, et calamitatum semper miseret, hominesque non modo salvos, sed donis caelestibus ornatos, florentesque esse voluisti, ut me per Filium tuum conserves; per quem alios Deo, aulaeque caelesti innumerabiles homines tua obsecratione redditos ac restitutos vides. Plura ne dicam, tua maxima benignitas, et misericordia facit, tuique filii voluntas explorata, maximis gloriosissimisque misericordiae monimentis testata mortalibus: quibus ego in hoc etiam magno meo metu facile inducor in spem tantum Agnum, tamque mansuetum, eundem in veniam mihi danda futurum esse, qui fuerit in aliorum ruina, defectioneque: quoniam in his meis periculis de aliis recordor, quibus suppliciter, ac demisse precantibus misericordiam maximam summa cum benignitate tribuit.

DE POSTVLATIONE, OBSECRATIONE, ET OBTESTATIONE.

Hactenus de misericordia captanda egimus. Potuissemus plures modos constituere commovendae misericordiae, sed cum illos ex aliis figuris ad motus faciendos spectare va-

Ll valea-




leamus, praecipue tamen rem postulatione, obtestatione, obsecratione praestabimus: de quibus sequentes exercitationes instituentur.

### PRAECEPTIONES.

**H**Acc tria lumina rhetoricae magnam vim habet ad movendos auditorum animos. Quae quamquam a multis ita commisceantur, et quasi eadem sint, confundantur, ut facile nequeas inter noscere, sed ipsa nomina, ut video, satis clare disjungunt unumquodque orationis lumen. Nam postulatio simpliciter petit, obsecratio humiliter, atque demisse precatur, obtestatio tota flagrat, et ardet flammis spirans accensas, ut ipsos homines, qui potestatem habent, qui consilio praesunt, cum dignitate maxima exsuscitet, acque quidem, atque mortuorum animos prosopopoeia. Quid, quod in sublime effert sese, testans caelites, et celsitatem divini Numinis?

#### PRIMUM GENUS POSTULATIONIS

ex dissimili. Dissimilis postulatio duorum de cathedra decertantium.



**I**S a vobis, scholastici, hoc postulat, ut quoniam primariam cathedram tam praecellentem, atque honorificam hoc tempore tam summo jure appetit, et quoniam ejus contentioni eruditio doctoris Martini obstare atque officere videatur, recordemini annos illius, et aetatem adhuc juvenilem: ejus adolescentia mentibus vestris insidente non arbitratur hujus cathedrae stipendium, tam amplum, et copiosum posse amittere, ex vestris animis aetate deleta arbitratur id, quod propter juventutem meritis non est, id per summum jus, ac scientiam consequi, et obtinere posse hunc aetatis florem, qui nondum propter ju-

juveniles annos se dignum cathedra praebere visus est: quare ut hoc animis ipsis cernatis ac complectamini, postulat, et ad hanc tuam petitionem tam honestam adjutores vos praebentis. Si vobis aequa, et honesta postulatio videtur, auditores, ego tamen contrariam postulationem afferro, et quomodo mihi persuadeo aliquanto aequiorem. Primum ab adversario peto, ut aequitate, veritateque contentus sit, iniquitatem, et perfidiam non petat: deinde a vobis, suffragatores, ut injustae petitioni resistatis, et justitiae partes suscipiatis, et in hac cathedra deferenda periculum, quod in litteratos intenditur, propulsetis. Quod si aut sanctiones academiae, si leges aliquae, vel consuetudo bona viris litteratis in re litteraria contra senes scientia multo inferiores obstitit, non dubitamus, quin canis, et rugis omisso juvene litterato litterarium honorem praebentis. Sin aliud agitur nihil, nisi ut illis, quibus jus favet, quibus ad cathedram nihil deest, si hoc solum hac postulatione spectatur, ut ipsam absolutam perfectamque litterarum cognitionem inscientia, et ignorantia superet, nonne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum suffragia, ac jussurandum id assequantur idiotae, quod ipsi nullo jure, nulla scientia assequi posse fateantur?

#### SECUNDUM POSTULATIONIS

genus ex dissimili, cum consequentibus.

Postulatio candidati in cathedrae petitione.

**Q**UAE a vobis a Deo immortali quod sperare mihi videor, hoc idem a suffragatoribus peto, ut in hac suffragatione nemo iniquus, et contra justitiam veniens reperiat: deinde si qui aliquando fuerunt, qui patria, qui gratia, qui studio nonnullo, qui muneribus suffra-

gia sua detulerunt, si ne sint hoc tempore, sed omnes potius integri, et incorrupti a veritate stent. A vobis autem me jus meum contendere non est necessarium, qui petitionem nostram plenam aequitatis, et honori vestro consulentem aspicitis: verum quod iniquitate temporum, pravitate nonnullorum, ambitione, allegationibus, lenociniis omnibus admissum est, id ne accidat, vos vestra virtute, aequitate, integritate providere debetis. Suscipite causam dialecticorum, suscipite causam justitiae, integritatis, fidei, honoris. Suscipite causam vestri ordinis, ut doctus homo vestris suffragiis probatus cum omni doctorum Senatu in laude, et in honore esse possit. Cogitate, quis sitis, quibus suffragemini, quibus vestra suffragia dare, quibus adimere candidatis non debeatis. Facite vobis divinae legis veniat in mentem, qua ratione fundator academiae de cathedra deferenda optimis viris, sapientissimisque praceptoribus leges statuerit. Circumstant vos summae auctoritates, quae vos oblivisci auctoritatis divinae non sinent: quae vos nullam non horam, momentumque moneant, doctissimos viros, eruditissimos magistros, exquisitissimos de tota academia doctores deligendos esse. Quare si legum vim, et acrimoniam consideretis ad favendum litteratis hominibus, si filiorum personam ad parentis academiae partes suscipiendas, quae aequissimis, et integerrimis suffragiis praestantur, si bonorum integritatem, et constantiam, ut nequis vos de vera rectaque possit sententia dimovere, spectetis, intelliget academia universa doctissimo, sapientissimoque praepatore delecto, praepositoque caeteris non ita litteratis, sitim, ardoremque justitiae plus apud vos habuisse momenti ad cathedram deferendam, quam ullam animorum affectionem pravam, et a vero abhorrentem. Mihi certum est non committere, ut in hoc munere, si cathedra deferatur, studium meum, aut diligentia desideretur. Non patiar rem in eum statum adduci, ut adversarii nostri, quos adhuc nobis tantopere obstitisse videtis, voces ulla nostrae non bene in vestram utilitatem operae,

di-

diligentiaeque collatae jure optimo mittant, et jactent invulgus. Non videbor profecto cathedra consequuta ullum etiam cum vitae discrimine, pro vestris commodis, et emolumentis otiosum spiritum ducere. Non committam, ut quidquam mihi temporis abeat, quod etiam de succisivis horis non intercipiatur ad academiae fructus uberes, atque praestantes afferendos. Faciam equidem, ut quales se vobis, academiae tantae nominis existimatione, sua sapientia, et fama gloriosa caeteri praepatores litterati praestiterunt, talem me ab hoc tempore nullas non suscipiendo vigilias, et labores omnes perferendo, pro matris academiae amplificatione praestare nunquam desinam.

TERTIVM GENVS EX SOLA ENV-  
meratione, de candidato Rhetoricae ca-  
thedram postulante.



Ed quid ego vestrum hunc confesum acrem-  
fatis, et acutum ad intelligendum, et usu, et ex-  
perientia diuturni temporis praeditum oratio-  
ne conor diutius morari, cum ex superiori-  
bus intellexeritis, quid cuique facultatis ad di-  
cendum sit, et quantum ingenii, et industriae ad tradendam  
artem hanc, et cum fructu scholasticorum docendam: cum ne-  
mo sit, qui non acceperit, quo quisque nostrum usu, et exer-  
citatione praeditus fuerit, quae orationis suae documenta de-  
derit, quoties conventu, et frequentia doctorum hominum,  
historiae, poeseos, et aliarum artium, quae hujusce sunt artis  
maxima, firmissimaque praesidia, periculum fecerit, quemad-  
modum adolescentes discipulos suos quisque produxerit in  
publicum omnibus orationis ornamentis cultos, et expoli-  
tos, et quod vos cupitis, et in hac arte laudare non raro con-  
suevistis, ad Ciceronis stilum informatos. Si verborum elegan-  
tiam, si candorem sermonis, si constructionem orationis, si

L1 3

lumi-

lumina, et insignia quaecunque dicendi vos in uno magis, quam in altero potuistis non animadvertere solum, sed etiam cum laude praeceptoris, cui tantus honos tribuebatur, admirari, a vobis petere non desinam, ut illius praeceptoris non obliviscamini, quem magis utilem, et scholasticis magis fructuosum, et academiae plus honoris allaturum videritis. Quod ut faciatis non peto solum, sed etiam atque etiam con-  
tendo.

#### QUARTVM POSTVLATIONIS

genus ex frequentatione, in laudem  
beati Laurentii.

**V**ae cum ita sint, tandem a vobis petam, quid enim obsecrem, quos tam propensos in huiusce viri sanctissimi mores, et vitam integerrimam aspicio, ut primum legem ipsam divinam, et mandata Dei, et ipsius Matris Ecclesiae praescriptiones sancte, constanterque servetis: deinde illud etiam postulo, divini Laurentii exemplo caelestem gratiam retineatis, neve tyranni alicujus terrores, aut minas pertimescatis. Primum in divo Laurentio satis fuisse animi, constantiaeque vidistis: deinde cum eum Martyris Lauream cum tanta gloria consequutum fuisse videatis, quantam in aliis sanctissimis Christi Martyribus audivistis, quid est, cur in bonis moribus, et in virtute colenda non desudetis? Ipse Laurentius quidquid in se fuit studii, industriae, laboris, quidquid corporis viribus, atque omni animi contentione potuit, quidquid actionibus misericordiae, defendendae Fidei studio, opera, assiduitate, testificatione, praedicatione, ipsius vitae devotione potuit, id totum ad divinum honorem augendum, et Matri Ecclesiae, et praepotenti Deo pollicitus est, atque detulit. Testatus etiam ille quam intenta voce saepe Deum immortalem, qui mortalium exploratos habet sensus,

sus, se neque punctum temporis nisi sanguinis profundendi pro Religione cupiditate flagrantem potuisse conquiescere, neque rogatu Praesidis voluisse Fidem deserere, neque gratiam Dei immortalis effundere, ut hominum potentissimorum amplitudine, aut vitae praesidia periculis, aut adjecta honoribus quaereret. Atque quidem pericula satis, ut egregium Christi cultorem praestare oportuit, in crates ardentes ascendens ipse subiit, honores autem, neque a principibus saeculi humanos, ac perituros, sed ipsa vitae spoliatione, atque adeo flammaram ardore, ut Christi Iesu voluntas tulit, caelestes atque divinos appetebat. Quamobrem quidquid huiusce Martyris exemplo sequuti fueritis, id omne Christi Iesu ornandi causa suscepisse cogitate: tantumque adsit, ut aliquam hominum bonam gratiam vobis quaerere velitis, ut omnia sane pericula corporis, atque vitae, partim praesentia, partim imminentia necessario vobis adenda fuisse non dubitetis. Qui enim sunt Laurentii honoris appetentes, et Martyrum laurea donandi, statuerunt, auditores, gloriam caelorum, beatorum dignitatem saeculi huiusce commodis omnibus, et honoribus praeferrere oportere.

#### QVINTVM POSTVLATIONIS

genus ex brevi enumeratione, in sacer-  
dotii decertatione.

**Q**uare petam a vobis in exitu orationis deligatis, viri illustrissimi, hominem virtute ea, quem bonis studiis videtis comprobari, tum gravitate, et auctoritate huiusce dignitatis propria: sapientia autem tanta, quantam eam convenit existimari, quam tot annorum decursu auctam esse videatis: petitione vero ejusmodi, quae Salmanticensis academiae laurea, ejusdem Reip. litterariae cathedra, doctissimorum hominum laudibus, bonorum discipulorum flore dilectio comprobetur. Atque cum haec ita sint, petimus etiam a vobis, si qua

non modo paria, sed etiam majora merita tanto in sacerdotio considerari solent, ut eum, qui Salmanticam, qui doctores hujus academiae, qui tanti ordinis nomen semper ornavit, quique etiam suis vigilis, et lucubrationibus futuris nomine vestrum decoraturum esse profitetur, quique est eorum numero, qui semper apud vos litterati sunt habiti, atque dicti, sic in vestrum cooptetis ordinem, ut vestra humanitate ornatæ potius litterae, quam suffragiorum acerbitate violatæ fuisse videantur.

## RATIO POSTULATIONIS

confandae.

**E**X his omnibus postulationis generibus consistere debet concionator divini verbi rationem agendi cum homine et ad virtutis studium, et ad praeclaras actiones suscipiendas, dum inducit simpliciter petentem virtutem, Deum ab homine deprecet honestatis studium. Atque ita inducitur spiritus contra carnem, virtus contra vitium, Deus contra Daemonem, Religio contra idololatram: ex quarum dissimili petitione una capiendi consilii deliberatio reliqua est ad colendam virtutem, et ad pravitatem amandandam. Sed exempli causa duas exercitationes adhibeamus, in causa honestatis unam, alteram in spiritu contendente certatim cum carne deliciarum appetente, et sui ipsius amante nimium.

## DE POSTULATIONE SIMPLICI

in Deum immortalis.

**Q**uare peto a te homo, quem ad imaginem, et similitudinem meam creavi, si meum in te amorem, si beneficentiam, et liberalitatem, si mei ipsius dignitatem, et caelestem atque divinam gloriam recognoscis, si vis fructus hominis praestantia, et immortalis Dei celsitate dignissimos ferre, si vis

vis numerari inter beatorum civium coetus illustres, atque consequi gradum aliquem Heroum sanctissimorum amplissimum, et altissimum, ut in virtutis studium incumbas. Nihil etiam tibi prius, neque magis amplum inter mortales agenti ullo unquam tempore videatur esse, neque futurum aliquando deliberes, quam colere virtutem, quam inservire Deo, quam ita totum te ipsum divinae Majestati dedere, ut tum te delectatione affici, et omnibus gaudiis compleri putes, cum suscepseris virtutis exercitationem aliquam, a qua si vacaveris per aliquod tempus, punctum quamquam illud sit, et minimum etiam momentum, nihil te facere, neque effecisse putas, quamquam magnum aliquid te egisse dicant, testenturque mortales. Quid enim est id, quod agitur, quod quidquam sit, et aliquid dici debeat, et haberi ab homine mentis compote, a quo Deus absit ipse, quodque in Deum immortalem non conferatur, a quo omnia duci debent, et in quem spectare nostras res, cogitata, sermones ipsos jus omne postulat, atque natura hominis bene instituti tulit semper, et feret, ne a principe, et auctore generis humani Deo immortalis deflectamus? Huc igitur mea petitio, huc Domini tui postulatio spectat, ut per virtutis viam contendens sanctorum itineribus ire nunquam desinas, pergas autem semper homo, dum his corporis compagibus inclusus fueris. Si jus postulo, si aequum etiam, si quod Deo debitum est, et celsitati divinae, et tibi necessarium etiam ad gloriam caelorum, et ad divinae Majestatis aspectum perfruendum, una haec postulatio praecunctis rebus ferenda est, ut nihil aliud nisi placita Dei immortalis velle videaris, et omnium tyrannorum minas, atque omnia pericula levia praec gloria, praecque honore divino duxisse vigilans, et dormiens curis his, et cogitationibus in animo semper insidentibus.

CARNIS, ET SPIRITVS POSTULATIONIS  
dissimilis.

M m

An



N vero non cogitabo, quid a me petat caro blanda conciliatricula voluptatum? quid etiā ipse spiritus carni contrarius, et infestus? Quid enim caro postulat? ut mihi ipsi indulgeam, et corpus tenerum, atque delicatum putem, carnem appetentem voluptatum, et omnis generis blanditiarū amantem conservem, et quibus illa capitur, illecebris, et cupiditatum lenociniis demulceam. Induere vult caro cultus corporis pretiosissimos, capere cibos suaves, atq; accuratissime apparatus, bibere vina vetustissima, et suavissima, frequentare convivia, equitare cum omni pompa, et apparatu, amare, et amari, nullas praeterire voluptates, et in lecto mollissime strato cubare ad medium usque diem, denique omnem a se molestiam amovere, omnem delectationem, et jucunditatem appetere. Haec omnia adhiberi sibi caro petit a mortalibus, si salvam, et incolumem cupiant in aliquot annos, si cōfertam, et redundātem omnibus gaudiis, ac voluptatibus, neque ante tempus praestitutum sibi quisquam mortem velit asciscere, quam sibi facile mortales asciscunt, qui corpori, qui carni non consulunt. Nemo enim, inquit illa, nisi plane demens, et furiosus mortem afferet sibi, sed conservabit sese, cui a natura datum est, ut Deo volente, jubenteque etiā, salutem, et vitam suam respiciat, et ex insidiis ferro appetitā homo tueatur, atque defendat. Interea dū haec petit, atque contendit caro, fingit se solatii indigere, naturae consentanea quaerere, non transilire metam communem. Itaque illa simulare morbos, induere afflictam, atque oppressam naturā humanam, imbecillem, et infirmā viribus, laboribus exhaustam, et quasi confectam, ut nihil nō ex aequo, bonoque carnem, bestiam deterrimam, indomitamque belluam postulare homines putent. Haec si carnis ipsius usitata videtur postulatio, ego aliam spiritus carni resistantem, et cōtrariam prorsus afferam. Sic enim spiritus ab hominibus contendit, si salvos, et incolumes se velint, si stantes, et florentes, si bonorum

copiis omnibus affluentes, si pulcritudine, quae nullis morbis defforescat, neque senectute, vigentes, si valetudine bona, quae nulla unquam tentari queat aegritudine, semper firmos et integros, si deniq; veris, ac solidis voluptatibus gestientes in perpetuum, ut bellum hostili odio imbutū carni indicant, atque faciant assidua, vehementique afflictationum, et compressionū omnium contentione. Itaque nudent eam illi, spoliēntque sericis vestibus, atque pretiosissimis, induant asperis, et contemptissimis, attritis, ac discerptis, eam abstinere carnibus assuefaciant, nullum gustare cibum suavem, neque accuratū, inedia omnē tolerare in frigida, et pane multos dies, cubare humi, et post multas vigilias fessam, et ad cōsistendum, perseverandumque prorsus imbecillem, et viribus quasi cadētem, et saepe deficientem omnino. Denique nō desinant iidem vim omnem adhibere, carnem ipsam frangere, domare cupiditates, et omni comprimere vexatione, afflictationeque vehementissima, ut ipsi avocent ab humanis cogitationem ad caelestia, a saeculo ad beatorū sedes, et ad Deum immortalem, a ludis ad spectacula sanctorum, ab honoribus saeculi ad caelorum dignitates, ab hac vita, ad aeternā, et nullo unquā aevō periturā. Itaque quamquā caro pallida sit, et deformata, dum in hoc corpore cōstiterit, et cutis solum appareat, et emineat incredibili macie, atque deformitate miranda, denique mortis spirantis effigies videantur homines, tamen pulcritudinis, quae illos manet, et immortalis dignitatis, quae visenda semper, caelestique claritate fulgebit, memores, de spiritu illi solliciti sint, et de vera animi pulcritudine comparanda: quae Dei immortalis gratiā acquirit, et in animo insigni splendore circumfuso retinet. Hae sunt postulationes animi cōtrariae, et infestae carnis teterrimae postulationis. Nunc vestrum est, quid agendum sit, atque constituendum, ex Christianae disciplinae praescriptionib; deliberare: ego enim quid verus Dei cultor constitutum animo, ac deliberatum habeat, facile statuere possum.

## PRIMUM GENVS OBSECRATIONIS

hinc ex enumeratione, efficienti, sine, similitudine, cum conduplicatione, traductione, interrogatione, repetitione.

**P**ROXIMA postulationi habetur obsecratio. Huius primum genus conficitur ex fine, cum enumeratione, detestatione scelerum, et obtestatione per conduplicationem.

## OBSECratio AD VENIAM AB

immortali Deo petendam.

**I**gnosce, ignosce sanctissime Deus, si ejus hostis Dominationi succubimus, quem nos omnes fugere omni ratione debuimus: in quem cum caelites ipsi, atque Métes divinae odium habeant incredibile, tum tu ipse maximum, et acerbissimum. Neque, si inferorū legiones animos nostros aliquando devicerunt, idcirco in Daemonis jurisdictione permanere collibitum est. Quanta tua in nos collata beneficia, quantae opes, quanta in omni genere rerum misericordia, quanti honores beatorum civium, quanta gloria, quantae voluptates, quā solidae, plenissimaeque sint, quis ignorat? A deo quidem benignitate, meritisque tuis excelluisti, ut nostrorū fragitiorum, scelerumque venia nunquam non expectanda sit. Itaque voluptates corporis, iracundiam, odia, invidiam, caetera vitiorum genera execramur, atque detestamur. Ad tuā Iesu clementiam confugimus, hac misera funestaque conditione afflicti, quem tantis peccatis, et execrandis facinoribus violavimus: et veniam invitati tua misericordia, et cōfisi pietate praestanti, et obligati fide, quam dedisti nunquam veniam peccatori in viam redeunti te denegaturum esse. Postremo veniam, ut ad verum medicum, et ad depulsorem

mor

morborem, et aegritudinum nostrarum, nō ad vitae, salutisque extinctorem. Itaque nostris cognitis, planeque perspectis malis a Daemone discedimus, spes reliquas saeculi persequi nolumus, et Fidei, quam violavimus, et Majestati, quā offendimus, satisfactum venimus. Ut prodigi filii domum patris mansuetissimi nos revertimur, tibi, tuisque mandatis parere sine cunctatione parati sumus. Tu nos tuis meritis ereptū ex Daemonis servitute venisti. Tu ad nostrorū onera peccatorum tuis humeris cōportāda, tu denique ad generis humani sobolem recōciliādam aeterno Patri de caelo descendisti, tuamque provinciam hanc esse duxisti quam honorificam, gloriosamque. Quae quidem a nobis in eam partem accepta sunt Christe Iesu, ut tua virtute, tuis meritis salutem amissam, dignitatēque recuperasse fateamur. Pollicemur autem in posterum semper ea, quae jucunda videantur esse non modo extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae, necessitati, quā fas erit, nos esse denegaturos.

SECUNDVM GENVS EX FINE  
multiplici, cum dissimilitudine.OBSECratio PECCATORIS AD  
Christum Iesum.

**I**gitur oro sanctissime Iesu, qui maxime vis, et potes, ut me in peccatum miserabiliter prolapsum respicias oculis tuis, illis inquam oculis pietatis, et misericordiae plenissimis, quibus solitus es ad tuam misericordiam confugiētes respicere: quibus veniam nulli non poscēti ex animo, atque voluntate dedisti. Quoniam me in caelorum regionem, in illas beatas sedes, divinaeque domicilia, ad gloriam sanctorum, ad aeterni Patris, tuumque aspectum perfruendum creavisti. Quoniam si veniam a te meorum scelerum non impetrave-

M m 3 ro,

ro, quo me vertam nescio, cujus auxilium, et opem implorē non video. Si in te pro me peccatore miserando flagris caesum, spinis coronatum, et in Crucem sublatum non intueor, quē intuebor? in quem aspiciam, qui opem effragitanti mihi, suspiranti, collacrymantique ferat? in brachia tua, in tuum sinum, in complexum brachiorum patentem, et apertum non me ire jubes? cur mihi non pateant fores misericordiae? cur non aperiatur janua lateris pro me patentis, et hastae diritate discissi? nō ea de causa te nudum, et de Cruce pēdēre ostēdis generi mortalium? Tua benignitate fretus opem effragito: tu qui potes, veniam da mitissime, mansuetissimeque Iesu, ut poenis inferorum liberatus in sedes caelorum, et in aeterna beatorum palatia conscendam.

TERTIVM OBSECRATIONIS GENUS  
ex antecedentibus, et consequentibus.

OBSECratio HISPALENSIVM  
ad divum Sebastianum.

**T**E denique, dive Sebastiane, magnopere quaeso, ut qualem te semper huic populo praebuisti, cum diversis temporibus pestilentia crudeliter hanc civitatem invasit, talem te et huic Senatui, et Cōsiliariis Regiis, et universo generi Hispalensium praebearis in posterum. Quanta multitudo hominum convenerit ad templum tuum, quae sit omnium in te mortaliū praestans, et admiranda religio, quae studia, quae supplicatio sacra solennisque in singulos annos publice constituta, vides. Ab hinc equidem annos multos in hac urbe pestis te deprecatore non fuit: nunc cum maxime timetur, et signa de caelo videntur homines observare, tu nos tuis precibus apud Deum immortalem, et in-

intercessione juvabis: ne, quod Deus omen avertat, deferri civitatem, fugere cives Hispalenses, et quaerere perfugia salutis, ubicunque locorum melius sibi fuerit, compellantur, et tanquam pestilentiae infecti contagione tanta aditu prohibeantur civitatum, et oppidorum, et vagi, et errantes, a patria exsules, et extorres vitam miseram, et aerumnosam agant. In te suae spes, suae civitatis salus posita, tibi dies festos sacros, atque solennes, cum ad hunc usque diem cum supplicationis pompa tam illustri, tamque splendida quotannis instauraverint, tum ejusdem patrocini causa nullum non annum instauraturos se esse pollicentur.

QVARTVM OBSECRATIONIS  
genus ab exemplis. Obsecratio peccatoris.

**R**RAVI, temere feci, poenitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro, si nemo non impetravit, qui precaretur ex animo: si omnes, qui vere, dolenterque obsecrarunt, tu idem fer opem, qui spem de Cruce attulisti maximam venientibus ad te, et ad tuum auxilium confugientibus. Possum obfides clementiae tuae, pignora mansuetudinis inauditae, Matthaeum publicanum, Petrum negantem, et cum iurando Majestatem tuam, Magdalenam ipsam, bonum Latronem, Saulum quondam unum hostem Christianorum acerrimum una voce de caelo missa ad te conversum, traductumque proponere. Novimus misericordiam tuam. Recordare fidem datam, gementem, et collacrumantem, petentemque suorum ex animo veniam flagitiorum non a tuis pedibus, vulneribusque repellendum hominem. Intuere Matrem, et tantae Virginis, quae suxisti, ubera, quae te par-

vulum lactentem, et virginalibus inhiantem uberibus pro genere mortalium precatur, et obsecrat. Quod vis jam malum nobis optatus est, quam a tua Majestate alienatio. Ipsi perferentur a nobis, et optabuntur potius inferorum sempiterni cruciatus, quam ut punctum temporis tuae Majestatis gratia caelesti careamus. Si vere, si ex animo, si cum dolore defectionem praeteritam sentimus, moveant te peccatoris hujusce lacrymae, moveat status praeteritae conditionis aerumnosus, moveat tua miranda pietas, et mors pro genere hominum oppetita. Valeat tua vox illa, quae innumerabiles homines a vitiorum pravitate revocavit. Te enim dixisse literis sacris commendatum est, omnes illos, quos peccatorum poenituerit suorum, quocumque tempore tuam implorantes misericordiam, in tuam amicitiam, et gratiam te recepturum esse. Vides ne igitur luctum, et squalorem meum? vides fordes, et lacrymas? vides ne me tuam opem, fidem, numen, et auxilium implorantem? Ignosce igitur mihi misero, calamitoseque plane homini, et januam tuae misericordiae pulsanti: ut quemadmodum caeteris, et mihi etiam in tua benignitate speranti fores pateant mansuetudinis, et inusitatae clementiae tuae.

#### QVINTVM OBSECRATIONIS GENUS ab exemplo, cum dissimilitudine.

**O**bsacro sanctissime Iesu, repete temporis illius memoriam, pone illum ante oculos diem, vultus hominum te intuentium, atque admirantium recordare. Quae gentium multitudo? qui comitatus? quae urbium, et oppidorum effusiones? quae tua ad multitudinem verba? quae tua illa pulchra percontatio? tua miseratio? tua virtus? cum misereri multitudinis defessae jam triduum sequendo te, tuamque divinam opem implorandum non destiteris, quoad famem expleveris cunctorum, miraculo panis, et piscium divinitus edito? At  
quan-

quanta multitudo discubuit? ad hominum quinque millia multitudo pervenit: neque in his pueri, non mulieres numerabantur. Non hic nos fame corporis, non sitim volumus depellere, utrunque usitatum panem, et aqua, communi mortaliu perfugio sedabimus, depellemusque: victum nostrum, et escam salutarem, atque divinam appetimus. Fame conficiatur corpus, siti prematur quacunque vehementi, quoquo modo toleremus vitam hanc caducam, atque perituram, dum te fontem perennem vitae sempiternae hauriamus, et cibum suavissimum, qui caelorum opes defert secum, et thesauros beatorum suppeditat, appetamus. Cum illum ceperimus, reficiemus vires, sumemus animos in hac peregrinatione, militiaeque nostra ad reliquum iter ex tuis praescriptionibus caste, sancteque conficiendum, et ob eam causam ad gratiam tuam in hoc saeculo conservandam, et in altero ad caelorum gloriam consequendam.

#### VLTIMVM OBSECRATIONIS GENUS ex enumeratione. Per repetitionem.

**C**um tot tantisque difficultatibus affictus populus in tuam opem atque misericordiam, populus inquam Christianus confugerit, cum adhuc ei propter multitudinem adversariorum non exitus facilis, non expedita itinera, non maria tuta esse videantur, cum in eos summam per nequitiam omnia gravissima, exitaliaque bella concitetur, te Deus optime maxime, teque Iesu Christe mitissime, qui ad dexteram Patris aeterni confides, orat atque obsecrat, ut multis injuriis jactatam, atque agitatam Religionem Christianam in his partibus remanere, et perseverare velis.

#### DE OBTESTATIONE.

**O**btestatio est, qua testem aliquem adhibemus, et adducimus ad instituti nostri confirmationem: sed per com-  
N n pel-



pellationem, Quae dumtaxat differt a precatatione, suo illo accri, vehementique dicendi genere, quo fervet, et ardens fertur orator.

PRIMUM OBTESTATIONIS GE-

nus ex fine, cum exemplis, in obtestatione concionatoris.

**Q**uamobrem, vos divi patrii, ac tutelares, qui huic civitati praesidetis, qui hanc urbem, gentemque Hispanensem, qui haec tecta, atque templa vestra ope auxilioque servatis, testor meis in concionibus, integro me animo, ac libero causam animorum tractasse, nullum a me sciente facinus occultatum, nullum scelus ab homine publice susceptum contra Majestatem divini Numinis praetermissum esse. Nihil de publicis ludis, nihil de perditis libidinosorum impunitatibus, nihil de furtis, latrociniisque comperi, nihil a divi, quod non protulerim in publicum, reprehenderim, atque adeo infectatus fuerim. Atque idem ego ille, qui vehemens in aliquos, acerbus in eosdem visus fui, satisfeci caritati, et officio, quod debebam. Omniaque, quaecumque a me verba facta sunt, officio, necessitatique concionandi debebantur. Tam hominibus amicus, quam qui amicissimi. In quo vehemens fuisse videbor, nihil feci nisi coactus, animorum saluti subveni, eosdem vitiis demersos e coeno emergendos curavi, miseris hominum, qui jecerunt in profundum sese, adductus. Gloriam caelorum amisissent multi, suis in peccatis consenescentes misere, nisi concionatorum vocibus, vi, atque robore divini verbi ad gratiam caelestem recuperandam excitati fuissent. Nunc in hac, quae ultima est hujusce quadragesimae, concione, ad eandem propulsandam peccatorum calamitatem supplex ad vos, O peccatores, confugio, ne vestris in sceleribus, et fragitiis inveterascere, atque adeo vos mori miserissimi, nequissimique peccatores patiamini. Nam ipsi quidem, si inveteraveritis, quae habebitis ornamenta, quae solatia reliquae vitae, quibus lactari, et perfrui vere valeatis? domus erit credo,

do aperta colluforibus, aperientur fores, patebunt palatia, cum his vos amicis oblectabitis: non hoc gaudium, non laetitiam appelletis, quae cum scrupulis multis, et acerrimis animorum moribus capitur: omnis haec futilis est, et effluit ludo praeterito laetitia. Omnia ludorum, libidinum, scelerum, et peccatorum omnium gaudia, voluptates unius mortis intervntu occiderunt. Sed ne extinctores divinae lucis, ne proditores, ne hostes Majestatis aeternae sitis, ne labes, et maculas Daemonis vestris animis iniustas relinquatis, id laboro, id volo. Hic vos orat Christ<sup>9</sup> Iesus, vestrum omnium causa virgis caesus et a Pilato cum spinis, et purpura deformi productus in publicum. Quid majus habet, quod testetur Christ<sup>9</sup> Iesus, quod ante oculos vestros obtestans constituat, quam cruciatus vestrum omnium causa toleratos? Non equidem de fortunis hujusce saeculi, sed de bonis beatorum immortalibus, non de corpore hoc foedo, atque misero, sed de animi salute, et incolumitate sempiterna, non de statu humanae felicitatis, de Regum hujusce saeculi gloria, sed de gloria nullis unquam temporum limitibus circumscribenda, vobis cōtētio suscipi debet, et haberi. Quid enim est homini ad beatorum sedes aspirati, quod est in hoc saeculo remoretur? aut quid est, quamobrem haec cuiquam vita videatur, quam non in gratia Dei immortalis egerit? Quot homines fuerunt in hoc saeculo, quibus nemo, neque honore, neque gratia, neque fortunis anteferebat sese, postea tamen spoliati omni dignitate, quae erepta fuit summo cum dedecore, summa cum ignominia? Quid reliquum fecit fortuna in tantis malis? Ut cum liberis, cum uxore, cum amicis lugerent suam calamitatem in perpetuum. Vos ipsos Reges Christianos, expletos bonis omnibus hujusce saeculi testamur. Si nihil aliud nisi vestrum omnium mortes, oblivionem, in quam venistis, hominum, nullam de vestra dignitate Regia memoriā, nullam mentionem, spoliationem regnorum, tot imperiorum, Regii diadematis, atque sceptri testaremur, tamen vestrum omnium explorata morte peccator a furore respiscere deberet. Nam cum haec omnia his Regibus, et principibus

potētissimis cū morte ablata sint, cū ex hōe saeculo misero, ac luctuoso omnibus nudati rebus excedant, quid est, quod nos expetamus aliquid? Fortunā Regiā horū hominū consequi vultis plenā sollicitudinē, ac miseriarum, in qua tanto cum cruciatu, atque dolore mortales vivunt libenter? eam Ermenegildi relinquunt retenta gratia divini Numinis. An vero vitam expectatis plenā lacrymarū, atque doloris, cuius fortunās amplissimas, si fueritis sapientes, contemnendo, fructus capietis maiores, quam a vide congerendo? O miseros, et infelices illos dies, quibus rerum omnium potiōdo, Deum nō colueritis. O caecam cupiditatem. O volucrem fortunam. O voluptates inanes. Quam cito illa omnia, quibuscunque bonis abundaverimus, sumus amissuri? Quam brevi ex laetitia, et voluptate ad luctus, et ad lacrymas perpetuas recidemus? Sed jam impediōr egomet, auditores, dolore animi, ne de hisce rebus plura dicam. Vestra res agitur. In virtute felicitatē sitam; et collocatam existimate: ne sceleribus, ac flagitiis pestem animis ultimā importetis, si vultis post vitae discessum in beatorum felicem numerum ascribi.

### SECUNDVM OBTESTATIONIS

genus ex enumeratione, in laudem Beati

Thomae Cantuariensis.

**N**on est mediocri scelere, non exigua perfidia caedes tāti Pontificis in ipso tēplo crudelissime facta. Parietes profecto ipsi, araeque, cum virum sanctissimum percuti viderūt commovisse se videntur, et orbitatem suam in illo casu acerbissimo deplorassee. Vos enim arae ipsae, atque altaria sanctissima, vos inquam imploro, atque obtestor. Vosque Virgini Mariae sacratae arae, Matri Iesu integerrimae, populi totius praecipua quadam religione cultae, quas illi satellites praecipites amentia, contempta, spretaque vestra sanctitate, nefario hoc scelere, sacrilegioque violarūt: vestra tunc vis, vestra religio sese cōmovere visa est, quā illi tāta crudelitate polluerant.

rant. Teque Christe Iesu ex tuo tabernaculo augustissimo cellissimoque: cuius illi aspectū, et Majestatem summā, praepotentemque non ex horruerunt. In tuis oculis, in tuo ore, conspectuque Majestatis, et Cellitatis inaudito splendore fulgentis, atque adeo ante sacrarium tantae Majestatis, quod est in ipso sacello maximo, sanctissimo, religiosissimoque templi principis ecclesiarum Cantuariensis oppidi, ante denique te ipsum, et ante tuam divinitatē ferro vulnerare caput sanctissimi Pontificis ausū fuerunt, et illud non imbuere solum sanguine, sed respersum cerebro templi ipsius sanctissimi totum funestare pavimētum? Te inquam appello, obtestorque Iesu sanctissime, quem aram ipsam, quem tabernaculum, quē sacrariū, quem sacellum, terraemotu plusquam terrifico nō de suis sedibus commovisse, mirum videri debuit: ut illi, qui mortem attulerunt Pontifici sanctissimo, deterrimam mortem in ipso sceleris ineundi puncto potius oppeterent, quā tam nefario crimine cōstringendi ad hanc afferendam necē in istud tempus, aut ad aeternam inferorum regionē aliquot annis post reservati viderentur. Nec enim non Daemon improbus hanc Regis satellitibus injecit amentiam, ut sine timore, sine observantia, sine cultu, sine religione, tanto cum strepitu, atque tumultu, cum furore, et amentia tanta sese patefacto aditu, patentibus januis inferrent, atque intruderēt, in tēplum, obliti ecclesiae sacratae, spoliati honorifica Christianorum mente, quam horum similes amittere solent animis obversantium imaginum aspectu perterriti, amentes, furiosique.

### TERTIVM OBTESTATIONIS Ge-

nus ex eadem enumeratione, cum exemplo-

rum frequentatione.

**N**unc ego te, Deus optime ac maxime, oro, precorque

cuius nutu, atque ditione caelum ipsum, terraeque infi-

N n 3 mae

mae, et omnia, quae creata sunt, gubernantur. Teque precor, Iesu sanctissime, Fili Patris aeterni, acerrime nostrae libertatis, et dignitatis Assertor. Teque appello, Virgo sanctissima, Parens tanti Domini integerrima. Vos imploro, reliqui caelites, qui aulam caelestem in palatiis immortalis Dei colitis constitutam, ut non solum nostras intueri, sed etiam tueri possitis res, quorum honorem, et gloriam caelestem omnibus afficere ornamentis cupimus. Teque beate Ildefonse, appello, quem vere hujus civitatis parentem omnes Toletani coluerunt. Cujus in templo, et a beata Leocadia, et a Matre Christi Iesu, Virgine Maria laudes tributas audivisti: cujusque velut ad tantae beneficentiae testificationem, et memoriam sempiternam gladio Regis ipsius abscidisti: quique te beatae Virginis Mariae defensorem, acerrimumque propugnatorē contra Vigildum verbis, et scripto tribuisti, proque tantae defensionis, et propugnationis beneficio sacram vestem a tanta Domina, Reginaque celsissima accepisti: te inquam oro, atque obtestor, ut ipsa sanctissima Trias nobis adesse velit, tuis, et reliquorum precibus sanctorum, atque communis hominum Parentis, Mariae integerrimae. Vos omnes oro, obtestorque iterum atque iterum, favete Toletanae ecclesiae, subvenite oppidanis, ferte opem Senatui, succurrite nobilitati. Misere mini omnis generis, ordinis, atque fortunae hominum, si praeteritis temporibus Toletanis auxilio fuistis, quod in urbe Principe Castellae novae praecipuam vestrum omnium memoriam fecimus. Si Ducibus fortissimis, quod a vestris templis innumerabiles hostium copias repulerunt, si denique suppliciter precantibus, quod vestris precibus pestem omnem depulsam, averfamque recognoverunt, nunquam non adfuistis: nunc in praesentibus periculis, et miseriis maximis divinum vestrum auxilium, et numen ostendite.

QUARTVM OBTESTATIONIS

genus ex frequentatione consequentium.

Sed




Ed jam tandem per Deum immortalem, auditores, consulite, ac providete vestris animis. Moneo, praedicoque id, quod debeo, tempus opportunissimum vobis hoc benignitate Dei datum esse, ut superbia, avaritia, libidine, iracundia, reliquis vitiorum sordibus animos vestros liberetis. Testor vos, vestrumque omnium conscientiam, quae morsus efficit acerrimos, quae angoribus infinitis dies noctesque cruciata, nulla quietis habet intervalla: si pacem habere vultis, si placatum, atque tranquillum animum. Nulla post hanc vitam, si decesseritis obstricti peccato capitali, poenitendi facultas, nulla misericordiae, nulla denique benignitatis spes relinquetur: perpetuis deflagrabit inferorum flammis, nisi ad vos redieritis. Atque ob hanc quidem causam Pater aeternus Filium suum in haec terrarum sola misit, ut nos suis meritis, atque virtute divinae Majestati reconciliaret.

QVINTVM OBTESTATIONIS GE-

nus ex enumeratione, cum effectis, et consequentibus, in Herodem.

(S)



Ed tuas Herodes, te enim jam in exitu orationis appello, tuas inquam suspiciones videamus. Si Puerum Iesum times, si hunc de tuo regno te ipsum deturbare velle metuis, aut nunc cogitare, aut moliturum aliquid aliquando putas, si trium Magorum itinera, si Regum adventum, si percotationes, si ingressum in urbem Hierosolymam, si aditum in tuum palatium, in oculos, conspectumque tuum, si Regis nomen, quod a Regibus Pueri tributum est bellissimo, quod eidem imperium Iudaeae, suarumque provinciarum deferre videatur, contra Herodis dignitatem armatum esse, atque illi potentiam intemum paratam, et intemum exhorres: magna in hoc Rege profecto

N n 4 vis

vis est, et incredibile robur, et non unius Herodis vires, atque opes illum, mihi crede, de medio tollét. Tu ipse mecú recognoscas. Hunc tu scis esse summum, praepotentemque, et a Iudaeae Vatibus accepisti potentiam ejusdem praedicatam, quae sane caelestis sit, atque divina. Simul etiam accepisti huic omnes generis humani partes aegras, et Adami vulnere sauciatas, ut eas sua virtute curaret, atque sanaret, ab aeterno Patre fuisse commissas. Quod si pueri Iesu nota tibi voluntas esset, profecto statim tibi eidé notum esset, neminem unquam Regem benigniorem fuisse, quam illum mortalibus, nullum se cruciatum pro libertate mortalium fugere, cum ipsa deterrima Daemonis peste ab incunabulis pro nostra dignitate contendere nunquam desinere, suum adventum ad salutem communem, quae nobis carissima semper fuit, Patris aeterni dono ac munere donatum, homines Filii tanti natalitiis erepiendos servitute Daemonis, adjuvandos in itinere caelorum non solum, sed erigendos, atque revocandos ad beatorum sedes, omnes illum velle amicissimos ex inimicissimis aeterno Patri reddere suo beneficio, suis natalitiis, reliquisque vitae suae meritis in mortalibus. Quae si nó fuisses assequutus, si tibi penitus infedisset abs te auferédi regni suspicio, nullo ut avelli modo, nulla suasionem posset, tamen ab hac suspicione Vatum responsa, a tanta perturbatione Iudaeorum expectatio, et a crudelitate sceleris Reges avocare debuissent. Vide, quam sit regnandi libido temeraria, atque effraenata, quam caeca, furensque dominatio, quantae infidelitates in Regibus, quam ad perniciem fictae simulationes, ut alienigenis Regibus ad adorandum Regem caelorum venientibus, hunc Regem domestici Principes excludant, ejiciant, atque adeo ad necem quaerant. Erit erit illud profecto tempus, et sine dubitatione veniet aliquando extrema dies, cum gravioribus addictus cruciatibus, et nulla unquam temporum longinquitate defuturis, et Iesu novi Regis mansuetudinem, et Regum Magorum fidem, et

Messiae

Messiae post tot saeculorum aetates desiderati beneficiam testaberis, et te non coluisse lugebis in perpetuum.

SEXTVM OBTESTATIONIS GENUS  
 nus ex effectis, per comparationem.

**D**icerem plura de misericordia, nisi qui recte factorum fructus esset, vos hodierno die expertos fuisse videré. Quem potestis recordari in vita huic homini illuxisse diem laetorem, quam cum efflato extremo halitu, audito ad funus hominis cymbalorum pulsu, hominibus cujuscunque ordinis dolore maximo affectis, pauperes domum illius se receperunt? Cujus generis, cujus conditionis pauperes laudé istius principis, et virtuté non summis laudibus sustulerunt in caelum? Recordamini, quaeso cives, clamores omniú pauperú, cum omnes beneficiorum memores, quae ab illo acceperát, horrendis, dissonisque vocibus non desistebant tanti hominis misericordiam testari. Hanc vos cives (magno loquor cú dolore) potuistis non lacrymantibus oculis tantam pietatem audire? Te jam vir amplissime, jam mortuum appello. Vnum hunc diem, quo pro foribus tuarum aediú tot pauperes fuerunt, non omnibus iis diebus, quibus Magnates hujusce saeculi a principibus civitatis frequentari domos suas vident, anteposuisses? quae fuerunt voces pauperum? quantus moeror, atque luctus? quanto tunc fletu personabat civitas? tunc se desertos, tunc derelictos, tunc vere pauperes sese, qui parentem pauperum amisissent, dicebát. Proximo, altero, tertio, reliquis consequutis diebus nunquam intermissa tuae commemoratio misericordiae. Atque ipse nunc fers fructum liberalitatis tuae, neque ullo unquam tempore ferre defines in caelorum sedibus permanente tuorum in his terris recte factorum ad omnem posteritaté memoria sempiterna.

O O DE

## DE METU.

**R**estat unus metus ex perturbationibus, quas tractandas suscepi. Metus est dolor ex malo impédenti susceptus: quod gravem molestiam, aut interitum afferat. Hujus perturbationis, quemadmodum praeteritarum exercitationes aliquot subjiciamus.

## PRIMA METVS INIICIENDI RATIO ex fine, efficienti, dissimili.

**Q**uae cum ita sint peccator, desine Deum offendere, discede aliquando a Daemone, patent fores misericordiae, ad Christum revertere. Nimium jam diu te peccantem tanto pere illa divina benignitas exspectavit. Nimium jam diu te invitavit ad suam gratiam, vehementer admodum desiderat: Exspue molestias omnes, et angores conscientiae, evome virus pestilentiae, purga animum: magnis cruciatibus liberabis, si modo ad te redire volueris. In hoc saeculo manere diutius non potes cum tanta mortalium offensione, cum publica tot animorum peste, cum tuo turpi exemplo, tuis audacibus factis, tanta cum impudentia, et intemperantissimis impuritatibus. Non feret te diu, non patietur, non sinet vivere Deus immortalis. Magna Patri aeterno habenda quidem gratia est, atque huic ipsius Patri Filio mansuetissimo, acerrimo nostrae libertatis Assertori, quod peccatum, tam tetram, tam horribilem, tamque infestam pestem sua virtute confecerit. Hæc tu toties ingratus, et impius non ejicies? non est saepius coluvione nostrorum scelerum provocanda divina Dei Majestas ad iracundiam. Qui benignitate abutitur, et aperta Christi Iesu mansuetudine, is vim divinae Iustitiae cum sua summa pernicie sentiet, et experietur aliquando: atque id temporis fortasse, cum homo minus opinabitur.

S E:

## SECUNDA METVS INIICIENDI RATIO ex comparatione, cum acclamatione.

**P**ro Deus immortalis. Iudam quisquam tot ab Assertore Iesu beneficiis acceptis in Dominum tantum peccatum esse putaret? Quis unquam Iuda audacior? quis nequior in Dominum visus est? non illum metuisse potestatem Domini, non exhoruisse Numen tantae Majestatis aspiciamus? quod ingenium? quae facultas dicendi? quae unquam excogitata ratio tantam, et tam scelestam prodicionem vituperare poterit? simul et illud, quis est, qui non praesagiret, quin hujus prodicionis scelere, conscientiaque oppressum aut repentina mors Iudam praecipitata esset, aut suis eandem mortem miseram, ac detestandam manibus ille sibi ascisceret. Videant, quid molantur, quo furiis ardentibus praecipites ferri queant, qui scelera in divinum Numen admiserint.

## TERTIA RATIO METVS INIICIENDI ex fine, et ex iis, quae antecesserunt, cum praeeccupatione, et exemplis.

**R**ECORDARE illum diem peccator improbe, quo obiturus es: pone ante oculos mortis conscientiae, timoresque maximos: confer cum tuis voluptatibus vera, plenissimaque beatorum gaudia: statue denique Iudicij extremi diem quoque illum formidandum, ipsumque tanti Domini Iudicium vehemens, atque severum: tum intelliges, quantum inter praesens, atque futurum saeculum intersit. Sed nimirum: ut caeci ipsi, quia capti

O 2 sunt

sunt oculis, istius caeli, quod aspiciamus, pulcritudinem non intuetur, sic peccator flagitiis, voluptatibus, libidinibus, huius saeculi inanitate caecatus verae gloriae dignitatem assequi non potest. Sed si te gloria allicere ad benefaciendum non potest, ne metus inferorum a foedissimis factis avocare poterit? inferorum sedes non metuis? si propter caecitatem mentis, pete sanam a Deo mentem: si propter intervalla temporis, cogita ad futurum aliquando diem, atque potestatem Deo immortalis esse, te miserum, cum voluerit, uno puncto temporis miserima morte cōficiēdi. Qui isto modo Dei iudicia non timet, quid huic timendum sit, non video. Quod si non metuis adhuc, et tempus tibi dandum, ut ad sanitatem redeas, arbitraris, cogita, quod te valentiores mediis in voluptatibus e vivis, cum minus putabant, ablati fuerunt. Nisi vero Deus syngrapham fecerit, et suam ille tibi fidem dederit, non prius te moriturum esse, quam deletis flagitiorum maculis ipse te divinae Majestati reconciliaveris. Fuit in aliis salus, ingenium, dignitas, opes, divitiae, aetas eadem, et juventutis flos, et non ullo morbo, quo daretur tempus expiandae conscientiae, sed repentino mortis interventu, nullo verbo facto, nullo salutis aeternae signo dato, animam exhalarunt: cum magis jucunde vivere viderentur, et suas ipsimet voluptates captare. Cū horum hominum vivendi brevitate vitam tuam conferre non poteris? itaque ex illis vulneribus, quae suis animis inusta fuerunt, hoc tantum boni disce, quod testatum nobis reliquerunt, quantum quisque vivere possit, quam parū suae valetudini confidere, quantum denique ab ipso Daemone cavere. Hoc igitur non cogitabis? non intelliges, si mentis particeps, quam sit incertum? quam miseriarum plenum? quantis malis expositum? quam denique ad inferorum ruinā patens, si in viribus ipsis, in hac naturae fragilitate spem aliquā posueris? An cū tot homines vitae spes frustrata fuerit, te ipsum non decipiet? vehementer posthac, mihi crede, ad virtutis studium incumbes, neque mortis tarditas expectabitur si

hoc

hoc cogitaveris. Respice quaeso tuum animum: quibus parentibus ortus sis, quam fragili natura praeditus, considera: cum immortalis Deo redi in gratiam. Atque de te tu ipse videris, ego de bono viro profitebor. Dedit hoc tempus sancte praeclareque vivendi Deus immortalis, non equidem vir bonus amittet. Paravit insidias Daemon, quantum in se erit, divino praesidio repellat, nullos laqueos non declinandos, dirumpendosque curabit. Quinetiam vitam ille libenter offeret, si representari morte sua incolumitas animi possit: ut aliquando sua diligentia, et auxilio caelesti pariat, quod ab ineunte pueritia comparare beatorum domicilium omni virtutis actione non desistit.

QVARTA RATIO EX CONSEQUENTIBUS, cum dialogismo, et dilemmate, per expositionem.

**Q**uid est aliud omnia ad animi interitum Daemoni arma te praebere, quam te in amittēdae gratiae divinae periculum objicere? quam non fugere sermones, et aspectum mulierum? non vitare domos, familiaritatem, congressum illorum, quos expertus fuisti maxime perniciosos, et infestos aliis temporibus semper fuisse adolescentibus? hoc qui non videt, excors, qui cum videt, in scelere perseverat, homicida sui ipsius est. Tu Daemonem ipsum, et furias inferorum congressu, sermonibus, occasionibus, atque ipsa quasi tui ipsius corporis devotione, carnis titillatione tuā in perniciem instrues? Nullae istae sunt excusationes, meus amicus est: sit animus prior. Meus propinquus est. An potest agnatio ulla prior esse, quam animi, in quo caelestis agnatio continetur? mihi non est in animo Deum offendere. Qui se hisce amicis parum honestis, qui denique mulieribus, quamquam sanguinis com-

O o 3 mu

munione cōiunctis admiscebit, parū animo suo cōsultat: quid autē agatur, quid evenite possit, si semel libidini fores aperiat, non facile erit huic providere postea, ut hae occasiones, ut haec pericula declinentur. Adducitur enim animus in apertum periculum, et Daemoni datur plane facultas in animum invadendi, caedis faciendae, bonorum animi, et omniū, quae sibi pepererat actionibus praeteritis ornamentorum fallacis, et fraude deterrima diripiendorum, atque adeo ipsius hominis intolerabili servitute premēdi. Hanc tu ne subeas miseram, et intolerandam omnibus modis, atque rationibus cavere debes.



## DEMONSTRATIONIS

### Liber Quintus

#### DE COMMORATIONE

#### VINT-VS LIBER

accessit huiusce nostrae Demonstrationis, Commoratiō, Expolitiō, et Communi Logo merito tribuendus: et a Commoratiōne, quae cum Expolitiōne plurimum agnatione conjungitur, instituendus. Atque Cōmoratiō in eorum Schematum genere versatur, quae rem amplificant mora facta, unde nomen accepit. Est enim Commoratiō, dum in eo, quod firmissimum est in totā oratione diutius permanemus: et eodem saepe redimus. Ut cū principem statum orationis, post orationis, et argumentationis partes, et capita inculcamus, vel aliquod firmissimum argumentum, quo princeps status maxime continetur, variis locis iteramus. Vnde alii ita definirunt Commoratiōnem, Cum rem eandem, aut alia facie ostendimus, aut per partes discutimus. Ut Cic. in oratione pro L. Flacco vitupe-

rat Graecorū perfidiam. Commorationis dilatādae aliquōt genera diversis ex locis constituamus.

COMMORATIO PRIMI GENE-  
ris ex fine, cum dissimili.

**T**V mihi, cum derelictus a tam illustri coetu propter tua scelera, et flagitia fueris, cum coegeris adolescentes optimos, et honestissimos quasi desperatis jam remediis omnibus, et nulla medicina reperta ad vim, ad manus, ad arma cōfugere, cū te omnes in celebrioribus locis nō filiū civis honestissimi, sed adolescentiae pestem, perniciemque vocaverint, cum apud omnes cives, scholasticorū, academiaeque nostrae famam tuis probris, et libidinibus violaveris, cum te ex manibus accensi, satellitumque suorum eripueris non semel, atque ex ipsius carceris custodia, vinculisque evolaveris, ibi, ubi es, et latitas, tibi p̄fugium speras futurum? Erras profecto, erras. Ut huc recideres, non ut alicubi conquiesceres, circuitiones, et ambages quaesivisti.

COMMORATIO SECUNDI GENE-  
ris ex eodem fine, cū praeoccupatione.

**N**equē ego nunc operam reprehendo tuam, et adhibitā tantopere contentionem in appetendo collegio tanto, in Collegio beati Bartholomaei omnium maximo, et omnium sine cōtroversia principe. Ut in illud ingrediaris, ut in numerum tantorum patrum ascribaris, non modo non reprehendo, sed laudo consiliū, prudētiamque tuam: quod cōstat honorem tibi cōparari tam incredibilem, et famam tuam ad aulam regiam alacrem, et erectā volitare, et hoc honore patē fieri tibi clarum, et illustrem aditum ad summum Regis Cōsiliū, ad dignitates Ecclesiae obtinendas. Quid igitur? tempus

p̄s reprehendo, modū in te, moderationemque requiro: qui vix absoluto curriculo, biennio post, vel nondum, quomodo tui amici dictitant, expleto, jam patrum tantorum velis insignibus ornari. Etenim quis te tum audiret scholasticorū? aut quid diceret? Petrum ne fere imberbē collegam? respuerent aures. Et collegam maximum? Nemo agnosceret. An de collegio vetustissimo? Omnes grandiolem aetatem desiderarent. Noli putare Francisce huic aetati tuae, et studiorum non amplius septem annis, qui cum jurisperitiae curriculo numerantur, deferri tantam, tam gravem, tam honorificam dignitatem.

COMMORATIO TERTII GENE-  
ris ex fine, cum similitudine, et enumeratione, addito dilemmate, cum conduplicatione, et interrogatione.

**V**id autem agebat Ermenegildus, nisi ne delere, et extinguere Religionem in Hispania funditus velles Leuvigilde? cum te neque Pōtifices Romani mortalium congressu prohibendo, neque Leander ad te Pontifex Hispalensis scribendo, neque reliqua multitudo bonorum Christianorum veram Fidem colendo ab Arrianorum execranda, detestabilique secta dimovere potuerit? tum illud bellum multis ante nefariis sceleribus admisis crudeliter a te susceptum delectu per omnes urbes, et populos habito, quorū liberatus fuit nemo. Tum contra filium populi, civitatesque tuae militum multitudinem dederunt. Tu tu inquam Leuvigilde princeps Arrii sectatoribus fidem abolere cupientibus causam sui furoris contra Religionem alēdi dedisti? Quid enim aliud Arrius agebat? quā facem dementissimae suae sectae, et odii in Christianos praeferebat? nisi quod Rex Leuvigildus sibi faveret?

P p suam



suam sectam amplecteretur? ille Arrii defendendi causa filium exitiali bello persequeretur? Viden, quā ista detestabilia? quā impia sint? praesertim cum omnino tam justam causam filio fuisse neminem fugiat contra patrem fidem extinguere volentem necessaria arma capiendi? Quid crudelius Leuwigildo? tibi certe confitendum est causam aendae haereseos Arrianae his in Hispaniarum sedibus in persona tua constitisse. O miserum te, si non intelligis: miseriorem si intelligis, hoc annalibus Hispaniarum prodi, hoc posteritati commendari, hujus rei neque aeternitatem saeculorum omnium unquam oblituram fuisse, Patrem Leuwigildū filio Ermenegildo inimicum fuisse, bellum intulisse nefarium, atque omni crudelitate imbutum, ab eodem captum, et in carcerem coniectum fuisse, missos ad illum de sententia dimovendum multos Arrianae haereseos fautores, et inter hos nescio quē pontificē Arrianum, Leandrum sua dignitate dejectum, missum in exilium, et cum hoc Pontifice viros alios, Pontificesque relegatos, qui cum Leandro fidem retinere, et se contra Arrianos furores opponere potuissent, uno denique verbo Christianā fidem a te ipso Leuwigildo oppugnatam, et omnibus modis, hostili profecto more de multis ejectā, exterminatāque locis. Ut igitur in igne est causa vastationis, et interitus ultimi rerum plurimarū, in quas incurrit, sic Arrianae sectae altor, et educator, nostrae Fidei pernicies, et teterrima lues fuit Leuwigildus. Dolebant Hispalenses Ermenegildum interfectum fuisse? interfecit Leuwigildus. Desiderabant pastorem suum, et parentem Leandrum? eum Hispalensibus eripuit Leuwigildus. Auctoritas sacrae Religionis in his locis afflicta erat? eam affixit Leuwigildus. Omnia, quae Hispalenses postea viderūt, quid autem mali non viderūt, si recte ratiocinabimur, uni referent accepta Leuwigildo. Ut qui fovet ignem, et materiam subministrat ad flammam ardorem, ignē efficit, et alit flammam, sic iste Leuwigildus causa conservandae sectae Arrianorum, causa nostri mali, atque exitii fuit.


COM-

COMMORATIO QUARTI GENERIS ex eodem fine, sed figuris aliis, cum frequentatione effectorum.

**Q**uae fuit igitur causa, cur omnis cohors scholasticorū de peristylio, quemadmodum tu fateris, in plateā concurrerit? tu enim neque verbo, cum ad interrogata responderis, neque de scripto causam tantae effusionis ostendis ullam? Circūdatum te ab aliis, injuriam tibi factam, impactos colaphos, manus allatas fuisse, fugiēdi in aedes proximas tibi necessitatem impositam dicis, causam hujus tumultus occultas. Si quod scholastici damnum suo nomine, ac non impulsu tuo, et tua pravitate fecissent, de te nō questū equidem, neque tuum nomen ad praeceptorem delatū venissent. Cum igitur quae causa illius seditionis fuerit, testes ab illis producti fuerint, ipse celaris, nonne pravitatem tuam tum illorum concursus, tum tua taciturnitas confirmat?

COMMORATIO QUINTI GENERIS ex enumeratione, per interrogationem, et repetitionem.

(S)



**C**ur igitur si Petrus venit in scholas, nullos progressus faciet in litteris? cur si frequens est in gymnasio, stipes videtur, et trucus esse? cur inter suos si quotidie sedet, nullum verbum de re litteraria faciet? cur tam ineptus in exitu totius anni erit, aequae quidem, ut dicitis, atque in introitu? Si nunquam abest, si audit diligenter, si excipit studiosae, si laborat dies, noctesque, si denique illo frequentior neque fuit, neque est quisquā? cur nō profuisset? Est hoc

primum, et ex vi studiorum, et ex cōsuetudine, communiquē experientia gravissimum, firmissimumque argumentū: quod ego pluribus verbis amplecterer, si non haec mihi luce meridiana clariora, et illustriora testimonia viderentur. Necessē quidem est, magno praesertim si ingenio ille fuerit, ut omnium scholasticorum maximus ille, praestantissimusque sit.

## COMMORATIO SEXTI GENERIS,

Ex enumeratione, cum dissolutis, repetitione, interrogatione.

**N**VM ne illud cogitas tibi cū Daemone nequissimo, et ad fallēdū paratissimo futurū esse certamē? qui cū modo decertādū, modo cū suis satellitibus cōtēdēdū sit? Cujus sanctissimi viri furorem ita cōpresserūt, ut tamen aliquando cōgressum pertimescerent: ita sese eidem opposuerūt, ut in Deo suas spes collocatas haberent potius, quam se quidquam putarent posse viribus humanis efficere: nunquam vero nō occasiones ad peccandum patentes, nunquā non mulierū oculos, aspectumque fugerēt, saepe virorum celebritatem, concursumque vitarent. Nonnunquam Daemon improbus viros sanctissimos suis oppressit technis, aliquando oppugnavit machinationibus, atque tandem sua veteri perfidia pervertere cum conatus esset, nonnullos incursionibus aliis, et aliis infirmare potuit, de suaque constantia dejicere. Novērunt sanctitate praestantes viri petitiones, rationesque Daemonis, saepe eidem, saepe diversis modis se viderunt a Daemone appetitos fuisse. Ita contra multos Daemon ipse pugnavit, quanvis fuissent in virtutis exercitatione veterani, ut aliquod suae castitatis periculum subirent. Alios vero quemadmodum idem hostis eluserit, quam omni ratione jactaverit, audivisse, vel legisse malui, quā experiri, qui mihi meae sum conscius imbecillitatis. Quoties ille militibus veteranis insidias paravit? quoties animos ita vehementer tentavit,

ut

ut nescirent, incidissent in peccatum, nec ne: assensos se fuisse Daemone, vel retinuisse constantiam dijudicare non audent. Qui sibi tum scrupuli? quae sollicitudo? qui morsus conscientiae, Deus immortalis, fuerunt hominibus minime malis, dum verentur propter vim magnitudinemque contētio- nis aliquā se culpam contraxisse? quid, cum formam, et figuram boni viri sumserit, et in speciem Angeli alicujus visendum, spectandumque praebuerit sese aliquando, ut nos fallat, et decipiat simulatione sanctitatis? Quid cum dies noctesque mentem obsidere, nullas non occasiones observare, omne tēpus aucupari non destiterit? Quid cum corporis illecebras, titillationes carnis, suavitates, atque blanditias omnes commovere, et ipsam obruere mentem concursu turpissimarum cogitationum, atque bellum semper omni diritate deterrimū inferre non desierit? poteris ne, nisi in Deo spem habueris, nisi ad illum in his praeliis confugeris, tot impetus, et incursiones hostiles sustinere salva et integra conscientia, sine malo, sine offensione, nullo peccato, neque injuria divino Numini illata? poteris ne ejus belluae subire crudelitatem? Vide modo, etiam atque etiam cōsidera. Bonis enim viris videtur periculum fore, ne Daemō non modo sua calliditate te premat, sed assiduitate praeliandi, tā assidua vehementique defatigatione superet incursionū, ut aliquos ab instituto suo, servien- dique Deo constantissima mente deduxit aliquando.

COMMORATIO SEPTIMI GENERIS  
ris ex dissimili.

**C**VM vero fidem, ac religionem juriurandi homini doctiori addicere scholastice debuisses, eandem adversario minus docto obligabis accepta pecunia? Deum aspernaberis, et cathedram doctiori tolles? et suffragium ferēs, cui volēs? et ei, cui immerito suffragatus non es? non pecuniam solum, sed honorem auferēs? quē mihi tu filium academiae? quē alum-

PP 3 num

num? quem unquam istud bonum scholasticum, ac non hoste potius fecisse audivimus? aut vidimus? Ita ne iusiurandi fide violes? et doctore sapientiore, et academiam, et Deum immortalem offendas? bonos praeceptores, qui academiae lucem afferunt, nota perjurii ableges? ex academiaque ejicias? ipse solus uno suffragio hominem minus doctum, a quo pecuniam acceperis, in cathedra colloques? atque adeo non debitum honorem tribuas? Hunc adolescentem de scholasticorum numero habeamus? hic academiam parietem suam appellabit? hic iterum de suffragio ferendo jus habebit? huic alterius cathedrae deferendae potestas concedetur? is equidem non modo nullo jure, sed procul dubio summa injuria suffragium feret. Quid enim horum, quae praediximus, negat se non fecisse?

COMMORATIO OCTAVI GENERIS  
ex comparatione, cum communicatione, et subjectione.

**S**I de tuis equis ageretur vir bone, si in uno mancipio captionis aliquid verere, non statim ad tuum advocatum, aut ad eorum aliquem, qui consuluntur, adisses? cum jus amicitiae, gratiae, societatis divinae ageretur, cum animi rationem, atque caelorum duci conveniret, eo tempore tu non modo concionatorem aliquem, aut theologum doctum, sed ne ipse quidem te consuluisti? Nec haec quidem tecum loquutus? venditio fit a me mercium quotidie, ad merces meas emendas venit per omnes dies, quidnam fallo homines pro bonis fallaces atque fucosas vendendo merces? profecto si haec tecum duo verba fecisses, quid ago, respirasset cupiditas, et avaritia paululum aliquid loci consilio, et rationi dedisset, tu te collegisses, non in eam turpitudinem venisses, ut hoc tibi esset apud omnes homines confitendum, quoniam pecunias iniquo modo abstulisti, manifesto te furto teneri. Ego te nunc

COM-

consulo post tempus multum in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, facere debuisti: quid ais? non adis doctissimos, sapientissimosque viros? atque cum illis sic agis? Quaero, a vobis viri theologi, in venditione quidam proximos suos fraudavit, quibus cum venditio rerum diversarum, numeratio, et solutio nummorum frequens intercessit, video a me damnum factum fuisse, furta multa facta, et maxima, an cum vivant illi, superstites sint uxores, et viri, et famuli, qui de mea taberna infitoria decepti excesserunt, mortem potius expectem, quam restituam? quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? profecto si recte legum, et conscientiae pondera examinavi, non multum me fecellit, si consulamini, quid sitis responsuri, primo me recordari oportere, quos fecerim, deinde quantum nummorum diversis temporibus abstulisse visus fuerim, cogitare, repetere saepius memoria, conferre cum meis libris, et summam, si fieri possit, facere, ad nummum deducere, et statim restituere, si peccati gravitate solvi velim: qui neque donari veniam peccati sine restitutione ablatae, retentae ve rei invito domino videam. Sic intelligi potest, quam multa sint, quae respondeatis, ante fieri oportere, quam punctum temporis, ne dicam mortis expectem. Quid ad haec vir bone? rides scilicet nostrum sermonem, qui in vita tua rationem summi officii desideremus, et leges humanas, ac divinas requiramus: viderint, inquis, ista officia boni viri, de me autem ita considerent, non quid abstulerim, neque quibus rationibus habuerim, sed ne meum honorem, neque existimationem amittam.

COMMORATIO NONI GENERIS  
ex subjectione, per dialogismum.

**V**idete ut dum expedire se vult, induat. Paedagogum dedit fratri suo. Quem? rhetorem aliquem, aut poetam? non quem? dialecticum aliquem? aut praestantem philosophum, atque singularem? ne id quidem. An theologum, in quo


P p 4 ali-

aliquis splendor, auctoritasque esset? minime. Quid igitur honestum aliquem, atque probatum senem, cuius canos, et rugas vereretur? nescio hos: quendam de domo sua famulum ab illo datum fuisse constat, qui puerum deduceret in scholas, et cum tempus esset, domum reduceret. Cui hoc probari potest? Cum esses civitatis tuae vir nobilissimus, amplissima familia, maximis divitiis, cum praeterea frater tota urbe a parentibus accepto patrimonio copioso, in ore, in oculis hominum versaretur, illum a famulo deduci sine honore, et vulgato more mediocrium, aut hominum non divitum, quis hoc probabit? An ipse famulum domesticum maluisti, ut non magnos sumtus faceres? cedo, cum is scholasticus fieret, et diebus festis equitaret, paedagogus augebat sumtus? et eos imminuebant equi? Omnium tabularum rationes, quas de fratris tutela confecisti, profer, explica: si sumtum aliquem magis bonum, magis legitimum, atque necessarium in tabulis inveneris, ego hoc tibi, quemadmodum te consilium cepisse dicis, ita recte gestum esse concedam. At credo, quia bonus frater, hoc tibi difficillimum esse putasti, ut eligeres ex paedagogorum numero, ex bonorum, ex doctorum copia, quem optimum, et praestantissimum dares, quem deligeres. Id non fecisti. Quis lateri fratris adhaeret? aliquis splendidus, et ornatus? cognatus aliquis, aut agnatus valde idoneus, ut propter humanitatem, et elegantiam fraterculus ab omnium, qui occurrerent, hominum genere splendidissimorum, valdeque florentium in civitate honoraretur, et fratre tanto dignissimum, et opibus, ac divitiis spectatum praeberet sese? nihil horum. Quaero, an fortasse tum frater non rationem hominis, sed commoditatem suae domus sequutus fueris? Nescio. omnium famulorum infimus fratri datus est, atque contemptissimus.

## COMMORATIO DECIMI

generis ex adjunctis in  
Iudam.

Quod



Quod est huiusce proditoris generis? quae sceleris magnitudo? quae crudelitas? praecceptorem tuum, et magistrum, parentem maximum, atque caelestem, Dominum gentium, nationumque cunctarum quisquam suorum discipulorum tam ingratus, et impius, in ore suo, suis in oculis, simulatione osculi, quod signum pacis esse solet, tanta cum impudentia oculorum, tam inaudita, et immani crudelitate, tam projecta, et effraenata audacia hostibus, et crudelissime tanti Agni vitam, et sanguinem sitientibus prodere ausus es?

COMMORATIO UNDECIMI GENERIS  
cum repetitione, dissolutione, per  
enumerationem.

Liceat adhortari, auditores, hanc multitudinem, florem ipsam nobilitatis, mulieres omnes, nuptas, et virgines. Liceat ad hanc circumfusam coronam de virginibus pauca dicere, laudare castitatem, pulcritudinem illius ostendere, tantam venustatem, atque excellentiam non in animis solum, sed in oculis, conspectuque cunctorum explicatam exponere. Liceat dicere de praemiis, de laurea virginitati proposita, de amore Christi Iesu in virgines incredibili. Liceat proponere virginum coetus integerrimos fertis redimitos virginitatis, in albenti veste nitentes omnes, palmas proferre virentes, nullo unquam tempore suam viriditatem amissuras, odorem, quem omnes afflant, suavissimum. Liceat denique duo lumina proferre virginitatis, Matrem, et Filium, Virginem sanctissimam, et Christum Iesum. Hos cum videritis, cum mentis oculis complexi fueritis, ardebitis procul dubio virginitatis amore caelesti.

COMMORATIO DODECIMI  
generis cum repetitione, de B. Hyacintho.

Q9

Te-

**T**ecum o Hyacinthe princeps terrarum Roma, tecum regnum Samothraciae, tecum patria Polonia, tecum Lusitania, tecum universa Hispania, tecum terrarum omnia loca, caelum ipsum, cuncta maria, omnia, quae supra Lunam sunt, gestire diebus hisce tuarum sacrarum, solenniumque feriarum videntur, et ad illarum gloriosam celebritatem laetantes, et quasi gratulantes res omnes adesse.

COMMORATIO ULTIMI GENERIS  
per interrogationem, et comparisonem  
in causa S. Barbarae contra  
patrem.

**Q**uæro ex auditoribus, nunquis pater post homines natos filiam suam accusaverit? nunquis ream fecerit? nunquis in tribunal iudicum adduxerit? nunquis se carnificem præbuerit? nunquis gladium ad vitam adimendam obtulerit? unum in locum cum hostibus Fidei Christianae, cum ipsis satellitibus, et administris Praefecti occidenda filiae causa venerit? num animum habuerit ad spectandam mortem? num sumserit manu sua gladium? num denique, in ore, in oculis omnium deficiente carnifice carnificis officium fecerit? num carnifici pater aliquis carnificis officium praeripuerit? num tanta quis crudelitate fuerit, ut nudatis brachiis, intenta manu vibrans gladium, et omnibus ostentans spectantibus, atque adeo filiae sanctissimae, integerrimaeque; virgini, non dicam in bona quidem causa, in causa Fidei, et Religionis Christianae, contra jus omne divinum, et humanum laetus, et exultans caput appetierit, invaserit, atque a cervicibus ipsis summa feritate praeciderit? Quid dicam amplius?

DE EXPOLITIONE.

**N**escio quid habet affinitatis expolitio cum commoratione, ut plane ex eisdem argumentis confici possit, eisdem

eisdem illustrata schematibus. Nam constat inter omnes rem expoliri mirum in modum commoratione, et tantum unam ab altera petere, ut prope multis in exercitationibus eadem videatur. Hoc autem differre maxime expolitionem, velle, intelligant eloquentiae studiosi a commoratione, quod commoratio non tam late pateat, atque universe queat sese effundere, in expolitione nihil non hoc genere cum loco communi communicationis habente, omnia tractari queant fuse, copioseque. De qua cum multae tradantur formae, illaeque variae petantur ex Ciceronis orationibus, tum illa longior est expolitio, quae septem partibus constat, unde reliquae proficisci videntur, propositione scilicet, redditione, vel morali sententia, contrariis, vel repugnantibus, compari, vel similitudine, auctoritate, et conclusione. Inde satis notum est, vel expolitus nomine, quemadmodum definiri queat in hunc modum. Expolitio est, quae rem aliquam expolit, et illustrat. Atque illa potissimum in confirmatione, refutatione, atque in omni amplificandi laude dominatur.

EXPOLITIO PRIMI GENERIS  
ex septem partibus, propositione, ratione, redditione, contrario, simili, exemplis, testimoniis.

**Q**UONIAM enim concionatores, qui hominum vitia officio suo, et instituto veteri, Dei optimi, ac maximi honore, et animorum semper communi utilitate ducti reprehendunt, cavere debent, non solum quid officii in Ecclesia faciant, sed etiam quantum in omnem vitam negotii suscipere constituerint. Legem enim sibi ipsis indicunt sanctitatis, innocentiae, religionis, virtutumque omnium, qui vitam aliorum, moresque coarguunt, et eo magis, si istud faciunt

officium instituto, religiosaque disciplina ducti. Nā qui hoc munus in Ecclesia praestat, ut homines in viam caelorum dirigat, et a vitiorum pravitate deterreat, quem is fructum afferet, si cum doctrina mores illius, et vitam congruere mortales non aspexerint. Quapropter hoc etiam magis ab omnibus eiusmodi concionator laudandus est, atque praedicandus: qui non solum pestem a civitate depellit, verumetiam seipsum eiusmodi fore profitetur, ac praestat, ut sibi non modo communi bonorum more Christianorum, sed ut quadā sacra, ac rigida perfectionis absolutae ratione recte sit, honesteque vivendum. Vt enim fons, unde rivuli profluunt, ac derivantur reliqui crystallinis aquis manantes, non solum plus habet aquae, sed etiam magis perlucidus est, atque nitet, splendetque per se semper cādore, et munditia sua, omni crystallo, vitroque clarior: ita concionatores, a quibus tanquam a fonte deducuntur, et derivantur aquae caelestes ad animorum irriganda sata, et hortos divinis plantis, et oleribus confitos, nullis fordibus infecti, vitae exemplo, morū integritate, sanctitatis absolute, cuicumque generi hominum antecellēt. Ita hoc cum ex discipulis Christi Iesu fuerit acceptum, tum ex Dominicis, Franciscis, reliquisque sacrarum familiarum Antesignanis, qui suos alumnos semper praemonuerunt, vitam suam mortalium omnium oculis observari. Atque illi ipsi maximis praesidiis virtutis, sanctitatisque muniti semper in hac cura versabantur, ut ex suis concionibus majores Christianae Religioni fructus attulissent. Quo minus etiam percipitur illorum utilitas, et lucrum animorum, qui ad hoc officium, gloriae potius, quam animorum cupiditate descendunt. Qui in hos fructus animorum, vitaeque severiorem rationem sibi propositam non intuentur, liberior est eorum, et solutior vitae ratio: illi vero, qui Dei immortalis, et animorum gratia munus istud concionandi susceperunt, et quid eos facere, et quam sancte vivere oporteat, mente complectuntur, non conquiescunt, nisi cupiditates suas omni ratione tenuerint

rint, et omnem sibi met praeciderint licentiam, libertatemque vivendi, et illam Apostolorum rigidam, ac severam disciplinam imitari studuerint. Atque eo concionatores plus oneris habent, quam qui alios imbuendos suis praecipis privatim acceperunt: hoc etiam ipsi quidem amplius susceperunt, quam caeteri, qui paedagogi, aut praecipitores privati deliguntur: quod his demandatur officium, et cura paucorum, aut unius solum adolescentis instituendi. Alumnū paedagogus habet liberum atque solutum, modestiae praecipia potissimum uni tradenda sunt, ut a praecipitoribus eadem suis discipulis inculcanda. Impuros, turpes scholasticos vident praecipitores, danda opera est, ut libidinum stirpes funditus evellantur, et hi ad castitatem, honestatemque traducantur: ne ullum appareat opera praecipitoris, atque institutione vestigium in adolescente libidinis. Idem praecipitores parum amantem pietatis viderunt aliquem, aut humanitatis, elaborandum est, ut pietatem imbibant, et colant humanitatem adolescentes. Omnia postremo, quae animadvertentur in discipulis, vitia paedagogis, aut praecipitoribus ex discipulorum animis evellenda sunt. Quid igitur de concionatoribus? Concionatores, cum agant cum omni genere hominum, omnia vitia, quae possunt in hominibus perditis, nefariisque inveniri, reprehendunt, nullū praetereundo genus superbiae, libidinis, avaritiae, irae, invidiae, crudelitatis, furti, rapinarū, quod ab illis non reprehendendum sit, objurgandamque vehementer. Quibus si non caruerint vitiis omnibus, quomodo virtutes omnes vitiis contrarias in hominum animis inferent? et nisi participes virtutum omnium de virtutibus cum animorum utilitate loquentur?

EXPOLITIO SECVNDI GENERALIS  
 ris ex causis.

**A**N vos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis praemiis virtutis, tanta abundantia deliciarum caelestium

tanta gloria, tanto honore beatorum, tam sint pauci, semperque fuerint, qui perfectionis itinere contendant? Omittendae sunt omnes voluptates, reprimendae carnis appetitiones, coercendae, domandaeque cupiditates, nuntius remittendus saeculo, bellum semper cum Daemone gerendum, et cum illius sociis, et comitibus infestissimis mundo, et carne spurcissima, nequissimaque.

### EXPOLITIO TERTII GENERIS,

ex fine multiplici proposito.



Is ego rebus gaudeo, his delector, his sustentor. Hoc mihi ad virtutem colendam, retinendamque propono: quod de bonis viris, et egregius Deus optimus ac maximus curam habeat, non secus, ac de suis Magnatibus. Quod illos Virgo sanctissima, quod Christus Iesus, quod omnes angelici caelestes ament: quod nullus caelestis Heros, nemo denique est, qui in aula beatorum sedem habet, qui bonos non caros habeat, non socios futuros expectet, atque adeo quotidie videre non cupiat. Haec ego semper de bonis viris, summaque virtute praeditis cogito, haec mecum repeto, haec denique in animo conservo ad virtutem alacriter persequendam, et ad extremum usque vitae spiritum conservandam.

### EXPOLITIO QUARTI GENERIS

ris per praecupationem, ex  
efficienti.

**A**T illi ea difficultate adolescentis optimi conatus, et impetus ad litteras factos retardare voluerunt, ignari, quid dignitas litterarum, quid honores, quid gloria studiorum, quid denique praemia valerent: quae in omni

loco litteratis proposita sunt, et decus litterarum comitantur, illaeque splendent per se semper, atque in hominibus repertae, a principibus, et ipsis Regibus requiruntur: neque satis unquam pro sua dignitate debitis praemiis affectae ulli generi mortalium videntur.

### EXPOLITIO QUINTI GENERIS

ex contentione minorum, praecedente

dilemmate, cum exclamatione,

varietate verbi.

(S)

**P**RO Deum immortalem. Hoc aut innocens scholasticus perpeti potuisset? aut quavis nocens, qui huiusmodi crimina in gymnasio vindicari putaret, non aliqua se simulatione existimationi discipulorum vindicasset? quid est hoc? sermones jactantur in vulgus, quaestio habetur de absentia, de criminibus tuis, tu taces, et quiescis? non te commoves? non excitas? non perscrutaris, quid de te dictum sit? quid delatum? unde hoc natum? quemadmodum perlatum sit? Siquis tibi ad aurem accessisset, et dixisset, servum patris ad praecceptorem de te detulisse, te tua culpa tot dies abfuisse, commoveri oporteret te, adire praecceptorem, nec te ab illo ante acciri, quam tu praecceptoris tuo satisfecisses. Cum vero in academia celeberrima, gymnasiis omnibus, sermones de te contrarios haberi scires, tu unquam plagam ita tacitus accipere potuisses, nisi hoc statuisses, in re jam manifesta quidquid dixisses, te deterius tibi malum esse allaturum? alienos scholasticos, suos etiam condiscipulos boni adolescentes missos fecerunt, et eos de sua societate decedere saepe jusserunt, quod eorum culpa se minus bene apud alios audire arbitrareretur, aut se ipsos deesse rebus litterariis minimum malum illi judicaret: tu adolescens plane liberos, ac solutos, audaces, contumaces, perditos, flagitiosos, qui non modo jus litterarium, sed neque animos inte-

gros, et corpora conservant, eos in tanto tuo dedecore non profecto neque verbis lenioribus, neque aliqua simulatione retinisses, neque apud te tanti contaminata societas scholasticorum fuisset, ut tuae famae periculum, ut ab scholis relegationem non extimesceres, nisi fraudes tuas tam notas esse omnibus, et tam manifestas videres.

### EXPOLITIO SEXTI GENERIS

ex comparatione minorum, cum enumeratione, per interrogationem.



Vodsi Cicero non princeps eloquentiae fuisset omni tempore, neque quisquam ad illum comparandus: tamen ad elegantiam, et candorem sermonis is erat deligendus, atque praemantibus habendus. Nunc cum ad caeteras summas utilitates a nobis commemoratas haec quoque oportunitas adjungatur, ut in ipsis argumentis adsit, ut habeat copiam, ut ab ipso orationis, quam servat, dispositionem possimus accipere, quid exspectamus: aut cur non ducibus aliis eloquentiae peritissimis praeceptoribus eidem, cui omnia decora, et ornamenta eloquentiae debentur, nostram quoque operam, et assiduitatem praebemus?

### EXPOLITIO SEPTIMI GENERIS,

ab exemplis, et privantibus, per interrogationem, cum correctione.

Vae enim gens antea unquam fuit, non dico Persarum, qui satis ample cultu, et elegantia florere visi sunt: non Macedonum, qui permultum officiis omnibus, et civili munditia semper praestiterunt: non politissimi generis Atheniensium, apud quos omni tempore politioris elegantiae mores, et ritus omnes officiorum regnarunt, praecipueque domi

minati sunt: quod oppidum unquam tam tenue? quod tam humile fuit? quod non partem aliquam leporis, et communis humanitatis retinere videretur? At hercule multis aetatibus, et saeculis ante istud tempus ille populus Romae usque ad Syllae memoriam suavitate, et elegantia omnium linguarum ac sermonibus celebratus postea magna, ac multo maxima parte non modo politioris elegantiae, sed morum, et humanitatis usitatae carere dictus est. Romani, quorum singularis humanitas, mores suavissimi, mansuetudo summa reliquarum gentium mores, urbanitatemque superavit, omnibus officiis Athenienses, unde humanitas ad alias gentes profluxisse dicebatur, homines in omni elegantiore cultu praestantissimos, politissimosque vicerunt: non jam nulla in re gentibus longe inferioribus pares esse videbuntur. Romani, qui antea non modo finitimas provincias humanitate sua retinebant, sed hostes ipsos disjunctissimis in locis tantae virtutis magnitudine devinctos, et obstrictos habere potuerunt? Quibus tunc cum Cilicia tam procul ab arbe Roma mari longissimo disjuncta, quo praedones innumerabiles, atque omnis barbaries cum immanitate, diritateque sua sese receperat, domestica crudelitate laborans Imperatorum mansuetudine, et urbanitate sese dedit, non jam cultum omnem, et praestantiam elegantiae propter Syllae crudelitatem exsuisse videbuntur?

### EXPOLITIO OCTAVI GENERIS

ex comparatione majorum, cum incrementum.

Monstrum quidem est istud, et portentum, et prodigium detestabile. Profundere semel vitam cum sanguine melius est cuiquam homini Christiano, aut procul illum exterminari in disjunctissima terrarum loca, unde nec Lutheranicorum crudelitatem audiat, nec aras everfas, nec disiecta templa videat, quam tantam suis in sedibus haereticam dominantem,



et regnantem intra civitatum moenia videre. Optatissimum est aliquem mori pro Fide Christiana: praestantissimum, nullam non perferre tormentorum diritatem pro Religionis veritate tuenda: maximum, neque punctum, temporis, si quis possit, a defendenda religione Christi Iesu, et a perferendis quibuscunque cruciatibus, atque ipso puncto temporis, si opus sit, a morte subeunda non alienum esse. Quae cum ita sint, de tuenda nostra Religione, et de sede Romana defendenda, de propulsandis hisce prodigiis Lutheranae factionis cogitatione,

### EXPOLITIO NONI GENERIS

ex simili, cum exemplo.

**A**N cum videat bonus parens filium consiliis aliorum depravatum esse, et tanquam navim in medio mari, turbulentissimis eundem fluctibus huius saeculi, vehementissimisque non jactari solum, sed paene obrui miserandum in modum, non dabit operam, ut portum, tanquam navis, tutum, atque tranquillum filius ipse teneat, ne demergatur in profundum: non parentis erit prudentis dare operam, ut cum gratia respiciat potius, et ad meliorem frugem filius se recipiat, quam si relinquens, aut vi, vel malo aliquo restituendum curaverit, quem pravo ingenio, perversaque natura scit interituum omnino? Haec ego didici, haec accepi ex veteribus, de promsi maxime ex uno Cicerone, qui, Curionem ab Antonio depravatum, et illius causa grandi aere alieno oppressum, patri, ut redimeret, persuasit. Atque haec est pervulgata parentum ratio cum filiis agendi, et eos, cum deflectere coeperunt, in viam reducendi.

### EXPOLITIO DECIMI GENERIS

ex differentiū conficiatione, cum consequen-

tium frequentatione.

**O**rnamenta praeclara intelligere potuistis ex uno facto beati Ermenegildi. Primum hoc a caritate profectum, deinde a religione, ab inflammato amore Fidei defendendae, ab

ab studio, quo ardebat Iesu Christi Assertoris nostri ex linguis Arrianorum sacrilegis auferendi. Quem Ermenegildus amabat, Arrius odio maximo prosequeretur: Ermenegildus Christum in ore mortalium versari volebat, Arrius ex hominum linguis, ac mentibus delere studebat: Ermenegildus debitis laudibus tanti Domini gloriam ornandam, Arrius infringenda, labefactandaque curabat. Simul intelligi potest illud Ermenegildi in Fidem studium, Leuvigildi in illam non modo odium, sed inimicitiae maximae. Eodem accedit, quod vos quoque intelligere potestis, Ermenegildum statuisse in regno suo honoris divini causa exercitum conflatum a se ipso ducendum, committendum fuisse nemini. Ecquis est homo, cui non ab initio translationis suae persuasum sit, istum ad Arrianae haereseos pravitatem extirpandam, delendamque totum incubuisse? Quis hoc non ex eo statim iudicabit, quod ostendi, ipsum Regnam, uxorem suam, et imperiorum haereditatem filium nova pactioe, atque adeo in toto foedere contra Regum omnium consuetudinem, et more Romanorum Ducibus tradidisse? sed quaquam istos ego obsides amotis in Deum tam firmos, tam certos, tam constantes non haberem, ecquis est ex acceptarum injuriarum magnitudine, squalore carceris, vinculorum diritate, qui hoc non jamdiu statuerit, et iudicavit? Etiam sane sit aliquis comprehensionis, custodiae, catenarum, reliquorum cruciatuum, aut acerbitatum inscius, quid is poterit de Ermenegildi Regis sanctitate dubitare, cum ipsam bipennem in caput intentam, cum discissum caput, et bipennis ictu sanguinem expressum, animam Deo redditam fortiter, et constanter agnoverit? cum tantam Martyris Lauream Deus immortalis non solum divinarum vocum cantibus, sed etiam flammarum in carcere late collucentium fulgore manifestam testatamque reddiderit? quod si quis Regum splendore magnopere moveretur, si quem regnorum amplitudo, imperia latissima, ex auro sceptrata facta purissimo, diademata gemmis illuminata pretiosissimis, ipsa tanto cum imperio, et potestate latissime celebra-

ta Majestas Regia commovet, non possū dubitare, quin istā-  
men, cum relictum imperium, cum regnum contemptum,  
cum tantam potestatem immortalī Deo oblatam, devotam-  
que perspexerit, statuat fieri non posse, ut qui haec de Erme-  
negildo sanctissimo voverint, atque audierint, non in eum  
omnes laudes, et honores merito congerendos, cōferēdosq;  
curent. Quid enim est, quod posset quisquam clarius confi-  
derare? Non dubito, quin vestros animos expleverim, verū  
tamen progredior longius, non Hercule, quo magis hoc  
vobis persuadeam, quod jam persuasum esse confido, sed ut  
aliquando cupiditati suae finem faciat avarus: desinant ali-  
quādo Reges nova regnorum p̄moeria cōcupiscere, novas  
regiones, et fines terrarum disjunctissimos patefacere: desi-  
nant honorum appetentes ad ea decurrere tam inflammato  
studio, quae detrimento postea animorum, cruciatibus, et  
inferorum poenis sempiternis occasio esse possit, et fenestra  
patefacta.

EXPOLITIO VNDECIMI GENE-  
ris ex consequentibus, cum dissimili, relatis,  
per correctionem, cum dissolutis, et  
obtestatione.

**S**I cara debet esse mortalib⁹ justitia, cole virtutē, ait B. Tho-  
mas Cātuariensis, atque leges sanctissimas. Noli exsuere  
humanitatem, humanitatem dico, imo vero ferinam naturā,  
crudelitatem, et immanitatem omnem induere. Cedo libens  
de civitate, cedo hilaris de fortuna, de dignitate. Discedo ab  
urbe oppressus audacia malorum. Liceat manere si nō illum  
Thomam custodem divinae legis, defensorem Romanae se-  
dis, propugnatorē summi Pontificis, at certe reliquias Tho-  
mae. Liceat in cōspectu civium, in urbe Cantuaria, quam ex  
Romanae sedis hostibus crudelissimis liberavi, meos rema-  
nere, tecta sua, praedia, atque fortunas salvas, et integras reti-  
ne

nere. Liceat ex hac illum flamma evolare, praesertim qui il-  
lud impium incendium rebellionis in Ecclesiam factae dis-  
cessione sua potius, quam Regum externorum armis restin-  
gui maluit. Neque enim peto, ut detis fortunas, et opes ali-  
quas, sed ut propinqui suas, et patrium solum non amittant.  
Si consideratis, quid defendam, vos non debetis innocentem  
familiam opprimere, sed retinere, quos commēdo. Te te ob-  
testor Deus immortalis, qui meae menti lumina praetulisti,  
cum decreta Regis non obsignavi, Ecclesiamque Romanam  
ab inimicorum audacia, et furore liberavi, immunitatemque  
suam, et praerogativam omnem sanctissimam contra leges  
omnes, et libertatem Ecclesiae ad Regum nutum, et libidinē  
non sum passus trahi. Num igitur potest fieri, ut a Cantua-  
riensibus non ejiciantur agnati, cognatique omnes, cum  
Thoma sanguinis communionē conjuncti, cum a quo Re-  
ge honorari Thomas deberet, a laribus suis, ecclesia, dignita-  
te ejiciatur?

EXPOLITIO DVODECIMI GENE-  
ris ab enumeratione, cum testimonio.

**N**Vnquid harum rerum a me fingitur bone scholastice?  
Sciunt artis hujusce alumni, omnes docti homines, sci-  
unt boni scholastici, sciunt doctores academiae, sciunt deni-  
que omnes etiam oppidani. Exsurge academia, exsurge, a  
corrupto scholastico, et nequissimo suffragatore repete non  
pecunias, non redditus, nō cathedram, sed honorem, sed famā  
ablatam. Catedram alius sibi habeat, iste restituat honorem,  
reddat matri praeceptorem ablatum: nam pecunias, quas ab-  
stulit eidem suo suffragio, calculo suo, redditus, quos ade-  
mit, cathedram, quam sustulit, restituere non potest.  
Praeceptorem, praeceptorē inquam aerumnosae matri red-  
de nequam suffragator. Haec matri damna te fecisse non  
vides?

EXPOLITIO DECIMI TERTII GENERIS ex conglobatis definitionibus, per praecupationem.

**A**T etiam ex filio tyrannus ille splendorem beati Iohannis obscurare voluit, et ablati de conspectu mortaliū memoriam tāti Principis delere, procul dubio ignarus, quid Fides Iesu Christi, quid Religio tantī Domini sanctissima, quid virtus, quid suorum comitum magnitudo animi valeret: quae in tempestate saeva quiescit, in mediis periculis, et in ipsius aspectae mortis atrocitate cernitur invicta: ab urbibus relegata in hominū mētibus adhaeret, et pulsa hisce locis manet tamē: et quāquā eam obscurare velint hostes, lucet sepe, atque splendet clarissime, neque alienis unquā sordibus obsoletcit.

EXPOLITIO POSTREMI GENERIS ex definitione, per gradationem.

**I**S enim est mea quidem sententia justus honos, et vera gloria, quae virtutibus, et ornamentis animi datur: nam si hunc honorem homines communi consensione tribuunt, magnum testimonium est: si sanctissimi viri praedicant, eorum laude majus erit: si Mater Ecclesia suis decretis, et iudiciis sanctissimis confirmat, atque testatur, nihil magnificentius excogitari potest.

PERORATIO EXPOLITIONIS.

**V**ides omnia genera expoliendi, quae praecipua sunt, et magis communia Ciceronis: quae ex similibus, dissimilibus, comparatis, contentionibus, exemplis, consequentibus, enumeratione constant potissimum. Non me fugit ab optimis eloquentiae praecceptoribus expolitiones

nora-

notari, cum aliquo etiam ex superioribus argumentis res illustratur: quod tu idem facere potes. Ciceronem imitatus. Sed ego cum Cicerone praecipuos expoliendi modos tradidi, tu reliquos facile nostris ductus exercitationibus consequeris.

DE LOCIS COMMVNIBVS.

**O**Rationes integras per nos litteris mandandas antecedunt loci communes, et quidem non sine causa, et in demonstrationis formam coniecti, quod orationū lumina sint, et ornamenta maxima: nihilque sit clarius ad illustrandam orationem, quam ab hypothesis ad thesin dictionem referre. In qua universi generis quaestione, quid prius oratori propositum esse debeat non video, quā ut res argumentis, et schematibus ante oculos statuatur. Hanc vero lucē sine demonstrationis forma, atque varietate afferri posse desperet orator. Est ergo locus communis propositio quaedam universa, continens generalem alicujus rei, et communem, unde nomen natum est, tractationem. Ut si laudes rhetoricam, justitiam: vituperes parricidium, prodicionem. Qui loci dicuntur communes, quia in infinita quaestione versantur, et ad multas causas possunt adjungi.

QUOTVPLEX SIT.

**L**OCI communes triplices sunt. Unus, qui quandam habet vitiorum acrem accusationem, aut querelam, aut virtutum claram, et illustrem amplificationem: ut in avarum, in crudelem, in seditiosum. Alter, qui theses exornandas suscipit, quibus de re universa in utranque partem disputet: ut de re militari, vel contra. Tertius, qui continet miserationem, ad perorationem, ad affectus movendos idoneus. Atque locis communibus aptissima sunt verba gravia, sublimia, grandia, acerrimae figurae, repetitiones, incrementa,

R r 4 ima-

imago, hypotyposis, exclamatio, et illa omnium vehementissima profopoeia.

**LOCVS COMMVNIS PRIMIGENERIS** ex consuetudine, sine, relatis.

**M**alum dare neque oblata occasione quisquam patiens vult. Mavult recordari, se, cum posset ulcisci, pepercisse, quam, cum parcere potuerit, vindicasse. Haec in homines alienissimos, denique in inimicissimos viri patientes faciunt, et Christi Iesu imitandi, et communis patientiae desiderio, et cum ipsi nihil non aliis libenter condonaverint, ut nihil etiam jure beneficii non a Deo consequantur.

**LOCVS COMMVNIS SECVNDI** generis, ex fine dissimili.

**Q**uod si non curam maximam in discipulis instituendis praecipuos adhiberent, et non magis virtutibus, quam litteris imbuendos curarent: domi melius esset contineri, quam in schola perditum mitti filios oppidanorum. Haec cum omnes boni sentiunt, et cum in hanc rationem pro suo quisque sensu, ac dolore loqui potuisset, parentes a malis praecipitoribus, et nulla virtute praeditis filiis abducent, et intra parietes potius continebunt, quam in academias hujusmodi ad litteras discedas, percipiendasque mittent: ne dum litterarum occasione in academias filii ventitant, hujusmodi fragitiis omnibus contaminentur.

**LOCVS COMMVNIS TERTII** generis ex fine, cum subreptione, praecipuo

**N**eque erant haec miseriae alienae magis, quam nostrae, quam totius civitatis, quam illorum, qui Rempublicam gerunt. Ideo

Ideo quod communis est causa, commune periculum, communi praesidio talis improbitas, tanquam aliquod incendiū, restinguenda est. Atque in hanc rem debetis incumbere, ad hoc studium nervos omnes intendere. Habetis enim academiam commendatam. Certum etiam est, quā fluxi mores sint scholasticorum, et ad omnem pravitate proclives: quā multi sint ad eos depravandos, corrumpendosque paratissimi. Consulere Rectores, et magistri omnes juventuti, et prospicere debent, ut illius mores, et adolescentia quam bonis moribus, ac praeceptis instruenda sit. Quis enim est, qui continere magis possit scholasticorum aetatem contra libertatem, et licentiam? Scilicet magno praesidio parates esse possunt, maxime vehementes, atque severi. Minus illi possunt, qui totos dies filios non videt, et parū noctibus ipsis, suis negotiis occupati. Matres ne coercent? perfacile vero apud matres continebunt filii sese, a quibus gravia verba, minae, terrores procul: et illae saepe filios indulgentia sua perdunt.

**LOCVS COMMVNIS QVARTI** generis, ex fine multiplici, cum distributione, per repetitionem.

(?)

**S**emper optimi est, et maximi moderatoris in Republica gubernanda quid leges, quid jura, quid universa Respublica postulerit, intueri. Cum administranda judicibus civitas traditur, non ad Petrum dabitur, non ad Ioannem continendum solum: dabitur ad communem vitam, et ad salutem conservandam civium. Dabitur ad statum universae civitatis. dabitur ad commoda publica augenda. dabitur ad immunitatem, ad dignitatem Respublicae. modis omnibus amplificandam. Non defertur Praetura ad privatas utilitates, non ad Praetoris commoda, non ad pecunias exigendas, non ad spoliandos, exinanandosque cives.

SI LO-

LOCVS COMMVNIS QVINTI  
generis ex adjunctis, de Majestate Dei,  
cum exclamacione, et re-  
petitione.

**O** Scelus maximum, et impietatem inauditam. Deus non in aestimatione summa? Deus non in gloria maxima? Deus apud vos improbos homines non in honore singulari videatur esse? Ille si non esset tam munificus, tam liberalis, praepotensque Dominus, tamen ipso Numine divinitatis valeret apud omne gen<sup>9</sup> hominū, valeret apud Turcas, et Mauros, valeret apud Indos barbaros, et expertes Fidei, ipso audito nomine, et Majestate sempiterni Numinis. In hunc vos peccata? in hunc Deum immortalem scelera suscipiatis? cum sit Deus immortalis, ea primū celsitate sui Numinis aeterni, qui ut Deus immortalis, ut sempiternum Numen celsissimum in aula caelesti solium teneat aeternae Majestatis, et gloriae? deinde ut ipse in beatorum sedibus divinis illis Mentibus, et caelestium Heroum multitudini summo cum splendore suae Majestatis illuceat? cum effector, rerumque creator omnium, pietatis, justitiae, sapientiae, virtutum omnium princeps, et auctor unus, eidem nō inservietis, si nō adducti suorum infinitate ornamentorum, at timore suppliciorū, quae in vos propter vestras fraudes, et gravissima flagitia statuere potuisset?

LOCVS COMMVNIS SEXTI GENE-  
ris ex effectis, cum interrogatione.

**Q**UIS vestrum, auditores, ignorat tantam eloquentiae vim fuisse? cum primis temporibus homines, nondum neque civitatibus, neque oppidis aedificatis, neque legibus ullis civilibus latis fusi per agros, ac dispersi vagarētur, tantumque feritatis haberent, quantum in belluis saepe im-

manibus non perspiceretur, gravia sibi damna, mutua vulnera facientes, qui primum vi, et facultate orationis excellentes fuerunt, eos profecto a feritate multitudinis, et immanitate cōmuni generis inhumani, ad humanam urbanitatem, et comitatem vagos, et errantes unum in locum coegerunt: eosdemque ex feritate illa ad humanitatem, cultumque civilem traduxerunt. Tum Resp. esse coeperunt, tum societates, conventusque mortalium, tum civitates moenibus suis circūdatae, et domibus, atque aedificiis ornatae, tum ab hominibus frequentari visae, et jus civile descriptum, leges, et jura primum servata, atque ab illa immani vita ad hanc humanitate perpolitam genus mortale traductum. Et dubitabimus, quantum eloquentissimis hominibus debeamus?


LOCVS COMMVNIS SEPTIMI GE-  
neris ex efficientibus, per contentionem,  
cum optatione, ab exemplis, a gene-  
re ad speciem amplificata  
quaestione.

**I**llud omnino cogitate homines verum iter gloriae. Cogitate gloriosum esse magis via caelorum contendere, quā hujus saeculi. Quod si negare nō potestis, cur viā non ingredi mini verae gloriae? caros esse Deo, amari a tāti Numinis Majestate, et in beatorum sedes vobis aditum patefieri vere gloriosum est: saeculo inservire, carum vos habere saeculū, ejus suscipere fraudes sceleratas, detestabile, impium, et execrādū est: et ob eam rationē foedū, turpe, et ignominiosum. Quod videmus etiam eventu quotidiano comprobari nefariorum hominum, qui turpes exitus habent, atque detestabiles. Vtinā vos excitaretis animos, mentesque vestras ad memoriā beatorum, de quorum gloria tā multa audivistis ex cōcionatoribus saepissime. Putatis ne illorum immortales honores cū ulla istius saeculi gloria comparari posse, ut propter falsas, et inanes umbras, veram, et solidam gloriā consecrari desinatis? Illa illa

erit gloria, ille sempiternus honos, unumquemque virtute suas omnes actiones metiri, nihil aliud velle, nihil concupiscere, nisi Deum ipsum, et illius gloriam immortalem. Itaque ut omittam de beatorum omnium gloria dicere, quam potestis gloriam de praestantioribus saeculi honoribus ad minimam Hyacinthinae gloriae partem comparare. Fuit iste vir sanctissimus ab hinc quadringentos annos, et in omnes saeculorum Aeternitates in beatorum gloria nunquam esse desinet.

## LOCVS COMMVNIS OCTAVI

generis, ab enumeratione, exemplis, cum adiunctis, in oratione de sacra Synaxi, in male communicantes.

um in omnibus flagitiis capitalibus miremur improbitatem, atque nequitiam hominis, qui suum Dominum, et Parentem rerum omnium violaverit, id in sacra Synaxi ab homine perfido non rite accepta magis demirari debemus, et veri Christianae Religionis cultores obstupescere. In quo scelere cum Majestas Domini consideretur, et ejusdem celsitas perpendatur, atque beneficentiae suae cernatur largitas, audaciam magis, et sacrilegium scelerate communicantis nemo non exhorrebit. Atque cum sacrilegium istud amens homo suscepit, multa ab eodem se videt ante commissa maleficia, tum animum hominis inquinatissimum, tum incredibilem audaciam ostendi necesse est, neque audaciam solum, sed summum furorem, et amentiam. Haec cum sint omnia, tam extent, oportet, expressa proditoris vestigia. Atque in sanctissimo loco, ipso in templo, in ore, oculisque Iesu Christi, praesentibus Angelis, tota aula caelesti teste sacrilegium cum ipsum admitratur, profecto res tam scelestas, tam atrox, tam nefaria, tam execranda vix cogitari posse videretur. Magna est dig-

dignitas Iesu Christi, multum valet divinitas tanti Domini, multum timoris ejusdem deberet afferre potentia. Reclamat istiusmodi sacrilegio ipsa cogitatio: portentum, atque monstrum certissimum est esse insignitum aliquam Christianae Fidei, et Religionis armis, qui tantum sceleris non admiserit solum, sed etiam cogitaverit: ut quem summum, praepotentemque Deum professus fuerit, atque recognoverit, ejusdem tantopere divinum Numen violare non exhorruerit. Cum etiam Majestatem Domini ante sacram communionem ipsa Fides, atque conscientia miraculis multis testatam in memoria redigeret. Ex sacris litterarum monumentis accepimus Ozam quendam de populo Hebraeorum, hominem non obscurum, sacerdotis officio fungentem, cum arcam Domini in currum impositam cum aliis hominibus prosequeretur, atque illam manu attigisset, repentina morte fuisse confectum: cum neque quisquam propinquior arcae reperiretur, neque sacerdos, ad quem custodia magis pertineret. Atque erat Ozae, quemadmodum sibi videbatur, non aspernanda religio, eo potissimum tempore, cum praeceps ferri videretur in terram arca: atque religione tactus eam retinere, et objecta manu incolumem conservare contenderet. Deus tamen illata morte repentina planum hominibus voluit facere supplicium de sacerdote fuisse sumtum, quod manum ad arcam admovisset, ejusdem quamquam arcae retinendae causa. Quis hoc non existimaret sanctissime, religiosissimeque factum? ex hominis optimi, sanctissimi que disciplina? addo etiam (quae sunt hominum judicia, et quod ad oculorum aspectum videbatur arcae periculum imminere) videri etiam fieri debuisse, tantum autem abesse, videri Ozae non licuisse. At quantum mentes hominum distant a divino consilio, caelestique providentia? Quam longe divergae sunt, atque se junctae? quantum opere nos denique, nisi divino numine ducamur, a re ipsa, atque a veritate distamus? quis putaret ob eam rem Ozam periturum esse? quis daturum poenas mortis acerbissimas? quis hominem religionis, et in Deum


pietatis laude florentem? quis denique nomine summae probitatis non laudandum? et arcae retentae praemium non relaturum? hunc si audacem, si parum consideratum, si minus, quam decebat, cautum, ac providum, parum divinae celsitatis observantem mors repentina declaravit, quid poenarum? quid supplicii commeruit, qui non speciem, sed rem ipsam, non adumbrationem, sed Dominum, non arcam, simulachrum divinae Majestatis adumbratum, sed caelorum opificem, et architectum, Parētem hominum, et creatorē divinarū Mentiū ore sacrilego violare ausus fuerit? Accepistis ne, quos nobis poëtae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumsisse, cum praesertim aliquam nomine pietatis paternae excusationem habuisse dicerentur, tamen ut ii agitari furiis, neque consistere unquam posse putarentur: quod propter matrem occisam furere debaccharique cogebātur. Sic se res habet, magnam vim, magnā necessitatem, magnam possidet religionem paternus, maternusque sanguis, ex quo siqua macula concepta fuisset, non modo elui non posse videbatur, verum usque eo permanere putabatur ad animū, ut summum furorem, et amentiam consequi poëtae simulasset. Nolite putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie, scelerateque commiserunt agitari, et perterriti furiarū taedis ardentibus: sua quenque fraus, et suus terror maxime, suum quenque scelus agitat, amētiaque afficit, suae malae cogitationes, labelsque animi terrent. Hae sunt impiis assiduae, domesticaeque furiae, quae dies noctesque flagitiorū poenas a cōsceleratissimis filiis repetūt. Et nō has cum exhorre, qui cū scelere, cū prava consciētia, cū animo peccato capitali contaminato accessit ad cōmunicādū, aspiciam? nō hūc metuere, ne daemō faucibus premat? ne obruat, atq; suffocet? ne simulatq; de scelere cogitaverit, animū praecoccupet? et furore, et amētia vexet? Haec magnitudo maleficii facit, ut cū sacrilegiū tā detestabile suscipiatur, antecessisse videatur turpis, et omnib<sup>9</sup> flagitiis inquinata vita, sacrile-

legio violatae Confessionis contaminata, tā prorupta audacia, tāta temeritas, ut non procul abhorreat ab infania. Accedat huc, oportet, cōtemtus divini Numinis, nūtius caelorum gloriae, et beatorū sedibus remissus, sanctorū omniū, et Virginis Mariae decus ab eodē neglectū, fides laesa, caritas offensa, proditio tam manifesta, execrāda sanctitatis simulatio: jā plane dicam Daemonis imperio mentem occupatam, atque animū principi fuisse deditū, et astrictū inferorū. Quid sacrae litterae testātur? quid magis clamāt, quā a Daemone praecupatū Iudā, atque in hominis execrādi animo sedē sibi collocasse, tū, cū divinae mensae cū caeteris sociis, et comitibus discubuit? Nihil ille māsfuetudinē Domini, nihil damna proximorū, nihil scientiā exitii manifesti, nihil desperationē divinae misericordiae, nihil defectionē a Creatore suo, detestādamque perfidiā aestimat, omnia spernit, cōtemnit omnino tenebris, et caeca caligine circumfusus. Non nefarius haec omnia sibi mala Iudas ascivit? nō Domini verba? nō māsfuetudinē Christi jacētis ad genua, et abluētis primū pedes, deinde benigne loquētis, et a scelere mentē revocare cupiētis aspernat? nō proditor ille discessit? nō adiit principes Iudaeorū? nō pretiū pact<sup>9</sup>? nō praecivit? nō eundē Praeceptorē generi Iudaeorū ad mortē, et ad crucē acerbissimā tradidit? quid ab his flagitiis sceleris abesse visum est? Quae consequuta fuit hominis execrādi desperatio? quae mors? qui scelere suo dignissimus interitus? O caecitatē hominis execrandam. Non se ipsum ex rerū natura statim sustulisse, atq; eripuisse visus est, qui veniā desperans peccatorū, repente sibi caelum, solem, aquam, terramque ademit: ut qui eum necasset, unde omnia profecta sunt, careret his rebus omnibus, quarum ille, quem prodiderat, auctor, et creator fuerat. Non permittit Deus severus ac vehemens iudex feris corpus objici, ne bestiis, quae tantā immanitatē attigissent, homines immanioribus uterentur: non ut parricidam in flumen praecipitari, ne cum projectus fuisset, aquae in littus ejecissent: nō deniq; detesta-

bilem hominem humi suam obire mortem, ne terra tãti sceleris auctorem abjecisset. Suspẽsi igitur de ficu inflata, disruptaque crepuerunt ilia deterrimi Iudae, qui tantum sacrilegium, et tam immane conceperat: et huc, et illuc vi vectorũ jactato corpore, ne pars ulla fuisse cerneretur terrarũ, quae locum improbissimae, detestandaeque belluae cõcedere velle videretur. Etenim quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, aqua fluctuantibus, aër suspẽsis. Ita vivebat, dum poterat, Iudas, ut ducere animam de caelo non posset: ita mortem oppetiit deterrimã, ut illius ossa sepulta non fuerint: ita aquae exstiterunt, ut non flumina, non mare exceperint: ita laqueo se suspendit, ut neque suspensus a terra sublatus esset, neque ad ficũ omnino cadaver adhaeresceret, sed illud aër ex una parte, terra, quã pedib⁹ attingere velle videbatur, ex altera repelleret, et utrũque quasi certatim adhibita vi, cõtentioneque maxima. Itaque nihil loci visa fuerat Majestas divina reliquisse detestabili, pestiferoque Iudae, ubi post mortem cadaver infestissimum acquiesceret. Et nõ ad sacram synaxim accedentes animos quibuscunque sordibus homines eluent? Quis tanta videbitur, et tam praecipiti audacia, qui sibi mortem asciscere velit, peccato capitali constrictus ad sacram Eucharistiam accedens. Cum superioribus ex rebus intelligi possit animos nostros non peccatis solum purgandos, sed Sacramento Confessionis expiandos ad mensae tantae dignitatem, celsitatemque perfruendam, tũ ex Pauli verbis, vel maxime, quod in impios hujusmodi singulare supplicium constituatur. Qua in re quantũ apud gentes, ad quas scribebat Doctor gentium eniti atque contẽdere studuerit, considerate: quia perniciẽ nefarios homines tãto cibo scelerate vescentes, et mortem edixit plane sibi ipsis consciscere maximis gravissimisque verbis. Hanc tu homo per Deum ipsum immortalem, per tantum Dominum eundẽ tu mulier, per Christum Iesum, per auctorem vitae, per religionem in Virginem Mariam omnis generis virorum, atque mu-

mulierum inflammata exitii tãti, pestem ultimam animae tuae nolis afferre. Vide te in periculum hujusmodi, in mortem Ozae, in Iudae interitum, in pericula nostra exercitatione contenta venire. Cave, ne his te malis exponas, his obicias periculis: quae ut propulses, expiandae prorsus animae per confessionem, atque omnium eluendarum sordium, et conscientiae flagitiorum Pauli consilium salutare capies.

LOCVS COMMVNIS NONI GENERIS ex enumeratione, cum exemplis, in avaros.

 Va ex re, ex siti sua, ex diligentia congerendarum rerum, ex flagitiis admisis in comparanda pecunia, ex cupiditate ad venas ipsas, atque ad praecordia permanente, ex perturbatione vehementi, angoreque intolerãdo, ex avari ipsius pallore, atque macie, ex laboribus susceptis, periculisque aditis intelligi facile potest, nullum esse officium tam sanctũ, atque solenne, quod non avaritia comminuere, ac violare soleat. Etenim si observantia praeceptores, obsequio domini, cultu, et religione Deus colitur, necesse est Iuda, qui praeceptorem Dominum, ac Deum tuum pecuniis, et tã exiguo pretio prodere non dubitaris, impium te, perfidiosum, et parricidam esse fatearis.

LOCVS COMMVNIS DECIMI GENERIS ex eadem enumeratione, minoribus illustratus de scholastico purgante se apud praeceptorem.

**Q** Vis tam abhorrẽs a re litteraria fuisset? quis tam negligens? quis tam perditorum similis? qui, cũ praeceptor, cui operã daret, et ad quẽ a patre deduct⁹ fuisset, ab eo rationẽ

T t tan-



tantae exigeret absentiae, et nō curantiae litterarum, nō responsum confestim daret? non aliquam excusationem simulatam saltem, atque fictam afferret? aut non etiam diceret se postea colloquuturū cū illo de sua absentia? et se apud eundē purgaturum facile? qui servi reperiuntur vasti, et agrestes, ex Aethiopia nunc primum delati, ad huiusmodi sunt occasiones comparati, ut Dominis suis afferant aliquid, quo faciant id credibile, quod volunt, et difficillimum est purgatu.

### LOCVS COMMVNIS VNDECIMI

generis ex sola enumeratione, de officio monachi.

**E**st enim optimi monachi meminisse se esse religiosū, cogitare tantum sibi in religione servanda faciendum, quantum praescriptionibus, et sanctionibus suis cautum, atque sancitum fuerit: et non solum sibi praescriptiones servandas, verum etiam absolute, perfecteque custodiendas esse. Eiusdem est monachi se meminisse debere, quem seipso superiorem viderit, hunc venerari, aequalem seipso praestantiorē ducere, atque infimos quosque pares, et hos sibi ipsi praepone-re, et semper, non quid ipsa caro velit, sed quid spiritus, et religio postulet, cogitare, animadvertere, quod nomē habeat, quam personam susceperit, quam patientiae, caritatis, et omnium virtutum cultor studiosissimus esse debeat. Cum haec sint videnda, tum vero illud est optimi, maximeque perfecti religiosi, cum honoris accipiendi potestatem monachi fecerint, non putare se esse praefectum, neque sibi, quod cōcupierit, licere, sed servū se, et cūctorū administrū, et habere in auctore, atque principe suae religionis formam, exemplumque, quod sequatur. Intelligat etiam ipse voluntatem suam, motus animorum, cupiditatesque omnes se domare debere, maximeque proponere sibi exemplar Christum Iesum imitandum, quem ab aeterno Patre praeceptorē perfectionis accipi-

primū. Qui in animo suo inhaerere debet: quē si optimorum consiliorum, atque factorum dūcem, in omni vita sequutus fuerit, sine labe, ac sordibus, et cum omni virtutis absolutio-ne consummata vivet.

### LOCVS COMMVNIS DVODECIMI

generis ex eadem enumeratione, per repetitionem, et articulum.

**M**agno cum gaudio, et voluptate totius civitatis, multis cum inventis, et gratulatione virorum, ac mulierū omnium simulachrum beati Hyacinthi publice deportatur. Videte quanta pompa in divi Pauli collocatum. Apud Hispalenses repertum fuisse scitote neminem, neque mediocre, neque infimum, neque locupletem, neque principem civitatis, qui illud signum non aut visendum, aut cohonestādū curaverit. Parietes Hispali scitote fuisse pretiosissimis aulaeis ornatos, herbis stratas vias, arcus effectos, excitatas aras, accensos odores, turmas militum factas, displosa, quacunque vehebatur, tormenta manuaria, omnes milites religiosarum familiarum pompam cohonestasse praecuntibus diversarum sodalitarum fratribus, vocibus cantorum, et vicissim tibi-rū suavitatem ubique vis personantibus, nihil denique praetermissum fuisse eorum, quae ad huiusmodi ferias statas celebrandas, inter seque cohonestandas Christiani praestare consueverunt. Aliquot enim diebus consequutis, agitati tauri, ludii Trojani commissi, et aliquot spectacula exhibita fuerūt.

### LOCVS COMMVNIS DECIMITER-

tii generis ex enumeratione, cum exemplo, et occupatione, et testimonio de amicis diligendis.

**S**i enim boni viri haberi volumus, non solum peccata, sed occasiones peccādi fugere debemus. Primū omnīū opera-

danda est, ut eos nobiscum habeamus, qui nostris animis sua virtute commodent: deinde si in amicis deligendis nos aspectus adolescentum fefellerit, ut animum respiciamus, missos faciamus: semper ita vivamus, ut qui nobis fuerint amici, virtutem semper colendam sibi ipsis arbitrarentur: quod hominum est summa sanctitate florentium. Ea semper amicitia est probanda, quae sine periculo animorum est: quae optimis, summaque virtute praeditis fuit semper. Cum enim a Curione patre filius Curio magnum malum expectaret ob amicitiam cum Antonio in vitam adolescente turpissimo, atque is in maleficio perseveraret, neque Antonii dissidium ferre posset, patri persuasit Cicero, ut adolescentem bona spe, sed Antonii nequitia in fraudem inductum in suam amicitiam restitueret: patrio etiam jure ab Antonii congressu prohiberet. Atque illud sacrarum litterarum monumentis traditum est, noli cum improbis versari, ne sis unus ex illorum numero. Etenim re vera multo magis est fugiendum ab amicis improbis, si salvi esse volumus, ne ruamus in exitium manifestum, quam ne pice inquinemur, et inficiamur pestilentiae contagione, cavendum est. Sed tu cum et improbos in amicitiam aggregaveris, et ad peccandum passim invitaberis, et cum illis multa scelerate facies, et postea difficulter, nisi te ipsum colliges, eosdem dimittes. Cum unus ex hoc grege bonorum hominum a te contenderit, ut secum collusum in locum aliquem contendas, et id non concedi ferat moleste, quid ages? Noli quidem mirari, si tu cum his a virtute defeceris: et nequam adolescens hoc, et deterius aliquid a te impetrarit. Ego jam pridem ab illis, quibus virtutis studium carum fuisse arbitror, petam, ut mecum amicitiam ineant.

LOCVS COMMVNIS DECIMI QVARTI  
generis ex similitudine.

**I**lli igitur, quemadmodum solent principes clarissimi facere, seu liberaliter, seu stricte se gerere coeperunt, ita in  
utro-

utroque excellunt, ut eos nemo quacumque fortuna praeditus assequi possit: beneficiis beneficia accumulare liberalissime perseverant, aut reditus augere, aut honores deferre non desunt majores, et interea multorum Magnatum splendori tenebras, et obscuritatem afferre. Arbitror, ut caelum alicujus regionis, quod ut plueret coepit annos aliquot, pluendi nunquam finem facturum fuisse videtur: cum tamen aliis annis clausum videatur omnino, neque affectum unquam ad pluedum, clarum semper, atque serenum, nulla longo tempore specie affectionis in aquam apparet: sic equidem cor durum admodum, et ex adamante videtur aliquando factum Magnatum esse nonnullorum: quod neque precibus mollire, neque lacrymis mutare valeamus.

LOCVS COMMVNIS DECIMI QVIN-

ti generis ex dissimili-

**N**equae intelligis pietate, et religione, et justis precibus, et gratia caelesti sempiterni Numinis Majestatem, non contaminatis perveritate mentibus, nec ad fallidos homines oblatis muneribus, nec ad tegenda peccata, quae suscipiantur, ficta simulatione placari. Hujusmodi extrema sacrificia, et vota ab ipsis aris, atque templis removere Deus immortalis, superiora appetit, et ab hominibus deposcit, et effragitat, et ob eam rem castum, et integrum animum,

LOCVS COMMVNIS DECIMI

sexti generis ab exemplis, comparatione, fine, cum praecupatione.

**N**e tu adversari esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab oratorum numero creabantur, qui Consules fierent. Etenim qui rhetoricae perdiscendae inanem laborem putes, profecto illum L. Caesarem, quem clarissimo

genere natum, qui Consulem fecerunt, non ignorabant, hominem ad Rempublicam turpissimum, et inhonestissimum putares. At hercule veteres Romani longe aliter, et de illo, et de caeteris talibus viris existimarunt: qui turbulētissimas, vehementissimasque tempestates eloquentia sua sedarunt. Neque solum suas orationes habebant, verumetiam suadebant populo, in senatu dominabatur, et nihil non e Republica gerebant, et administrabant. Neque haec ego eo profero, quo conferenda sit eloquentia cum sacra Theologia, qua de nūc Christiani gloriari debent: sed ut illud intelligatur, cum apud veteres illos summi viri, clarissimique principes, qui omni tempore domi, militiaeque dominari debebant, in eloquentia comparanda multum operae, temporisque cōsumserint, laudari debere eos homines, qui sese fateantur esse rhetores: cum Reges olim potentissimi eidem operam dederint. Cum praesertim nullum studium sit, quod aut dialecticae, aut jurisperitiae, aut sacrae theologiae fructuosius esse, et utilius, aut revera hisce temporibus propter aliarum nationum de rhetorica existimationem maximā, et ob ipsorum Christianae Fidei hostium eloquentiam praecipuo labore comparatam, magis necessarium alumni Matris Ecclesiae sibi persuadere debeant.

LOCVS COMMVNIS DECIMI SEPTIMI generis ab exemplis, et similibus.


**N**ihil est illustrius eloquentia, nihil clarius oratoris boni splendore. Quis viros nobiles multos, fumosis majorum imaginibus insignes, parentum gloria, honorū claritudine decoratos a Cicero superari posse arbitraretur? quis Ajacem Telamonium nobilitate generis, fortitudine, rebus praeclare gestis superiorē ab Vlysse in Achillis armorū cōtentione superandum esse putaret? Quis existimaret illos triginta tyrannos Athenienses a Lacedaemonū principibus gubernaculis Reip. praepositos, homines potentissimos, florētissi-

tissimosque, lumina maxima imperii ab uno Thrasibulo non vinci solum, sed capi, conficique potuisse? Non modo horum nihil fore putatum est, sed neque cum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit, nisi eloquentiae vim effectricem, et causam praecipuam esse cōstaret inter omnes. Nam ut Reges, cum gubernacula teneant imperiorum, fungentes honore Regio saepe ex certa, et manifesta causa moventur, saepe improvise, sola sua voluntate, atque potestate maxima: et quoniam omnium maxime possunt, quae volūt, hos tollunt, alios deprimunt arbitrato suo, neque saepe causa cognosci potest: sic ipsis in concionibus vi bene dicendi saepe intelligas, qua causa commota sit multitudo: saepe ita obscura est, ut nescias, quo artificio orationis excitata concio, vel sedata videatur.

LOCVS COMMVNIS DECIMI OCTAVI generis ab exemplis, et simili, de labore in litterarum studiis necessario.

**N**on docti sunt homines, et litterati ipso nomine scholasticorum, sed ingenio, studio, assiduitate: quibus rebus bonae litterae percipiuntur. Cicero eloquentiae princeps fuit, cū ingenio, tum vigiliis, et laboribus susceptis. Demosthenes tantam eloquentiae gloriam consequutus fuit opificum antelucanam industriam antevertendo. Ostenderunt id agri ipsi steriles nihil fundendo nisi multa cultura, et magno labore mortalium, fertiles non solum bonitate sua, sed agricolarū industria fructus uberiores, praestantioresque ferendo: quot, ac quantos nisi iterati, renovatique non tulissent?

LOCVS COMMVNIS DECIMI NONI generis ab exemplis, cum cōparatione, enumeratione, dissimili, in discipulos ingratos.



V si superior caeteris rebus fuisses, hanc unam ob causam magistrum a te venerari omnes putabunt oportere. Sic enim a cunctis gentibus accepimus, praecceptorem discipulo suo parentis loco esse oportere, nullam neque justiorē, neque graviolem post vincula religionis causam necessitudinis reperiri, quam conjunctionem doctrinae, quam disciplinae, quam huiusce officii, quam publicam instituti bonis litteris, atque moribus animi rationem. Quamobrem si injuriam tibi verbo uno fecisse diceretur, tamen cum ille tibi parentis loco fuisset, eam patienter perferre debuisses. Cum vero neque os laeserit, et praecceptoris tuo morem non gesseris, atque adeo injuriam feceris, fateare necesse est, te in illum impietatis accusari jure potuisse. Etenim munus praecceptoris ad eam rem valet, ut elaborandum discipulis sit in officio huiusmodi praestando: quemadmodum ei, cuius discipuli fuerint, morigerentur. Non ob eam causam, quia nobili genere nati sunt aliqui, quia locupletum, ac fortunatorum filii, postulandum his erit, ut sibi potissimum praecceptores honorem tribuant. Neque sane unquam istud venit in contentionem de honore homini huiusmodi non tribuendo, qui praecceptor fuisset: quin ut semper honoretur, leges, et divina praeccepta jusserunt. Itaque neque Antonio in Sextum Clodium non magni nominis praecceptorem jugera agri Campani largiendi potestas videretur data: neque Ciceroni Archiam contra accusatores in maximo litteratorum hominum conventu defendendi, neque victori terrarum Alexandro in lumen philosophiae Aristotelem tanta beneficia conferendi jus summum, et aequissimum, nisi propter dignitatem praecceptoris nimis non solum honorandum viderimus, sed omnibus officiis privatim, et publice decorandum. Atque ille Imperator sempiterna memoria dignissimus, Carolus Quintus, Hispaniarum Rex praecceptorem suum ad quantam exivit dignitatem sua quidem longo intervallo superiorem? Non hunc Pontificem Romanum

num faciendum curavit non obtinuit non consequutus fuit non denique quem praecceptorem audierat, et honoraverat, eundem vicarium postea Iesu Christi recognovit atque adeo suppliciter, ac demisse veneratus fuit? Nemo denique non vidit a Philippo nostro, secundo hoc nomine Hispaniarum Rege Catholico factum id fuisse, quod in ore, linguisque mortaliū magna cum celebritate versabatur, ut ad Archiepiscopi Tolletani dignitatem suam extulerit Silicem praecceptorem. Semper haec causa praecceptorum plurimum valuit. Semper haec observantia praecceptorum omnibus fuit commendata. Pro laboribus, pro vigiliis, pro virtutibus, pro beneficiis in nos collatis nullam non gratiam referre, eisdem obsequi, nos ipsos magistris ex animo, atque voluntate dedere debemus: Et enim si parentum est nostrorum causa celebrata, qui filios in hanc lucem susceperunt, qua in re corporibus, non animis inservierunt: quanto illa causa honestior erit, et commendatior, quae non corporibus, sed animis operam dedit colendis, atque sua disciplina polietis? Quondam cum ad filium Imperatoris Romani institendum vir doctissimus, et eruditissimus ex disjunctis locis Romam evocaretur, et jam in urbem ipsam venisset, neque domum adisset Imperatoris, unus, et alter dies praeteriret, neque diu jam expectatus videretur de adventu cogitare, mirari coepit Imperator, quid esset, quod pro tanto Principe visendo nequaquam praecceptor laboraret. Cum causam ille quaereret, tum illud datum est a praecceptore responsum, tanti muneris existimatione dignissimum: quia discipulum ad praecceptorē aequius fuerat venisse prius, quam ad discipulum praecceptorem. Tanti munus istud quondam summis fuerat Regibus, et Imperatoribus. Tanti se ipsos etiam magistri faciebant, ut neque plures imperia, quam suas litteras fieri oportere contenderent.

LOCVS COMMVNIS AB EXEMPLIS VITI

gesimi generis, et ex legibus, de testium officio.

Vasi veto id nunc agatur, utrum id, quod is dixerit, credendum, an quod fecerit, vindicandum sit. Itaque more hominum comparatum est, ut in rebus suis homines fere omnes vitia sua non cognoscant, seipsum non solum extra culpam omnem ponant, sed laudent, quod a se factum sit: et saepe contendunt, etiam si maxime velint, id a seipsis aliter non potuisse fieri, neque oportuisse. Aristides, qui suo cognomine declarat se iustitiam omni ex parte servavisse, si sua res ageretur, si suam causam defenderet, non id facere fuisset ausus: nam istud in talem virum audeo dicere, si diceret in suam rem testimonium, jam leges in eum, et jura daremus. Videte nunc quanta sit istius hominis, et quam intoleranda libido. Cum de sua re, et de maleficio agatur, fidem sibi habendam putet, qui reus est, et inimicus, hoc est qui, et illi homini injuriam fecisse arguitur, et cum eo nunquam quaestionem aliquam habendam non curavit.

### LOCVS COMMVNIS VIGESIMI PRIM

mi generis ex majoribus, cum enumeratione,

et ex triplici minore, per commora-

tionem, in Magistratu.

**I**N Magistratibus constituendis si quis Romae administraturus erat, inspectante populo Romano iurandum pulcherrimum jurare cogebatur se e Romae Magistratum gesturum esse: atque abiens Magistratu, eorum, quae gesserat, constitutis publicis accusatoribus, qui graves, atque vehementes fuissent, rationem reddebat. Itaque repetundarum, aut injuriarum constituebatur iudicium, saepe non minus turpe, quam furti. Credo, propterea, quod quibus in rebus Magistratu se opponere cives non poterant, in his abeunti Magistratu, privato jam lis intenditur. Quem Magistratum qui non bene gerit, oppugnat omnium commune praesidium, et quantum in ipso est,

dis-

disturbat Reip. propugnacula. Non enim possumus homines nostrum per nos jus obtinere: alius enim saepe est in florenti fortuna potentior. Idcirco Magistratus praesidia comparantur, ut commune jus aequis moribus, ac legibus tribuatur. Quid Magistratum accipis, si aut neglecturus es: aut tuum officium non facturus? Cur fasces geris? Cur tenuiorum commodis officio simulato officis, et obstas? Depone Magistratum, abdica te Praetura: per alium, qui creetur te melior, meum jus consequar. Suscipis onus officii, quod te iuras integre, sancteque facturum esse, quod minime facis: sed dissimulas multa, multa perperam facis, plura contra leges, et contra jus omne, et plura ad tuum commodum convertis. Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violas, iurandum, et Rempub. et proximum spolias. Nam neque mandatur cuiquam fere Magistratus, nisi iurato: neque committitur nisi ei, quem officium putant praestitutum esse. Perditissimi est igitur Magistratus simul, et iurandum violare, et exinanire eum, qui spoliatus non esset, nisi ille iudicasset. Ita ne est? in minimis rebus, qui pecuniam creditori debeat, mutui actione condemnatur, necesse est? in re tanta, cum is, cui fama civium omnium, fortunae omnes commedatae fuerint, atque adeo tota Respublica concredita, damnis plurimis et homines, et Rempub. affecerit, is inter eos, atque adeo inter damnandos minime numerabitur? In minimis, privatisque rebus etiam negligentia in crimine adducitur, et poenis statutis a lege plectitur: qui non negligentia aliquorum, privato commodo laeserit solum, sed etiam perfidia, atque perjurio Magistratus integritatem violaverit, maculaque affecerit, qui tot innocentes damnaverit, suis bonis spoliaverit, Rempub. Magistratus, qui ad salutem omnium, et conservationem datus fuerit, viribus contrucidaverit, qua is tandem poena afficietur? aut quo iudicio damnabitur? Si delectus arbiter in aliquo negotio non magni ponderis, atque momenti, non iuratus accessisset, ut cum

V v 2

par-

partibus, quod acuum, et bonum esset, statueret, in eamque rem conficiendam fidem sine iuramento, si quod opus esse putaret, interponeret, ille, qui partes ad concordiam se adducturum receperat, nonne si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnaretur per judicem, et rem totam restituere? Nunc cum sit iudex, qui religione iurandi contenta, fama, bonis, vita innumerabiles spoliavit, atque totam affixerit, atque perdidit Rempublicam, in perpetuum, quod idem supplicii genus, aut quae poena in hunc pro suis tot maximis, et execrandis in Republica sceleribus digna statuetur, quem furum, praedonum, everforum, extinctorumque Reciprocum videmus omnes, et testimoniorum auctoritate multorum oppressum?

LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

secundi generis, per comparationem, cum gradatione, et incremento, de honoris jactura.



**A** haec extrema, et inimicissima facta tam nefarie perpetrasti, ut tibi nihil in posterum, quod gravius, aut crudelius facere posses, reservaris. Nam quid homini potest turpius? quid viro miserior, aut acerbius usu venire? quod tantum evenire dedecus? quae tanta calamitas accidere potest? pecuniam si cuiquam fortuna ademat, aut alicuius eripuit iniuria, tamen dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestate, at nemo elatus, aut ignominia affectus, aut turpitudinis maculis aspersus, bonis quidem suis vivere vult, aut ulla, quonia in ignominia, et infamia est, ducit. Quin in jactura bonorum, in miseriis summis, honoris adjumento, et solatio sublevatur. Cujus vero bona manserint, cuius non modo victus, vestitusque necessarius, sed etiam amplissimae fortunae cum ignominia relinquuntur, is non modo ex-

numero vivorum exturbari vellet, sed si fieri posset, infra mortuos amandari.

LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

terti generis ex contentione, cum exclamatione, de praceptorum officio.

**C**onditionem miseram cathedrae moderandae. In qua diligentia plena laborum est, negligentia vituperationis. Nobis veritas odiosa est, comitas perniciosa. Castigatio ingrata est, libertas grata. Labor respicitur, ab scolasticis otium summopere quaeritur. Nihil ad bonam disciplinam, omnia ad voluntatem suam discipuli volunt. Praesentes praeptores honorantur, absentes vituperantur a discipulis. Fros laeta est aliorum, aliorum tristis, et contracta. Si qui grati sunt, plures ingrati, et prorsus disciplinae immemores. Si qui fructus percipiuntur, multi neque audire, neque videre praeptores velent. Cum adsunt, vultum fingunt, absentibus maledicunt, et adeo terga vertentibus gaudent, et laetantur. Cum illis indulgent praeptores, nihil melius praepторibus: cum jure optimo eos puniunt, enim vero clamant perferri non posse hos praeptores, crudelēs, immanēs, inexorabiles, plagosos. Sed omittamus querelas, ne munus praelegendi gravius, et magis molestum dicendo faciamus.

LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

quarti generis a minore, repugnantibus. Figurac, articulus, adjunctio, incrementum, exclamatio.

**Q**uavis fuerint filii, qui mortuos suos parietes optaverint, tamē alii debent, nō solū quid filii fecerint, sed quid illis accidere possit, perhorrescere. Grave est hoc peccatū, gravis

impietas, grave, et detestabile scelus. Quae sunt graviora flagitia, quam ea, quae committuntur in simulatione obsequii, aut in ipso necessitudinis paternae nomine? Hoc vero occultum, in testinum ac domesticum malum non modo existit, verum etiam opprimit, antequam quis perspicere, aut explorare possit. Itane vero tu Iuda parenti tuo perniciem molibaribus officio simulatae amicitiae? itane Dominum tuum, qui antequam meditatam scelus afferres, praedixerat, conficere conareris? Itane inquam tu cum discipulus ad suam societate cooptatus fuisses, particeps omnium rerum, consiliorumque suorum, socius comesque tanta Majestatis habitus, qui in filiorum loco fueras, sicut sua benignitas ferebat, hunc Dominum praecceptorem, parentem repente relinquant, deseras, prodas, tradas inimicis? quid dicam amplius? ad mortem, et ad crucis ignominiam? O scelus. O portentum in ultimas terras exportandum. Non equidem potest ea natura, quae tantum sacrilegium commiserit, mortem nisi exitu deterrimo oppetere. Credibile est postea mortem sibi ipsi consciscat: et si Cain, et alios spectamus, ut desperatione veniae consequendae laqueo se suspendat.

#### LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

quinti generis a fabulis, testimoniis, interpretatione, comparatione, de vi conscientiae.

**M**hi equidem saepe venit in mentem cogitare furorem, et insaniam, in quam peccatores incidunt, atque angores ipsos, diurnos, nocturnosque animorum cruciatus, atque has in hoc saeculo jam incipere sceleratos experiri poenas in impios, atque damnatos ab immortali Deo ipsis inferiorum sedibus constitutas. Quod et fabulis poetae tradiderunt. Neque vos debetis cogitare, quemadmodum ex fabulis accepistis consceleratas mentes deterri furiarum taedis ar-

dentibus: improbi fraudibus suis, sceleribus suis, atque flagitiis nefariis de statu mentis deiciuntur, et furere ac bacchari, insanientium ac furiosorum more videntur. Hae sunt furiae, hae flammæ, hae faces, quae nefarios homines de sanitate, ac mente deturbant: ut hos nemo non tragicis illis hominibus furiosis, et amentibus, Oreste scilicet, atque Athamante furiosiores, et amentiores putet.

#### LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

sexti generis per apostropham, cum exem-

**H**ic paupertas. Si divites omnes cum fortunatis hujus saeculi existant: si tu Cræsse, qui inter illos florebas, hanc causam velis cum Mida suscipere: si Cæsares foras exeant, si denique Syllae, et Alexandri: tamen superior sim, necesse est. Non enim quemadmodum videtis absoluta felicitas est in auro, sed incommoda multa, atque miseriae: quas depellere nisi bona conscientia, nulla res possit.

#### LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

septimi generis ex diversis locis, ex propositione, conglobatis, sine effectis, distributione, similitudine, comparatione, in laudem nobilitatis.



**M**AGNI semper habita fuit apud omnes gentes, atque nationes nobilitas generis: quae est splendor civitatis, gloria Reipublicae, decus illustre mortalium, ornamentum antiquitatis, et omnis memoriae florentis: Homines enim nobili loco nati, et claris parentibus orti ab initio nascentis

muridi tanto in honore esse coeperunt. Eamque opinionem populo attulerunt, ut orbis terrarum lumina, et decora dicerentur. Neque ullum domi, neque militiae praeclearum facinus suscipi posse putabant homines, quod non a nobilitate profectum fuisset. Ita nobiles viri bello domando Reges potentissimos, subjiciendo bellicosissimas gentes, et reportatis victoriis adjungendo provincias ad imperia sua, fines regnorum propagarunt. Quot, et quam magnae fuerunt utilitates domi comparatae moenibus ipsis, atque adeo intra moenia civitatis; cum nobiles gerebant magistratus, et tractabant gubernacula imperiorum? Nihil equidem humile, neque abjectum, omnia, nescio, quomodo magna, et excelsa suis animis complectebantur. Siquid veterum aetate gestum fuit illustri memoria dignissimum, ab hoc nobilium genere tentatum, ac profectum videbatur. Quid hic referam Romanos, quorum civitas in plebejorum, equestrem, et Patritium ordinem distributa peperit illustres viros, nobilitate majorum clarissimos, Scipiones, Camillos, Fabios, Curtios, Caesares, qui Romanum imperium extremis orbis terrarum finibus terminarunt? quis nescit Athenas splendore nobilium illustratas? Cimon, Miltiades, Aristides, Pericles, a quibus tam multa egregia fuerunt suscepta facinora, tum contra barbaros, tum contra Graecos, omnes isti in amplissimis familiis numerantur. An possumus ignorare Thebanos, et Spartiatas, Heraclidarum gentem, qui Pelopidarum potentiam copiis exiguis fregerunt, et rebus Atticis in ultimum discrimen adductis saepe lucem attulerunt. Fuit tantum antiquis temporibus tributum nobilitati generis, ut viri clarissimi ementirentur genus suum, et nobilitatem ad deos impudenter referrent. Erat enim opinio, quae per animos hominum pervaserat, ut viros maximos non nisi femine divino procreatos existimarent. Hac opinione homines imbuti Theseum Neptuni filium habuerunt, Romulum item Martis. Alexander autem Magnus se filium Iovis dici gaudebat multis post annis, quod etiam in Scipio-

pione Africano veteres metiebantur. Fuit enim de isto viro inanissimo rumore sparsum, atque dissipatum, quod ante de Alexandro Magno jactabatur in vulgus, anguis concubitu, non ex hominis semine susceptum fuisse Scipionem. Quod si mentis aciem ad sacras litteras intendamus, quantum illae nobis dant testimonium delectu, et discrimine familiarum illustrium. Vt enim reliquos omittamus, constat eos, qui a Iuda fuerunt procreati, inter omnes familias generis Hebraeorum claritate virtutis, et nobilitatis praestitisse. Ex duodecim Principibus primus habebatur, qui fuisset de Iudae stirpe susceptus. Hic primus agmen ducebat, primus vota faciebat, primus immolabat: hujus imperium, et auctoritatem reliqui sequebantur. Vt autem de veteribus hisce stematibus plura dicere desinamus, et ad Legis nostrae monumenta veniamus, et Iosephi, et Mariae nobilitatem sacri Praecones rerum Christi Iesu praecclare, sanctaeque gestarum suis monumentis sanctissimis consignatam reliquerunt. Atque ipse Doctor gentium ad Romanos, cum utriusque naturae splendorem, et dignitatem in Christo celebret, tum secundum naturam generis humani Iesum Christum ex Regia, et excelsa Davidis stirpe procreatum esse commemorat. Nostra vero, et parentum nostrorum memoria omnibus saeculis, et aetatibus Christianorum nobiles in quanta gloria fuerunt? tacita nostrorum hominum insignia praeteriri non debent. Nimum diu de istis insignibus tacuimus, loquamur de praestanti genere familiarum: quarum cognomenta propter splendorem, et claritatem suam, quis ignorare potest? Recordemur Medozios, Henriquios, Manriquios, Guzmanios, Riberas, Gironios, Saavedras, Portugalienses, Pontios, Leonios, et simili splendore praeditos: quorum cognomenta clara, et illustria, quam regia, et excelsa sint, tituli diversi, clarissimique, fumosae, vetustissimaeque imagines, stemmata omni monumentorum splendore gloriosissima, Leones, Lupi, Castella, Lebetes, Flores, Stellae nitidae, capita diversorum animalium, Serpentes vario



multiplicique inflexu retorti in omnem saeculorum aeternitatem, immortalitatemque reliquerunt. Harum familiarum viros videas plerunque multis bonorum copiis cumulatos reditus habere quam multos, quibus se magnifice possunt alere. Cernas alios tenere ditionem amplissimam Comitum, Marchionum, Ducum, et Principum potentissimorum, neque communi, et usitato more appellari, sed titulis ipsius dominationis, clarissimaeque ditionis honoribus affici, atque hanc tantam eminentiam progredi usque eo, ut nihil in terris videri possit illustrius, neque magnificentius. Est illud amplissimum decus, et ornamentum nobilitatis, quod positum est in insignibus Aurei Velleris consecutus. Videre enim est huiusmodi Magnates, et regnorum Principes Hispanorum gestantes venustissimum agnum ex auro purissimo factum, eximiaque venustate de collo pendentem. Audire quoque potuimus, et meminisse tradita litterarum monumentis majorum stemmata celsissima, atque ipsam generis antiquitatem jam inde a vetustissimis temporibus repetitam, jaetantemque magnificentissime: quo vetustior enim fuerit, eo clarior, et illustrior habebitur generis splendor, et gloriosa prosapia. Nulla res est, neque tantis praesidiis munita, neque tam illustris, et egregia, neque tam praecellens, et ad aspectum oculorum insignis, quae non vetustate temporum deformari, aut senio confici non posse videatur. Ipsae turres celsissimae, muri civitatum fortissimi, quaecunque Regiae arces, et aedificia mirabili opere facta temporis vetustate deformantur, corruuntque: veruntamen nobilitas generis, quo dedit antiquiora principia, et memoriam parentum suorum a primis cultoribus Religionis Christianae repetierit, pluribus ornamentis claritatis, et gloriae redundabit. Soleo mecum tacitus considerare in media noctis obscuritate, et tenebris omni generi rerum offusis caelum ipsum patens, et apertum, tranquillum atque sereneum, sideribus clarissimis ornatum, et cum splendorem luminum clarissimorum ad res humanas conferendum curo,

nobiles in animo versantur, et mentis oculis occurrunt: qui nobilitate sua, claritate generis, et splendore majorum urbes ipsas, quas incolunt, cernuntur illustrare. Quamobrem non immerito multi lumina, alii decora, et ornamenta civitatum appellat viros nobilissimos, et clarissimos. Ut enim res quae runtur ad decus, et ad ornatum civitatis, quae habeant speciem, et aspectum illustrem, et idoneae sint ad usum, et ad commoditates communes, atque harum duarum rerum genere illustratur status Reip. et incolumitas conservatur bene constitutae civitatis: ita ad honorem, et ad gloriam civitatis, ad decus, et ad splendorem Reip. clarissimum genus hoc virorum illustrium valet plurimum, et usui maximo rebus semper publicis fuisse constat. Quod virtus in posteritatem infundi quidem, et ad illos quasi jure haereditario transferri videatur: ut hi plerunque nihil agant, nihil cogitent, nisi omni laude, et honore sempiterno dignissimum.

#### LOCVS COMMVNIS VIGESIMI

de octavi generis de Regia dignitate, ex efficienti, effectis, enumeratione, comparatione, exemplis:

(S)

**A**D laudem Regis Ferdinandi satis esset Regia dignitas, ad quam evectus est. Quae quantam habet speciem, et dignitatem amplissimam? quantum diffundit splendorem per omnes orbis terrarum partes suae Majestatis fulgore clarissimo? quod ornamentum, et lumen Solis ipsius splendore clarius ostentat, quo caeteri gradus honorum, et status omnis amplissimus Principum clarissimorum obscuratur? Quin etiam quidquid laudis, et honoris habent, quidquid decoris, et ornamentum, quidquid potestatis, et dignitatis retinet, id a Regum imperio, potestateque summi terrarum Principes acceperunt. Quamobrem si dicto Regiae Majestatis parat, et omnes de uno

Rege semper explēdo solliciti sunt, Regū voluntatē, et nū-  
 tum observant: ut non ad iussa solum, sed ad significationē,  
 sensusque omnes Regios mentes, volūtatēque accōmodēt:  
 ut autem Reges de illis voluntatem praeclaram habeant, et  
 retineāt; si quis calamitosus casus acciderit, ut eam abjecerint,  
 ut abjectam recuperent, modos omnes, et conatus adhibent,  
 ut ex illorum numero sint, qui ad Regiam Majestatem aditus  
 habeant facillimos, atque ipsos aliis auctoritate sua pateface-  
 re possint. Quod si ex Magnatum numero sint, qui capite o-  
 perto loquantur, et cum immunitate omni, et praerogati-  
 va plurima in aula Regia versentur, quantopere isti fortuna-  
 ti, atque florentes Principes exsultant, atque magnifice triū-  
 phant? Magnum etiam est Reges innumerabilem multitudi-  
 nem hominum sibi subjectam habere, dominari tot populis,  
 atque civitatibus, tot provincias, et regna potētissima in sua  
 fide, et potestate habere, tot gentes multa Regibus vectigalia  
 pendere, exigere quotannis eosdem immēsa tributa, dare le-  
 ges, et jura subjectis sibi gentibus, ipsos coli, venerari, suscipi  
 tanquam numen de caelo delapsum, metui ab hostibus, exer-  
 citus ab his constari multos, mitti coactos milites in exteras  
 gentes, et regiones disjunctissimas, eosdem Majestatis nomi-  
 ne, et honore affici. Quorum virtutes praeclarae cum conspiciuntur,  
 et omnia, quae debent in Regibus inesse, ornāmē-  
 ta reperiuntur, liberalitas, benignitas, humanitas, fortitudo,  
 consilium, prudentia, cura conservandi, et amplificandi reg-  
 na, quae a majoribus acceperūt, in improbos severitas, et de-  
 siderium justitiae servādae, quantis potētissimi Reges laudi-  
 bus afficiuntur? qui in illorum ditione sunt, quanto Regiam  
 Majestatem amore prosequuntur? quam insatiabili flagrant  
 horum Regum cupiditate visendorum? quibus precationi-  
 bus utuntur? quae vota faciunt, ut Deus optimus, ac maxi-  
 mus Celsitatē tantā Regū conservet? et donis multis, ac mu-  
 nerib⁹ afficiat? no varū indies accelsione provinciarū regna  
 sua augeat, et amplifiet? Cōplectimini quaeſo animis, quā-  
 do

do oculis non potestis egressum Regis e civitate. Quae gens  
 est aut tam polita, et humana? aut tam horrida, et inculta, a-  
 pud quam Regium semper nomen sanctum non fuerit? quā  
 omnis gens caros Reges habuerit magno quidem id est ar-  
 gumento, quod egressus Regum tanto studio, et frequentia  
 omnis generis hominum celebratur, ut pueri cursitent, viri  
 properent, senes, quantum possint, accelerēt, virgines etiam,  
 et honestae mulieres pudore teneri non possint, quominus  
 egrediantur ad Reges aspiciendos. Quae effusiones? qui concursus?  
 viae multitudinem capere non possunt, fenestrae oc-  
 cupantur multo ante, quam Reges praetereant, exitus, et ad-  
 it⁹ omnes occludūtur, plausus vero, et acclamationes mag-  
 nae, magnae admirationes effectae ex solo Regū tantorū as-  
 pectu, oculi omnium in Reges coniecti sunt, et cunctorum  
 ora conversa mortalium: ut strepitu, atque tumultu, clamori-  
 bus sublatis in caelum, dum omnes fausta, et felicia Regibus  
 precantur, omnia commoveri necessarium sit. Interim dum  
 Reges aulicorum tāta specie, tam illustri pompa progrediun-  
 tur dynastis, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, et Opti-  
 matibus regnorum visendo splendore procedētibus, et Prin-  
 cipe clarissimo gladium districtum dextra, elatumque in  
 sublime gerēte ipsi clarissimi omnium, et ultimi spectantur  
 custodibus corporis stipati, quae Celsitas Regum, et Majestas  
 visenda? Nihil ex humanis majus homines videre possūt: ni-  
 hil addi potest ad Celsitatem, et Majestatem Regiam. Non  
 mentis oculis cernere videmini Regem incredibili specie, ac  
 Majestate visenda, cum illustri cultu, et ornatu Regio, coro-  
 na ex auro gemmis multis, et pretiosissimis ornata, tum sce-  
 ptro Regali auri splēdore clarissimo, bulla pulcerrima de col-  
 lo pendente, nitore specioso tantopere splendentem, fulgen-  
 temque clarissime inter stipatores corporis armatos, qui bi-  
 pennes, fasces horribiles, ad custodiam corporis tributas ge-  
 runt. Cum vero sedet in Regali folio, suis insignibus Regiis,  
 Majestate, et Celsitate augustissima, Magnatum multitudine

cohoneſtatus a lateribus, qui omnes a fronte, et a tergo ſtant apertis capitibus, quanvis fuerint ex flore aulicorum, quantum affert intuentibus admirationē? quam incredibile? Roma Reges ſuos jactare potuiſſet, qui trabea, et purpura fulgēti ornati, cum diademate in capite, in ſella aurea conſidebāt, ſiniſtraque tenentes ancile, quod inſigne fuerat Regiae Maieſtatis: praeibant homines, qui quattuor, et viginti falces, in ſignia regni praeferēbāt. Reges Perſarum raro prodibant in publicum, et cum prodire ſolebant, nunquam pedites egrediebantur, neque vehebātur in equo per vias publicas, atque plateas civitatum, ſed in lectica ſemper incluſi multis prae-euntibus, et cōſequētibus progrediebantur, undique tota oportea pretioſiſſimo ornatu. a fronte, a tergo, et a lateribus, caveae cū pulcerrimarū omni genere avicularum pendebant: in quibus aviculae concluſae, quacunque Reges progrediebātur, ſuaviſſimis cātibus aures demulcebāt. Et cū viae floribus, ac violis ſparſae eſſent, omnes ad Maieſtatem Regiā venerandam in terram proni abjiciebant ſe ſe. Duo etiam veſtitu pulcerrimo amicti praeibant, qui thuribus lecticam odorum ſuavitate perfunderent: ut cū ſuaviſſimus odor ferretur in ſublime, omnes viae fumare thuris odore viderentur. Sed quid opus eſt Maieſtatem Regiam magis ornare dicendo? Fuit ſemper Regium nomen in honore magno, quod nulla unquam barbaries violavit, colere autem, et ſuſpicere ſemper conata fuit. Quamobrem fictis fabulis poētarū Iovis ſatu procreatos fuiſſe Reges accepimus: ut oſtenderent illi Regiam Maieſtatem non ſolum eſſe Dei providentia conſtitutam, ſed ſingulari illius ope, et beneficio conſervatā. Quā obrem hoc fuit ab initio regnorum omnium fundamentū, ut Reges bene morati juſtitiae fruēdae cauſa, ut olim apud Macedos, conſtituti fuerint. Atque Regibus omnes antiquae gentes paruerunt, quod genus imperii primū ad homines juſtiſſimos, et ſapientiſſimos deferebatur: idque in Rep. Romana maxime valuit, quoad Cōſularis poteſtas praeſuit: apud quos

Re

Regibus exactis, Regis nomine repudiato res manebat, id eſt ſpecies, et amplitudo regnādi. Qui ita ſapiēter regna ſibi delata gubernare coeperūt, ut homines, qui erāt in agris diſperſi ac diſſipati Regum auctoritate, et conſilio unum in locū cōpulſi fuerint, et moenibus ipsis contenti civitatum, et legum ſeveritate devincti. Quoniam vero neceſſarium erat inter propinquas gentes bella frequenter excitari, uſu, et exercitatione militari Reges fortiſſimi Imperatores evaſerunt, et ad vota nuncupanda, ad ſacrificia faciēda ſacerdotum munere functi fuerunt, ut apud eos eſſet poteſtas rerum urbanarum, atque ſacrarum: donec cum imperia mole, et magnitudine laborarent ſua, neque utrunque officiū ſine alterius detrimento facere potuiſſent, ſacerdotes creati fuerunt, placandis diis, et rebus divinis rite peragendis, et cultui divino tribuēdo praeſecti. O magna Regū dignitas, ac longe lateque propagata potentia, et omniū maxima, quae ſunt in orbe terrarum, ſola dignitates Principum huius ſaeculi ſibi ipſi ſubjectas habens. Quantum montes ipſi tolluntur a terra ſupra valles infimas, quātū caelū iſtud, quod ultimum a terra cernitur, globo telluris altius, atque ſublimius aſcendit, tantum equidem Reges dignitatem, et Maieſtatem ſuam ſupra cunctorum huius ſaeculi Principum amplitudinem efferunt, et extollunt. Principes alii lineae quidem adumbratae vidētur comparatae ad nitidas, et illuſtres picturas: radii e Solis ſplēdore minimi proſecti, relati ad lucē Solis clariffimā, cū ad medium diem ille fertur altiffimus: ſtellulae caelo ipſi inhaerentes, et reſeſſu Solis ſplendentes dumtaxat: quae, cum Sol exoritur claritate, tanti luminis obſcurantur. Tantum dignitatis, potentiae, et ſplendoris Celſitas, et Maieſtas ſibi Regia comparavit.

AD SUPERIORIS EXERCITATIONIS modum de Conſiliariis

Regiis.

Xx 4

Per

352  
**P**ervenisti, vir clarissime, ad Cōsiliarii Regii am-  
 plitudinem, cujus potestas in regnis Hispaniarū  
 clarissime cernitur, et ad jurisdictionem totius  
 prope imperii pertinet, atque propagatur. Nam  
 quis est, cui aut splendore, aut potestate, aut ullo  
 genere ornamentorū non Cōsiliarii Regii excellant, quo-  
 rum splendor, et potestas Magistratibus reliquis obscuritatē  
 afferūt? Nō Quaesitores missi ad quaestiones de negotiis ma-  
 ximis habendas, non Praetores illustres civitatum amplissi-  
 marum, non Triumviri capitales, non caeteri, qui gerūt ho-  
 nores, in quacunque Hispaniarum, aut provinciarum Hispa-  
 niae subjectarum parte clarissimos, cum Cōsiliariis Regiis  
 de laude, et splendore decertare possunt: qui in ipsam Regii  
 Senatus dignitatē eVecti imperium habent, et potestatem in  
 Praetores, et in reliquos Magistratus nominatos, et a nobis  
 silentio praeteritos propter suam nō tam memorabilē prae-  
 stantiam, a quibus ad Regia Cōsilia provocatio datur.  
 Et cum vis infertur, et jure optimo res non geruntur, id est,  
 non ex aequo, et bono, sed ex callido, et versuto jure nō nul-  
 lae cōstituūtur, Cōsiliarii Regii auctoritate, et potestate Re-  
 gis intercedunt. Qui sunt, qui judicia omnium maxime fieri,  
 omnium optime exerceri faciunt? Cōsiliarii Regii. Qui sunt  
 qui jura constituunt, jus optimum, privatū, publicum, haereditarium,  
 auctoritatis, mancipii, capitis, honoris, regnorū?  
 Cōsiliarii Regii. Qui sunt, qui, cum litigatores ad jus descē-  
 derunt, juris aequabilitatem tenere, et nunquā adducti prae-  
 stātia generis, aut dignitatis jus transilire visi sunt? Cōsiliarii  
 Regii. Qui sunt, qui jus per se expetendum, et colendum, nō  
 alio jure deteriore pauperes esse, quam divites, sed eodē sem-  
 per, et aequabili effecerunt? Cōsiliarii Regii. Qui sunt, qui ca-  
 lamitosos hominibus, cum iudices iniquo jure imperarūt, fa-  
 ciunt potestatem pro jure, quo res eorum sūt, optimo, aut  
 meliore, contendendi? Cōsiliarii Regii. Qui sunt, qui cum  
 pauperes jus suum postulant, et iniquitate Praetoris alicujus  
 ami-

amiserunt, ut illud recuperent, severissima decreta faciunt?  
 Cōsiliarii Regii. Qui sunt, qui quod cujusque jus sit in rem  
 suam, quantum Reges juris habeant in populos, in urbes, aut  
 in regna, decernunt? Cōsiliarii Regii. Qui sunt denique, qui  
 faciunt, ut quisque jus suum obtineat, ut quidquid jure civi-  
 li perscriptum est, lege naturae, et communi jure gētium san-  
 citum, hoc homines ita teneant, ut sit constitutum? Cōsilia-  
 rii Regii. Quid plura? totus orbis terrarū, et moles imperio-  
 rum suis humeris inclinata recūbit. Si homines jura colūt,  
 si pacem habemus, si libidines ressecātur, et cupiditates effrae-  
 natae reprimuntur: si quae improbi scelera suscipiunt, vindi-  
 cantur acerrime: quidquid boni, pacis, et fidei sit in Repub. id  
 omne Regiis Cōsiliariis referre debemus acceptum. Roma-  
 ni initio nascētis Reipublicae praeter alios Magistratus crea-  
 verunt Praetorem, qui juri dicundo praesset: praeliis vero  
 maximis confectis, et multis provinciis ad populi Romani  
 imperium adjunctis conventus habuerūt in civitatibus pro-  
 vinciarum amplioribus, quae in suo regno, ac ditione erant:  
 horum officium erat de jure respondere gentibus, et habere  
 summam imperii potestatem. Ut alias provincias omittā-  
 mus, Baetica quattuor convētus suppeditare poterat, Ga-  
 ditanum, Astigitanum, Cordubensem, et omnium maximum  
 Hispalensem. Sunt equidem Cōsiliarii Regii gladii fulgē-  
 res, atque districti, et semper oppositi sceleratis hominibus ad  
 illorum libidines ressecādas, et ad scelera gravissima vindicā-  
 da: ut quos non pudor, nō hominum aspectus, non metus di-  
 vini Numinis, non ipsa humanitas, nō lex naturae in officio  
 continere possit, hi magnitudine suppliciorum, et metu  
 Regii Senatus a scelere revocentur. Quod si in civitatibus  
 amplissimis, et ornatissimis Italiae, et aliarum gentium prae-  
 sidia collocata sunt contra eos, qui quamquam in officio, at-  
 que fide sint, tamen ad defectionem spectare possunt: quorū  
 milites semper in armis sunt, semper excubant, ac vigilant, ne  
 gentes in fidem acceptae possint ab Hispaniarum Rege defi-


cere, quanto majora praesidia sunt? quanto firmiora Cōsiliariorum hujusmodi, et tutiora ad ipsorum non solum militū insolentiam frangendam, sed ad fibras omnes scelerum, atque vitiorum extirpandas? Duces tractant arma, Consiliiarii Regii versant leges, et responsa Jurisconsultorum. Duces in custodia civitatis positi, Consiliiarii Regii non solum urbem custodiunt, sed ipsos impetus faciendos retardant atque remorantur. Duces in armis esse, et in vigilia civitatis videtur, Cōsiliarii Regii evaginato gladio justitiae, et quasi objecto nefariis hominibus eandē custodiūt. Duces tela jaciūt, et intorquent, si se quisquā commoverit, et ad arma, ad arma cōclamando, vim omnem tormentorum emittunt, Consiliiarii Regii publicam custodiam, infamiam, et ignominiam, spoliationem honorum, poenas capitis intendunt, et aliis generibus suppliciorum projectam, et effraenatā audaciam hominum nefariorum comprimunt, atque coercent. Lustremus obsecro mentis oculis Hispaniarum regna florentissima, et animis ipsis complectamur clarissimas, et ornatissimas civitates. In Baetica provincia Hispali, et Granatae, in Gallaecia Coruñae, in Castella veteri Pinciae Praetoria sunt Regia: in Castella nova Madriti multitudo, et praestantia Consiliorum Regis ad diversa munera, et officia praestanda: unum est Militare, alterum Indicum, tertium ordinum Equestrium, et omnium maximū, et amplissimum Regii Senatus, summum, et cōmune praesidium Hispaniarum. Nō hos Cōsiliarios, et ex virgis, et fascibus imperiorum internores, sed ex togis ad talos usque demissis. Harum manicas induunt paulo inferius cubito angustas, et adductas, a reliquo brachio laxiores, et interfectas scissuris: quarum causa in circuitu necesse est his in partibus apertas videri. quae humeros versus in sublime feruntur arcuatae, et in similitudinem spirarum: a fronte aperta sunt, et a summo ad pedes usque patentes, a lateribus, et a tergo laxae admodum, et amplissimae sinus efficiunt mirabiles, et longissimos: concava sua laxitate speciosissima: ut pla-

ne ipso vestitu, et aspectu, in singulis Consiliiariis Regiis exemplum imperii Regii, imaginē Majestatis Celsissimae, columnē Hispaniarum possimus intueri.

## AD SUPERIORIS EXERCITATIO-

nis modum locus communis in Quaesi-

toribus Haereticae pravitatis.



Vantam, clarissime vir, sustines personā? quantā dignitatem geris? utilem, et necessariā, honorificam etiam, et totam ad honorem, et decus immortalis Dei tuendū. Age singula perficiamus. Iudex emines causarum sacrae Fidei, et Quaesitor haereticae pravitatis. Quaesitores equidē sacrae Fidei dono ac munere Dei optimi ac maximi cōstituti estis ad conservandam Religionem Christianam, ad depellendos pravitatis errores, et ad incendia extinguenda, quorum ardore sine dubitatione partes Hispaniarum quam plurimae conflagrassent, nisi caelestibus aquis Censorum Fidei sanctissimorum incēdia tot extincta fuissent. Si magno in honore fuerunt illi, qui conservatores patriae dicebantur, quia faces ad urbiū incendiū excitatas extinxerunt: si Metellus ille, cognomēto Pius appellatus Romanorum litteris celebratur, qui Minervā periculo vitae suae, flammis e mediis eripuit: si maxima laus, et honos jure optimo debetur cōferētibus operā, et studiū suum in gloriā, et honorē Majestatis aeternae: quibus laudibus Quaesitores sacrae Fidei prosequemur? quibus Inquisitores honoribus, et ornamentis afficiemus? qui nō parietes, nō moenia, atque adeo tecta civitatis ex ferro, et flammis hostilibus eripiunt, sed ipsam Religionē ex impiis manibus, et ore sacrilego nostrorum hostiū sui vigilātia tuetur atque defendūt? nō corpora, sed animos Christianorum, nō opes, atque divitias, sed ipsas virtutes, et ornamenta caelestia conservāt? nos has flammās, ignesque manib⁹ hominū accēsos, sed

flamas, et incēdia inferorum extingunt. Nō ut Metellus simulachrum Minervae, sed ipsas imagines sanctorū, et effigiem Virginis Mariae, simulachra Christi Iesu, aras, et templa sanctissima, tot opera, et monimenta sanctorum salva, et integra conservant. Quoties hostes Fidei sacram Religionem appetierūt? quoties conati sunt tollere de medio ritus, et caeremonias nostras, rem, quam faciunt sacerdotes in templis, divinam, expiationem animorum, sensum ac dolorem peccatorum, cōpressiones omnes corporis, castigationes, et afflictationes reliquas, in ediam, vigiliis ad sanctorum imagines suis ipsis pervigiliis, actas, exercitationes virtutis, ipsam denique Hostiam, Corpus Christi Iesu de sacrariis amovere, vitam relinquendo liberam ac solutam, otiosam, et plenam voluptatibus? quoties hostes ipsi diffuderūt errores plenos impietatis, abrogando Romani Pontificis auctoritatem, deridendo hujusce Vicarii Iesu Christi decreta sanctissima, contemnendo potestatem a Deo factam Pōtificibus hujusmodi aperiendi fores caelorum, eisdemque claudendi ex divinae justitiae praescriptionibus, donandi omnem immunitatem, et praerogativam concessam, denique facultatē eruendi manes ex ignis purgantis poenis? quoties hostes iidem deriserūt diplomata Romani Pōtificis, jubileorū omniū maximā vim, quibus venia datur scelerum hominibus omni culpa, poenaque liberandis? Vbi splendor Galliae, quae multis in partibus colorem veterem, et formam Christianae gentis amisit repudiatis Fidei Christianae dogmatibus divinis? ubi verus ille cultus Germaniae, et antiquitas Religionis studio Romanorum Pontificum, et diligentia per omnes populos, civitatesque suas enuntiatae? Quas in Anglia hisce temporibus aspiciamus clades, et calamitates maximas? quae vulnera totius regni visceribus inflicta crudelissima tanta cum perniciē animorum, et internecione omnis generis hominū? quemadmodum tot gentes abjectis nostrae Fidei divinis placitis dant se praecipites in obscuras inferorum regiones novis

sectis.

sectis, atque religionibus (ut illi vocant) nefariis ascitis. Ipsa nunc Scotia, partes aliae terrarum, Flandria magna ex parte a gremio Matris Ecclesiae divulsa quantis in tenebris, et caligine jacet? Quae (malum) est ista perversitas? unde tanta corruptela morum, ut Ecclesiae, quae quondam in illis sedibus fuerant sanctissimae, jam nunc in popinas conversae fuerint, et ganearum suarum fumo, nidoreque deterrimo redundēt, disjectis aris, disturbatisque simulachris, et ipsis sanctorum imaginibus, quae sine dolore dici non possunt, fractis, atque pedibus nefariorum hominum tractis, atque raptatis, et consputatis ore improborum haereticorum, atque omni foeditate deformatis? In multis haereticorum regnis, nulli monialium conventus, nulla sacrarum familiarum coenobia, Virgines sacrae Deo, et triūvotorum religione devinctae, e suis aedibus repagulis omnibus perfractis, et foribus dirutis abstractae, et multae per vim violatae fuerūt. Quot ex suis regnis ejectae partim fugientes exfulant, atque alienis in locis Christianorum Principum misericordia vivunt? Qui vero cultores Christianae Religionis in his sedibus manserunt, pauci quidem sunt: atque hi occulte Christianam Fidem retinent, et partim iniquitate decretorum multis injuriis vexantur, et omni dedecore operiuntur, partim opprimuntur multitudinis tributorum, et exactio- num acerbissimarum. Quae decreta Reginae Anglicanae, perditae ac proffigatae Elisabethae exierunt, et emanarunt in vulgus? quot testimonia falsa dicuntur in cultores Christianae Fidei? quot judicia fiunt, et exercentur quotidie? haeresis erecto collo, tumidis cervicibus, evaginato gladio, ferrum semper, et crudelitatem spirans generi Christianorum crucem, mortem, et omnes suppliciorū acerbitates crudeliter expromit. Proxima his partibus Flandria abhinc quot annos magna ex parte Christianam Religionem abjecit? et bellum impia Christianis fecit, et adhuc facit haereseos erroribus implicata, tenebris circumfusa pravitatum omnium? quod nisi Philippus Hispaniarum

Y y 3

Rex

Rex potentissimus tam multos annos sustinisset, et animus illi esset persequendi, et conferendi opes omnes, si opus fuisset, potentiamque regnorum ad subigendam, debellandam, que gentem hanc impiam, scelestamque, jam sceleribus suis Angliam adaequasset, et in eisdem tenebris, et obscuritate omnino jacuisset. Hisce vero temporibus quot exorti fuerunt illis in externis Galliarum domiciliis, reliquisque cõtaminatis haereseos labe regnis, qui nova mōstra, nova prodigia inveniunt? Quae nulla unquam barbara gens, nec immanitate negavit efferata, negat isti, atque excludunt divini Numinis cultum: Deum ipsum ejiciunt, atque exterminant e suis sedibus, et politici volunt appellari, id est politi, et elegantes. Quod istud elegantiae verbum? quam munditiam, quem cultum audio? vestro more vivere? ritu pecudum intemperantissimarum? in praesentem diem? in hoc breve saeculum, atque cito perituum? non in sempiternum tempus? in aeternitates saeculorum omnium? in illam felicem beatorum immortalitatem homines spectare, posse dicetis? Ago tibi gratias, Assertor humani generis maxime, propter conservatam Hispaniam, et Fidem retentam in his regnis Hispaniarum. Qui errores proficisci, et occulte primo serpere coeperunt? qui sese latissime spargerent, atque disseminarent in Hispaniam omnem, totam Castellam veterem inficiendo, deinde novam ipsam pervaderent, et fines contaminarent Baeticae sua contagione deterrima, nisi Deus optimus ac maximus providisset dono ac munere Censorum Fidei sanctissimae? Ecce, nescio, quis Caecalla deterrimus in Castella veteri, in Baetica, nescio, qui Egidii, qui Constantini, Fidei turbines atque procellae erroribus Lutheri metes hominum imbuebant, sua clam illi conventicula, sua conciliabula habebant, atque illa quo magis occultari possent, nocturna: sed Quaesitores sanctissimi occurrerunt in tempore, et praeciderunt fibras tantae contagionis: ne semet, aut stirps ulla maneret haereseos ad perniciem Hispaniarum. O caeleste munus. O divinum inventum, atque institutum Censoriae dig-

dignitatis excelsum. Si vos, Inquisitores sanctissimi, potestatem haberetis in Flandriam, si tribunalia vestra haberetis in Anglia, si vos Gallia, si vos reliquae gentes his haereseos venenis infectae recepisset, expertes illae tatarum miseriarum, et aerunarum fuisset. Quam clarae omnes modo staret? quam salvae, et incolumes? quam integrae, atque florentes? Nulla in his partibus esset de Religione dissensio, nulla discrepantia voluntatum, nullum dissidium vitae, neque morum. Non ita Brutani haeretici amentia sua, furoreque praecipites turbulentis, ac seditiosis clamoribus maximas Reipublicae Christianae partes distrahere, ac discerpere conati essent: non congregatos dissipando, et concordantes in multas dissimiles, atque inter se pugnantes opiniones distrahendo sacra profanis miscere, et cõturbare niterentur. Haeresis multum ac diu bella Christianis fecit a primis temporibus nascētis Ecclesiae, ab ipsa memoria Apostolorum. Nihil de Nicolaitis dicam, nihil de Hebionitis, nihil de aliis gregibus impurissimis transfugarum: qui jam tum ab Apostolorum saeculis magnos in Ecclesia tumultus, et discordias perniciosas concitarunt. Non colligam Arrianos, Sabellianos, Eunomianos, aliasque veteres pestes, ac furias, quae divisae contrariis erroribus, magnas, nobilesque partes a toto corpore abscissas ad perniciem, et interitum abstraxerunt: alios turbines, alias procellas intueamur animis, quae nostra, patrumque memoria in locis supra nominatis exstiterunt. Nondum septuagesimus annus est a Lutheri nefaria oppugnatione: audivimus nefaria, crudelia, et exitiosa bella in Germania, qualia nulla unquam barbaria cum sua gente gessit: quae misera nunc, et perdita, non solum ab Ecclesiae communione segregata, sed etiam in haeticorum factiones innumerabiles distracta, quotidie veteres opiniones contemnens, amplexans novas, calamitatibus ipsa suis pascitur, atque delectatur. Abhinc quot annos Calvinus, nescio, quis illustre suum nomen Ecclesiae calamitate reddere vellet coepit. Vidimus prope oculis nostris per multos annos, et

vidimus, atque videmus totam Flandriam in armis non usitato, non humano more tumultuantem. Quam multa oppida a Rege Catholico defecerunt, quam multa denuo concitata fuerunt? quot ad defectionem alias gentes sollicitarunt? et finitimarum provinciarum auxilia depoposcerunt, et efflagitarunt? quot admiserunt alienigenas in regnum, ut bellum sustinerent, atque prosequerentur in hisce locis? quot Christiani, viri nobiles, et optimi ereptis bonis, e civitatibus cuncti suis praecipites eieci? quam indignae monachorum, et sacerdotum factae caedes? quae strages editae? a quibus templis religiosis, et antiquis, ornatis, et refertis impias, et incestas manus illae bestiae continuerunt? cur illae generis humani pestes, faces patriae, Religionis hostes, sacrorum praedones, labe, ac ruinae orbis terrarum, spreta antiqua disciplina, sanctissimis templis incensis, fractis, atque prostratis pietatis majorum monumentis, polluta religione, cum omnia divina, et humana jura violaverint, in suis gancarum tenebris, cibo, vinoque confecti, eructantes sermonibus caedes honorum, direptiones urbium, regnorum vastationes, et incendia, occasum, et interitum Christianorum, tandiu, nimium quidem, manere potuerunt? Quia in illis partibus, in Galliarum sedibus ordo Iudicum sacrae Fidei causarum sanctissimus signa ex arce Religionis Christianae, ipsa vexilla Iesu Christi non sustulit. Qui si fuissent, ut in Hispaniarum regnis, non audivissemus tot haereticorum portenta, aut diu profecto illa non mansissent: non illorum, de quibus supra diximus, politicorum nova secta exorta fuisset. Quo nomine vos appellé Quaesitores sanctissimi? Quanti ponderis, ac momenti sit vestra dignitas in Religione Christiana, mala nationum aliarum, et incolumitas Hispaniae, atque integritas declarabunt. An vero fieri posse putamus, ut his incendiis Hispania non deflagrasset finitima Maurorum gentibus, inter Hispanos generis Iudaeorum relicto, atque retento semine, stirpeque tam deterrima manente nobiscum. Commemoravi Caçallas, com-

me-

memoravi etiam Egidios, Constantinos quoque. Neque vero in multorum deliciis, in pravitate tanta, in corrupta atque perdita natura multorum hominum quidquam magis metuendum erat, atque formidandum, quam ne serperet in Hispaniam haeresis, atque magnas istorum regnorum, nobilissimasque provincias sua contagione cõtaminaret, nisi nostrorum hominum generi Quaesitorum sanctitate, vehementique severitate provisum esset. Censores apud Romanos fuerunt, quorum subscriptiones omnes fixas, et in perpetuum ratas esse oportebat: atque in unumquemque civem Romanum Censoribus potestatem leges permiserunt. Itaque subscriptio Censoria non minus calamitatis civibus, quam acerbissima Syllae proscriptio poterat afferre. Quamobrem semper homines Censorium stylum, cuius mucroné multa prerogativa Principes Romani acuerunt, aequae quidem, atque ipsum Dictatorium gladium nullis unquam remediis retusum pertimescebant. Multi Senatores a Censoribus e Senatu eieci fuerunt, qui postea neque populi Romani, neque Reipublicae gubernacula tractare poterant: qui turpi iudicio damnati in perpetuum omni honore, atque dignitate privabatur, et tanquam hominibus ignominia notatis, neque ad honorem aditus, neque in Curiam reditus erat. Si quem Censores furti cõdemnabant, is omnibus ornamentis amissis nunquam ullam suae honestatis partem recuperabat. Non utar exemplorum copia, quae magna quidem est. nõ rem veterem, nõ hominem unum, aut alterum potentem a Censoribus graviter punitum proferam. Censores semper summam in Magistratus omnes potestatem habuerunt animadvertendi: quippe qui mores publicos corrigere, et emendare poterant: quae jacebant excitare, quae jam etiam fluxerant, revocare debebant tradita sibi summa potestate Censoria. Hoc Iudicibus nostrae Fidei causarum jure optimo contigit, et quidem non ad antiquam Romanorum disciplinam cõservandam, sed ad Christi Iesu doctrinam, id est ad ipsam veritatem retinendam, ad immorta-

Z z.

lis




lis Dei gloriam augendam, et amplificandam. Quamobrem vestra potestas cum timorem hominibus, et religionem, tum dignitas tantam utilitatem Fidei Christianae affert, quātam magnitudo, et praestantia rerum, celsitas officii, quod facitis, declarare potest. Quos enim Cēsores Fidei damnaverint, infames in perpetuum intelligimus: neque hi ad honores ullos ascendent, neque honoribus privati ad Remp. redeundi tēpus, aut locum ullū habebunt. Nulli magis turpes, nulli magis infames, nulli majoribus dedecoris, et ignominiae maculis cooperti, quam haereseos damnati, Inquisitorum sententiis addicti ad infamem habitum gerendum: qui vel abjurata semel haeresi, vel pertinaces condemnati fuerint ad flammās perferendas: In quos isti tanti Censores potestatem habent? in omne genus hominū, in ipsos Principes, atque Mag-nates regnorum, in Regum sobolem atque stirpem celsissimā, si de Regum familia quisquā in aliquē fuerit errorē lapsus, in ipsas tiaras, atque infulas Ecclesiae, id est in Pontifices, atque Praefectos ecclesiarum. In quorum Consilio tanta religione, et acuitatis, et iustitiae legibus geruntur omnia, tāto silentio, et taciturnitate summa causae aguntur, tacitis testimoniis, et occultis judiciis: ut vel summum illud silentiū, parietes illi interiores, atque palatii recess<sup>us</sup> abditi, intra quos privata, et remota luce communi, procul a conventu, et frequentia mortalium, nullo strepitu, neque tumultu causarum forensium Inquisitores ipsi dumtaxat de rebus quaerunt, et de criminibus delatis in iudicium factissimae Inquisitionis, injiciant metum hominibus, et Religionem afferant incredibilem. Factum equidem est dono ac munere Dei optimi, ac maximi, ut nullos Magistratus magis homines metuant, atque reformident, nullos magis honoribus eximiis prosequantur, et omni genere complectantur officiorum, magis venerandos, magis colendos intelligant instar alicujus numinis, quod de caelo delapsum fuerit ad conservationem Fidei, et ad decretorum, et morum sanctissimorum nostrae Religio-

nis instaurationem. Vigiliae quidem estis, Inquisitores sanctissimi, constitutae, quas positi cunctis in locis diligenter agitis, ut dies semper clarus sit, et illucescat cultoribus Christianae Fidei: neque sint aliqui, qui arbitrātes parum nostrae vigilare praefectos Religionis, ut immanes lupi in mediis tenebris, et in noctis obscurae profūda caligine in ovile Christianorum invadant, et oves ore inhiante devorēt atque discerpant. Angeli estis vere custodes dicendi, qui in animorum nostrorum custodia positi, non homines solum singulos custoditis, sed aditus omnes Daemoni praeccludendo nos salvos, et incolumes conservatis. Sint Praetores civitatum in magna gloria, qui clavum, et regimē Rerum publicarum tractant studio, et vigilantia maxima. Floreāt in omnibus regnis, et imperiis florentissimis Consilarii Regii, qui legibus jurisconsultorum, et regnorum sanctionibus Rempub. moderantur, atque gubernāt. Omnes denique Magistratus laudibus, et honoribus maximis afficiātur, per quos factum est, ut scelera vindicentur, et tuta sit ab hominum improborum audacia Respublica. Sed Inquisitores clarissimi, sanctissimique ipsi praeferrantur Magistratibus universis: merita sunt enim eorū majora, laus, et honos altius ascendunt: non de corporibus, non de divitiis, non de statu rerum humanarum, sed de salute animorum, de dignitate Fidei, de gloria divinae Majestatis Consiliis suis maximis, ac severissimis, aequissimis, sanctissimisque agunt, atque decernunt.

COMMVNIS LOCVS AD  
superiorum exercitationum  
rationem de Cruciferis  
diversorum or-  
dinum.

(?)




Onsidera, quaeſo, illuſtriſſime vir, cognomen  
quod obtines, aut potius virtutibus tuis cōſe-  
quutus es. Eques enim es ordinis beati Iacobi,  
Crucifer appellatus, et hoc nomine, et honore  
afficeris ab his, quibus facis poteſtatem conve-  
niendi te, et adeundi: qui te ſalutant, aut ad te litteras mittūt,  
caſu, aut de induſtria, vel neceſſitate nominant. Qui te ſuis a-  
nimis complectuntur, talem te proſecto mentis oculis cer-  
nunt, quales equites clariffimos diverſorum ordinum, Cru-  
ciferos illuſtriſſimos taciti cōprehendunt, nobiles, et admo-  
dū illuſtres viros, plerūque dignitate oris, et egregia corpo-  
ris conformatione praeditos, gladiis, et ſicis accinctos: qui de  
collo geſtant torques aureos, et ex illis Emblemata pēdentiā  
ſuorum ordinum inſignibus ornata, in ipsis autem pectori-  
bus aſſuta Crucis inſignia, eo colore, quo ſinguli ordines in-  
ternoscuntur, in palliis, et in tunicis manicatis, aut ex viridi,  
vel candido, vel rubro ſerico bombycino: ut clariffime prae-  
ferant ipsis inſignibus dignitatem, quam obtinent, Crucife-  
rorum. In exercitu ſigniferi ſunt, qui ferunt in acie vexilla  
regnorum, et Imperiorum, quae tuentur: quae ea effigie de-  
corantur Imperatorum, vel Regum, a quibus miſi fuerūt ad  
bella gerenda. Romani producebant Minotaurum, monſtrū  
horrificum, et humana, atque fērina figura praeditū cū tranſ-  
verſis litteris. S. P. Q. R. vel Aquilam Regiā, et exceſſam, to-  
tam argenteam, vel auream, clariffime ſuo ſplēdore mican-  
tem ad potentiam imperii Romani finibus terrarum ultimis  
terminatam generi mortalium oſtentandam. Atque hic ta-  
ceo, quae propria proferebātur Imperatorū, vexilla ſaeppiſi-  
me: Caefar enim Venerem inſigniter expreſſam proferebat  
Principem generis ſui ceſſiſſimam, Pompejus Herculé hor-  
ribili ſpecie, ac forma praeditum, pelle leonis amictum, valde  
capillatum, et lōgiore barba, cum clava in manu, atque pro-  
digioſa corporis totius mole metuendum. Signiferi Chriſtia-  
nae Religionis Cruciferi ſunt equeſtriū ordinū beati Ioan-  
nis:

nis, divi Iacobi, et aliorum ſimili dignitate florētium: qui ſe-  
cum omni tempore ferunt ſignum ſanctiſſimae Fidei, Crucē  
dico ipſam, quam Aſſertor humani generis tanquam mole,  
et machinam adbeverēdas opes inimici Daemonis, et adigē-  
tes omnes, atque nationes in ſuam iuriſdictionem redigēdas  
ſuis humeris comportavit. Conſpicite oculos in pectora Cru-  
ciferorum: quāto clariſus ſplendent, et illuſtrius fulgore auri,  
et illuſtri claritate gemmarum, forma atque figura ſanctiſſi-  
mae Crucis, ſigno noſtrae Religionis gloriſiſſimo. Equites  
equidē ſunt Religionis, et ipſus Chriſti Ieſu, qui Duces ſuos,  
Ioānē, et Iacobum, et facti Ducū clariffimorū imitari debēt,  
arces ipſas, et propugnacula hoſtibus Fidei obiecta fortiter,  
et animo ſe defendendo, et Regna Chriſtianorum ab incur-  
ſionibus, et omni proſtigatorum inimicorum impetū li-  
berando. Quid enim illa Crux aſſuta pectoribus? quid gla-  
dius accinctus? Quid ſica, quam gerunt a lateribus? quid cog-  
nomen? quid inſignia? quid ſplendor iſte tantus, et ornatus  
equeſtri dignitate viſendas oſtendit? O decus, et gloria Reg-  
norum. O ſplendorem imperiorum illuſtrem. O firmiſſimā  
generis Chriſtiani propugnacula. Hos credite, auditores op-  
timi, Cruciferos proponere ſibi virtutē, et facti pulcerrima  
Ducum, et patronorū noſtrae Religionis illuſtriſſimorum,  
beati Iacobi, beati Ioannis, cum in mediam aciem, campum-  
que patentem dimicaturi progrediuntur. Talem, ac tantum  
coſdem creditē mentis oculis cōprehendere Divum Iaco-  
bum, qualis ſaepe viſus eſt, inter medias inimicorum acies in-  
ſidens in equo albenti, armis fulgentibus ornatus, acriter ac-  
vehementer pugnans, fundens partim ac fugans copias ad-  
verſariorū, partim ſtrages innumerabiles faciēs, et Chriſtia-  
nae partis exercitum ad inſequendas, delēndasque inimico-  
rum copias incitans, et inflammans. Atque de reliquis ta-  
ceamus, loquamur autem de Cruciferis ſancti Ioannis. Quo-  
ties Cruciferi divi Ioannis, Melitam arcem munitiſſimā, ob-  
iectam, et oppoſitam Turcis, in ipsis hoſtium ſuibus ſtant:

obsessam a multitudine Turcarum, ac diu, vehementissime, que oppugnatam, fortiter, et acriter defenderunt? In pugna navali, quae Duce, et Imperatore, Domino Ioanne ab Austria commissa fuit, qui nam acrius, atque vehementius pugnavit, quam Cruciferi beati Ioannis? qui magis retardarunt triremes adversariorum, et suas in contrariam classem incitaverunt, quam Cruciferi beati Ioannis? Qui denique plures depresserunt, et ceperunt triremes, quam isti equites clarissimi? In hos Cruciferos, tanquam in magis insignes, et singulares, de tota classe oppugnatores coniciebantur tormenta Turcarum, horum una multis aggrediebatur triremibus adversarii, et ad eosdem persequendos, delendosque magis incumbebat, quod in eis vis maxima nostrae classis, et robur Christianae victoriae positum esse putabant: his de medio sublatis quasi certam, et exploratam victoriam adversarii sibi pollicebantur. Fuit, fuit hoc proprium huius generis Cruciferorum, ut ubi illi fuissent, ad eos secunda statim fortuna incumberet, et desperatis etiam rebus omnibus ita secundissima praelia fierent: ut ex Christianis hostes magis quam Cruciferos metuerent neminem. Hos Equites nostros, hos Signiferos, et Antesignanos dicimus, et habemus: ut qualia tu clarissime virgeras honoris, et dignitatis insignia, consideres.

DE LAUDE DIVINORVM SPIRITVM

tuum ad rationem superiorum exercitationum.



**N**on aggrediar ad illam partem Orationis, quam avidissime expectatis, priusquam de divinis Spiritibus non nihil egero. Quorum quanta dignitas sit, et celsitas eximia, vel illorum natura declarat, quae caelestis est, et pla-



plane divina. Non enim ex limo, et argilla facti sunt, ut homines subjecti necessitatibus corporis, quod exercere cogimur, et ita afficere, ut obediat consilio, atque rationi. Non illi corpore, sed spiritu continentur. Non his terrarum, sed in caelorum regionibus creati: ut brevi Gloria caelorum, et aspectu Dei sempiterno fruere. Quae fuerunt pulcritudine, et venustate eximia: quo aspectu plane caelesti atque divino? illorum ordines, et gradus celsissimi quot? quales? quam illustri gloria, et dignitate praestanti? Alii sunt aliis altiores, et ut munera sunt, et honores cuique delati, ita altiore dignitatis locum occupant, et propius ad sanctissimae Triados tabernaculum accedunt. Omnes in divini Numinis oculis, in tantae Majestatis ore vultuque acquiescunt, Deum unum intuentur, ad illum suus omnis honor, et dignitas spectat, amplissima: quorum hi Angeli, et Archangeli appellantur, alii ab ardore, et pietate nomina traxerunt, alii potentiam, et principatum suis nominibus proferunt illustrem. Nulla res est, quae eos cura aliqua possit afficere, de sola Dei voluntate, de tanto Numine semper replendo cogitantes. Quamobrem consideremus, quantas nobis utilitates divinae Mentis afferunt. Cum Daemon improbus, et satellites illius, mundus, et caro bella nobis faciunt, divinae istae Mentis opem ferunt, et nos ex periculis imminentibus eripiunt. Si quando caeco ad praecipiti impetu, sine fraeno rapimur ad peccata capitalia suscipienda, divinarum Mentium ope revocamur a sceleribus, quae nefarie admittere cogitabamus. Incidunt tristia tempora, cum in moerore maximo sumus, ac paene conflictamur, divinae Metes tristitiam tollent ex animis, quae de mandato Dei id muneris, et officii praestant, ut nos afflictos consolentur, maxime eo solatio, quo nostrae res indigeant. Quod si faciamus iter aliquo, se nobis socios, et comites praebent, dirigunt viam, et cursum nostrum in ea loca, quae tenere voluerimus.

Si tamen adducamur in maximum periculum, et extremum  
 pæne discrimē, ut plane in flammam venire videamur, divi-  
 nae Mentis promptiores, quam nos ipsi, se se offerent, et ad  
 privata, et ad communia pericula depellenda; nosque defendēt  
 ab incursionibus hostium, ab omni impetu, belloque terri-  
 mo. Denique ne plura commemorem, quae longum esset, et  
 infinitū me persequi velle dicōdo, in extremis mortis angu-  
 stis nobis illi morientibus adesse solent. Cū corporis com-  
 pagibus soluti exierim⁹ e vita, nos illi, si in ignis purgatis loca  
 deferamur, aspectu suo consolabuntur, et recreabunt: si recta  
 conscenderimus in caelorum gloriam, alacres, atque laeti  
 praebunt, deducētes animum cujusque nostrum ad fan-  
 tasiam Triados tabernaculum. Nihil boni in nobis inerit,  
 nullum verbum faciemus honestum, nullam virtutis actio-  
 nē suscipiemus, quā non deferat ad Deum immortale, et ex-  
 ponant palam in oculis, et ore tantae Majestatis. Denique  
 Angeli inceptores, et perfectores maximi nostram actio-  
 num, et virtutum erūt. Vultis, quae praediximus, clarius lu-  
 ce meridiana videre? Proponite ante oculos vestros Iudam  
 Machabaeum, qui cum iniret praedium gravissimum, et pe-  
 riculosissimum, et se se in medias hostium acies omni copia-  
 rum genere abundantes inferret, periculis omnibus libera-  
 tus non evasit solum, sed victoriam, et insignia victoriae re-  
 portavit. Tollite oculos in caelum, prospicite facies ignium  
 accensas, incendia flammarum ardētium, quae impetu mag-  
 no, et rapiditate in urbē Sodomā, Gomorrhā, et in reliquas  
 civitates involant, non harum flammarum ardore Loth ip-  
 sum Angelus liberavit? nonne Vatem Balaam concitatum,  
 et iracundia flagrantem vestris oculis aspicitis properan-  
 tem, et accelerantem ad execrandum, et diris maledictis po-  
 pulum figendum? Cernite mentis oculis obviam Vati pro-  
 cedentem Angelum, et gladium districtum objicientem,  
 ut pedem illum referre coegerit: quem quanvis ille non  
 aspiciebat, jumentum tamen, in quo vehebatur de hor-  
 ri-

ribili specie admonens coegit eum mutare sententiam,  
 qua in eam rem, quam constituerat, totus incitata mente fe-  
 rebatur. Quantopere nos Angeli consolari queant, decla-  
 rat tēpus illud, cū Assertor humani generis, vindex nostrae  
 libertatis, Christus Iesus in horto precaretur Patrē aeternū,  
 ut a se Calicis acerbicatem, si fieri posset, averteret, et cum  
 totis artibus, ac mēbris tremere, et multo etiam sudore ma-  
 naret, Angelus adfuit Christo Iesu sententiam exequen-  
 di mandata Patris aeterni confirmans. Cum populus Dei,  
 ex servitute Pharaonis eriperetur, deductus est per vastam  
 ac desertam solitudinem, diu Angelo in speciem nubis,  
 nocte in formam atque figuram igneae columnae praee-  
 unte. Quid verbis pluribus opus est? cum semper in me-  
 moria nostra versabitur, neque ullo unquam tempore po-  
 terit evelli praestantia beneficii in genus hominum colla-  
 ti societatis naturae divinae cum humana, quam Filius Dei  
 interventu Spiritus divini in utero Virginis Mariae initu-  
 rus erat, per Angelum nuntiatae. Si quis Romam, aut  
 Madritum velit iter facere, si navigare in remotas Indo-  
 rum regiones, opus est duce, qui viam demonstret, qui  
 cursum navigationis dirigat: ne deflectens ab itinere, vel  
 navigatione recta, erret homo, et nunquam, aut sero, quo  
 constituerat, perveniat. Quid ipsi gubernatores navium  
 faciant, probe novimus: qui clavum atque regimen gu-  
 bernaculi tenendo dirigunt navigationis cursum in por-  
 tum, quem tenere cupiebamus. In his undis, atque aestu-  
 rerum humanarum, in his caecis nubibus, atque procel-  
 lis rectum nos tenere cursum ad adipiscendam caelo-  
 rum gloriam, si bonos Angelos, qui nos deducant, au-  
 dierimus, confirmare possumus. Quamobrem vere Du-  
 ces, vere viam ipsam, vere paedagogos, et praeceptores  
 generis humani Angelos appellare poterimus. Ut enim  
 magistri suis praeceptis, et institutis discipulos imbuere so-  
 lent

lent ad scientiam percipiendam bonarum artium, ita quidem Angeli cogitationes optimas injiciunt mentibus nostris, et inserunt opiniones praeclaras, turpes, et infitas evellunt: denique demonstrant viam, opem ferendo suam, qua pateat aditus nobis ad divina beatorum domicilia consequenda.

(S)



## DEMONSTRATIONIS

## Liber Sextus.



DE FACIENDIS INTEGRIS ORATIONIBUS ope Demonstrationis, et illorum quae a Demonstratione proficiuntur, ornamentorum.

\*(S)\*



NON possemus ornamenta Demonstrationis concludere sine ulla cujusquam reprehensione lectoris, nisi integras adhibere studuissemus orationes Demonstrationis opibus ornatas, atque instructas ex quibus rhetor peteret exempla suorum in hoc genere absolvendarum orationum. Neque quisquam omnia superiora putet lumina, et ornamenta se adhibiturum esse ad decorandas, illustrandasque orationes: in quorum usu, cum ad schematum ornatum accedat, modus erit adhibendus. Nam ut nihil est jucundius, neque illustrius, si parce, et suis in locis haec ornamenta adhibeantur: ita qui-

Aaa 2 dem

dem totus lepos, et venustas orationis pereunt, cum sine modo coacervantur. Ornatum volumus in oratione, sed modo fines non transiliamus. Ut enim gemmis distincta vestis, magis elegans, et ornata videbitur, quam si densis, et confertis ita obducatur, ut nulla pars appareat sericorum: ita profecto Demonstrationis varietas adhibita moderatione distinguit, et illustrem reddit orationem, sine modo foedam efficit, atque deformem. Quem modum tenere debeamus ex longitudine, vel brevitate orationis aestimabimus: minus enim angustiae, plus laxitas locorum capere potest. Nos aliquot subiciemus orationes, partim breves, partim aliquanto longiores: unam, aut alteram, si plane longam, propter materiae magnitudinem adjunxerimus, nemo mirabitur. Ex illis, quid factum opus fuerit, rhetor ad suas orationes facile revocabit.

## ORATIO PRIMA DE GLORIA

Beatorum tota fere in Demonstratione versatur. Ornatur etiam varia Demonstrationis specie.



ACTURVS de pulcritudine, et de elegancia caelorum primum vestrum omnium animos intentos esse vellem in speciem, et fabricam operis magnificentissimi praedicadam: cujus adumbrationem aliquam Ioannes afflatu Spiritus divini, ea, quae sequitur, oratione mentis oculis contemplandam statuit.

Vnus ex septem divinis Spiritibus mecum alloquens inquit, veni, et indicabo tibi sponsam Agni pulcerrimam: me autem in montem editum, et excelsum a corporis sensibus abstractum ad sublimia sustulit, ut urbem solymorum visendam, spectandamque praeberet de caelorum domiciliis descendentem: quae eximia immortalis Dei claritate circumfus-

sa collucebat. Atque splendor huiusce claritatis habebat similitudinem lapidum pretiosissimorum, illustri splendore collucentium. Urbs autem haec moenibus latissimis, et altissimis cingebatur. In ejus circuitu duodecim portae videbantur, quibus duodecim erant Angeli praepositi pro numero, et descriptione sua. fundamenta tantae civitatis erant lapidibus pretiosissimis jacta: atque portae illius duodecim, singulae ex singulis margaritis, et smaragdis splendidissimis factae. platea tota videbatur auro strata purissimo ad speciem et similitudinem vitri clarissimi. Templum autem hanc civitatem non ornabat: quippe cujus templum vivum, et omni religione dignissimum summus erat, praepotensque Deus immortalis. Quamobrem non candore Lunae, non splendore Solis, sed tanti Domini, et Agni, qui lucerna erat inflamata, tota, quam amplissima est, et ornatissima, civitas fulgore collucebat, et illustrabatur: et ex istius Agni solo magnificentissimo fumen aquae perennis, et inexhaustae, et perlucidis, et crystallinis liquoribus, crepitu ac murmure suavissimo profluebat: cujus utraque ripa vestitu jucundissimo strata, et plusquam herbis, ac floribus distincta arborem vitae constantem continebat duodecim fructus diversis anni temporibus ferentem, singulos scilicet singulis mensibus: atque folia arboris ad salutem generis hominum, incolumitatemque pertinebant. Nunquam autem aures incolarum illius loci diris execrationibus, atque detestationibus indignissimis offendentur. Solum ibi collocabitur Agni, et regnum immortalis Dei sempiternum. Incolae, et habitatores tantum Numen suspicient, et venerabuntur, et illius aspectu jucundissimo perfruuntur: cujus nomine frontes insignitae, et notatae splendebunt honorificentissime: denique dominatum illi obtinebunt amplissimum in omnem saeculorum memoriam. Haec est, auditores optimi, pulcritudo aulae caelestis, haec elegancia, et fabrica civitatis admirandae: non ut animis ipsis complectamur. haec in caelorum sedibus inesse, quemadmodum

a nobis commemorantur, sed ut ex his, quae audivistis caelestes opes, et divitias spectare valeatis. Situs enim altissimus est, et supra omnes caelorum orbis collocatus, in tantâ magnitudinem, et infinitatem incredibilem spectans, et latissime, nullis finibus, neque terminis contentus diffundens sese, quâ tam animi nostri capere non possint. Nam si facile vincunt magnitudinem terrae stellarum orbis, et tot ipsis in caelorum sedibus infixi sunt, quot numerari non possunt, qui voluntur, stellarum globi sempiterni, quae magnitudo erit? quae immensitas infinita caelorum? quae tot stellas magnitudine incredibiles, multitudine innumerabiles, locis infinitas, suis motibus dispartes, suis ipsis immensis spatiis nullo intervallo circumscribendis coerces, atque complectitur? Quid vero dicam de picturis, et imaginibus? de specie, de nitore huiusce loci? de luminibus, et insignibus, quibus distincta nitent, et illustrantur palatia caelorum celsissima? nullius est tantum summe ingenii, nulla dicendi tanta vis, aut facultas orationis, quae non dicam exprimere, sed nec ulla, quae in umbris, et eminentia (quod dicitur) animis cerni potuissent, ratione consequi possit: tantum abest, ut quidquam, quemadmodum dignitas loci postulat, flosculis, aut coloribus rhetorum illustrare valeat. Si caelorum aspectus iste mortalium oculis expositus, species, atque forma siderum toto caelo fulgentium, atque haec varietas accrescentis, et decrepantis Lunae, tum ejusdem plenissimae globosus, et rotundus ambitus, et splendor Solis reliquorum luminum Principis tantam voluptatem intuentibus affert, et admirationem incredibilem, si videmus arte, et solertia nostra, manibus pictorum, et opificum praestantissimorum picturas multas, antiquo opere, et summo artificio factas, adeo pulcras, adeo venustas, adeo nitidas, et illustres, ut cum magnifice picta simulachra exeunt in vulgus, et in claro lumine visenda collocantur, quavis nihil operibus nostrarum artium manus efficiunt, quod multo artificiosius natura non efficiat, tamen specie, et elegantia rerum admirabilium

lium artem hominum cum natura certare non inficiamur, summus ille opifex, et parens universitatis rerum quae? quanta? quâ illustria? quam admiranda perfecit, et consummavit in arce sua Regia, in excelso, et caelesti palatio, in aede voluptatum, et jucunditatum maximarum? quam ille omnibus bonorum copiis affluentem, et signis admirandis, et picturis caelestibus illuminatam ad delectationem, et ad jucunditatem suorum, ad ornatum, et ad apparatus magnificentiae, ad gloriam, et ad decus immortale beatorum aedificavit? de jicite precor oculos ab altitudine, et pulcritudine caelorum, atque illa quoque mirari desinamus, quae quotidie sunt manibus hominum praeclara satis, et illustria opera: et mentis oculis perlustremus vere ineunte, cum omnia virerent in agris, et amoenissime florent, latos, et patentes campos, montes editos, et excelsos, valles humiles, atque depressas, herbis, et floribus distinctas, agros omnes, nemora, viridaria violis, et rosis pulcritudine venustissimis, et varietate dissimillimis vestita. Addite liquores perlucidos fontium, rivulos crystallinis aquis leniter defluentes, et inter vestitus amoenitatum, inter varietates specie ac venustate jucundissimas adjungite temperationem caeli, salubritatemque aeris, concertus, et harmonias avium, atque ipsam naturam rerum universalium ubertate, et copia tam infinita gestientem, et exhilarantem omnia: sordent animis haec omnia, et ad aspectum oculorum, et ad suavitatem aurium, et ad animorum dulcedinem apposita nimis, et mirandum in modum affecta. nulla existimate, nulla ducite, contemnite, et spernite, si cum his, quae de caelo potuissent adduci, conferantur. Quid, obsecro, urbium amplitudinem illustrat? nobilitas civium, multitudo, et frequentatio hominum, incredibilis civium optime consentientium conspiratio, praerogativae, et immunitates plurimae. Quae haec claras, et illustres reddunt caelestes illas, atque beatas Hierosolymas? Quos enim putatis caelorum habitatores, liberos omnes, atque immunes, caelesti claritate illustratos, neminem infima

forte neq; cōditione servili: quippe qui nulla pēdūt vestigia agnatione divina nobilitati, Filii Dei immortalis juratōptionis divinae facti. Voluntates singulorum, et animi singulari amoris conspiratione devincti sunt, qui se concordiquadam amicitia, et caritate mutua complectuntur, et unus, atque idem animus efficitur, nō ex pluribus solum, sed ex infinitis beatorum agminibus sine metu disjunctionis, aut dissidii ullo unquam tempore faciendi, quod levibus de causis, minimis offensionibus interpositis exsistere solet inter mortales. Quid vero de numero caelestium incolarū dicam? numero ne praefinito concluduntur? O Divine Ioannes, qui abstractus a corpore specie pulcherrima mētis oculis obversante numerum, et multitudinem beatorum infinitam accepisti. Quae illa visio divina tot millium, ac millium omnis generis, et diversitatis infinitae gētium, ac nationum, quae in oculis, et clarissima Agni luce versabantur ante Solii magnificentissimi sedem celsissimā eximio vestitus, et ornatus speciosissimi candore collucentes, et viriditate palmarum ornatae laudes Dei immortalis cantibus suavissime concinentibus prosequerantur? Congruit tecū Vates divinus Daniel, qui millia millium adesse, et cultum, et Majestatem sempiterni Numinis vereri, ac sanctissime suspicere testatum reliquit, et auget, et accumulatur numerum supra decies centena millia millium justum ac debitum honorem tanto Domino singulari cultu, et religione tributentium duplicando. Quae quo spectant? quo pertinent visa Divi Ioannis illustria, et praedictiones Vatis Danielis admirandae, nisi ut intelligere omnes possint, multitudinem beatorum infinitam, et coetus Magnatum aulae caelestis innumerabiles in certum numerum redigi non posse. At in tanto numero, in tam infinita multitudine quantus ordo, et modus sine ulla cōfusione, sine perturbatione, quam multitudo solet afferre commiscendo, et perturbando, quae recte, et ordine suo collocata habent speciem, et venustatem eximiam? Qui conversiones caelorum, qui cur-

sus

tus siderum admirabili semper ordine, summaque cōstātia definivit, ut progressus, et regressus, reliquosque motus cōstantes, et ratos conficiant, nihil immutando sempiternis saeculorum aetatibus, quin eisdem temporibus efficiantur, disparibus quamquam motionibus, confectis omnium spatiis fieri solet conversio, non ordine mirifico collocabit? et suis in sedibus agmina beatorum, innumerabilia nō aptissima ratione ex omni parte congruenti componet ad speciem, et ad illustrem tantorum coetuum, et caelorum clarissimorum dignitatem ostēdendam? Vos vos obtestor Virgines castissimae, vos Confessores sanctissimi, vos invictissimi Martyres, vos coetus Patriarcharum, et Vatum divinarum. Te appello, Senatus clarissime sociorum, et comitum Iesu Christi. Adestote, quaeso, sacri Evangelistae, audite me loquentē caelestes, divinaeque Mētes, quae in tot ordines et augustissimos et celsissimos divisa vestras sedes, et altissima incolitis domicilia caelorum. Non te praeteribo silentio, Virgo sanctissima, quae ad Filii dexteram immortalī gloria circūfusa Regina caelorum dignitatem geris amplissimam. Vos omnes testes esse potestis ordinum, et subselliorum, quae vestris in sedibus, atque locis praefinitis singuli, quemadmodum dignitatem vestris meritis, et virtutibus estis consequuti, specie et majestate visenda obtinetis. Iesu sanctissime, quem tenas locum, neminem ignorare certū est, proximū Patri aeterno, ad illius dexteram, secundum Majestatem sanctissimae Triados: quia meritis, virtutibus, et ornamentis infinita ex parte post te genus omne sanctorum sine ulla contentione reliquisti. Quid amplius volumus? anime mi ad similitudinē, et imaginem Dei formate, choros divinarum Mētium perlustra, peragra plateas, et vias celebriores, intueri in ordinē, et confesum incolarum caelestium, in pulcritudinem civitatis, in nobilitatem habitatorū: et salutem singulis impertire, et illorum opē implora. Patriā etiā salvere jube, et tanquam hospes, et peregrinus, exsul a domicilio caelesti longo

B b b

ad



adhuc intervallo salutem eidem verbis dicito jucundissimis. Clama igitur, quanta possis, voce cōtēdēs. Salve patria jucundissima, quae pollicitatio est divinae liberalitatis, port<sup>9</sup> tranquillitatis, perfugium hominum, domus Dei immortalis, regnum saeculorum omnium, haereditas beatorum sempiterna, voluptatum Paradisus, viridarium amoenitatis, bonorum omnium emporium, praemium, et merces justorum, finis, et scopus cupiditatum nostrarum. Salve Parens generis humani, spes unica, et spectata jucunditas, cujus causa suspirare nos vides. atque hoc tempore tollimus clamores in sublime, gemitus, et fletus tenere non possumus, atque bellum acerrime dimicantes gerimus cum adversariis gravissimum, tui ipsius regni obtinendi gratia: in quod nemini patere aditum certo scimus, nisi gratia caelesti, et virtutib<sup>9</sup> maximis cumulado. David incredibili gaudio exultat ardens incredibili cupiditate invivendi domum, in quam tandem post hujusce vitae curriculum accepit se ascēsurum esse: neque morā minimā potest interponere, quin aveat, et gestiat adire, et in atria tantae civitatis involare studio, et alacritate mirabili, pedum extremis jam digitis quasi terram attingentibus, ut sese efferat, et extollat in sublime, neque finem faciat altius, et quam altissime sese efferendi, quoad in atria tua, in palatia laquearibus plusquam ebore, et auro fulgentia caelestium Hierosolymarum intulerit sese. Quis enim civitatem tantam adire? quis in illam ingredi non vehementer concupiscat? atque in eadem tantis de causis nō sedē, et domiciliū sibi sempiternū collocare? Haec ex politissimis lapidibus, ut decet amplitudinem civitatis, tota magnificentissime cōstructa nitet, atque splendet clarissime. Incolarum vero inter se tanta conjunctio, societas, et communicatio mirabilis est, ut semper inter se congruant, et cōjunctissime, et amātissime versentur. domus etiā admirabilis quaedā est cōtinuatio, seriesque rerum cōstructa, ut aliae ex aliis nexae, et omnes inter se aptissime colligatae videantur. In hanc civitatē caelestē datur ascēsus,

tri-

tribubus, tribubus Israēlis, idest omnium maxime delectis ad beatorū gloriā cōparādā, et ad acquiescēdū in ore, in oculisque divinae Majestatis in omnē saeculorū memoriā. Hic vero aditus, et illustris ascensus patet, ut propter accepta beneficia divinis laudibus, et honoribus Numen Heroēs caelestes immortale sine ulla intermissione prosequantur. Habent ibi tabernacula sibi collocata ad jus dicendū omni populo, ut recte facta praemiis immortalibus cōpensentur, cū imperio, et potestate maxima, qui sunt de stirpe, et de familia Davidis: quib<sup>9</sup> ex promissis, et pollicitatione divina fides data est muneris judicarii, et Regiae dignitatis obtinēdae. Quamobrem quoniā sedes est, et solū jurisdictionis, et imperii sempiterni, atq; in istius regni pace, et felicitate totius populi, et Regni opes, fortunaeq; cōtinētur, Vates omniū opē deposcit, et preces efflagitat, ut omnes supplices manus tendant ad Deum, et misericordiā illius precentur infinitā ad copiā, et abundantiam divitiarū, ad affluentiam omnis generis bonorū, ac virtutū clarissimarū, quibus redundare debent illi, quibus in caelo locus est praefinitus, ut in gloria tanta beatorū omnibus bonorū copiis circūfluant, et opibus sempiternis, fortunisque immortalibus floreat. O lōge lateque diffusa gloria Hierosolymarū caelestium. Cultores tui, tui amantissimi, cupidissimi felicitatis tuae, et gloriae immortalis avidissimi plures, ac plures, innumerabiles, et infinito semper numero, tuum in amorē alliciātur ex omnib<sup>9</sup> gētibus, ac nationibus, ex alienigenis, et prorsus abhorrētibus, qui ignari munerū, et ornamentorū tuorū occidūt miserabiliter, et labūtur in errorē tātū, ut ruāt ad exitiū, et interitū animorū sempiternū: sic praestantissimā tuā, et florētissimā fortunā profitebūtur, atque predicabūt omnes. In hāc sententiā lōgius progreditur Vates sanctissimus, cujus orationē nos cōsiderātes, et tēpus, et vires deficiūt: obruimur enim multitudine, et praestantia ornamentorū gloriae caelestis. Nūc vero gaudia, et voluptates, quae ex societate sanctorū in caelo percipiūtur secūda orationis par-

Bbb 2 te

te cōmemorem<sup>o</sup>. Pulcritudinē, et elegantiā aulae caelorum cōsequitur voluptas, et incredibilis laetitia, quā ex felici sanctorū societate percipiemus. Nihil in hisce sedibus deest caritati ad absolutā suā cōsummatāque perfectionē: cuius propriū est, ut quā praestantiā rerum, bonorumque omnium consequuta sit, boni impertiant, eamque totam aliis communicent cum omni genere mortalium. Quid agebant illae tam supplices, atque demissae preces? quid orabāt, quid discipulis praesentibus efflagitabant? ut ex omnibus unus animus caritate cōflaretur ad similitudinē Patris, et sui ipsius Filii, qui naturae communione junguntur, id suam vim, et absolutiōnē obtinet in regione caelorum: ubi in tā multis animis, et plane innumerabilibus similitudinē sanctissimae Triados geremus omnes, eximie semper et incredibiliter amādo. Nā quanvis Christus Iesus Patre precatus fuerit, nō pro discipulis praesentibus modo, sed etiā pro omnib<sup>9</sup>, qui doctrinā erāt aliquādo, vel litteris, vel per man<sup>9</sup> traditā accepturi, ut sic volūtātū cōiūctione inter se coirēt, ut unū, et idē fierēt e multis, si minus natura, certe conspiratione, atque consensu: tamen cumulate, et absolute volūtās haec praestatur in aula caelorum, et parē omnes voluntatem accipiunt, atque reddūt, ut illud aspiciatur, quod est in amore summum, quo nihil majus, neque cumulatius exspectari possit: ut singuli in omnium, et omnes in singulorum pectoribus vivant, et unus ex infinitis animis mira quadam, et inexplicabili ratione conglutinetur, tanta concordia, tanta consensione, et conspiratione animorum, ut nihil supra. Corpus, auditores, tāquam vas est, aut aliquod animi receptaculum, quod stabilitum, atque firmatum commissuris ossium admirabili ratione cohaerentium quantam membrorum varietatem, et ad usum, et ad ornatum ostētāt? atque eadem in fabrica, et elegantia operis tam admirabili, quam arte, vehementerque constricta, et conglutinata vigent, et coalescūt propter salutarem, et vitalem, quem spiritus animi in corpore inclusus communicat, et impertitur,

calorem, in quo vis inest vivendi, et ducendi animā de caelo: tolle spiritum de corpore, excedet ille de hospitio, et de custodia sibi data, atque illa coagmentatio corporis, et animi dissolvetur, et ad nihilum redigetur: ut neque manum porrigere, neque brachium tollere, neque progredi, neque regredi possis, neque ullam corporis functionem suscipere. Vigeat ille toto corpore diffusus calor, et animā tueatur, atque conservet, membra sane omnia suum egregie officium facient: coeunt enim quasi societatem ad sui ipsius cōservationem, et singula omnibus, et omnia singulis non deerunt. Quid ergo de spiritu divino, de vi eximia tāti amoris dicemus? Quāto plus roboris ac firmitatis habebit? quanto plus virium, et invictae potentiae Deus immortalis ad voluntates, et animos nostros conglutinandos largietur, ut se unice diligant, et ex pluribus unus animus efficiatur, imaginē divinae similitudinis hac tanta voluntatum, et animorum conspiratione induendo, ut nullo unquam tempore amor exhaustiatur, cōfirmetur potius, et facibus semper ingensis animus inflammat<sup>9</sup> ardeat, neque sit amor animis ipsis cōtētus, cōpressusq; solum, sed foras semper emergens, et apparens lucem sui datam, et acceptam mutuo tota caelorum regione diffundat? Adesto Divine Gregori, et ad ea, quae in hanc sententiam beatorum amore diximus, tuā auctoritatem interpone. Qualem appellas sanctorum gloriam? caelestem illam haereditatem? Omnes quidem unam, et singulos universam haereditatem adisse confirmasti merito quidem. Nam ex gaudiis, et laetitiis omnium caelestis aulae habitatorum tāta unusquisque voluptate perfunditur, ac si ipsemet eisdem bonorum copiis, et gaudiis immortalib<sup>9</sup>, quae unus, et alter, et omnes percipiunt, affueret. Hinc planum est, quoniam ex numero beatorum, qui innumerabiles sunt, gaudia sunt aestimanda, laetitia beatorum in certum numerum redigi non posse. Hinc etiam perspicuum est, unumquēque de numero civium beatorū, tot gaudiis, et laetitiis caelestibus exultare, et serio triū-

phare, quot sunt immunitates, et praerogativae, quot decora, et ornamenta laudis, et gloriae singulorum insignia: quod enim in uno non fuerit, id se in aliis propter gradum honorum celsissimos, in quos cumulo, et accessione maxima ascenderunt, habiturum esse, et adepturum cum voluptate reperiet. Hi sunt illi septem filii Iob, animis optime conspirantes, quos inter tantus amor intercedebat, et communicatio rerum omnium, ut unusquisque sibi descripsisset diem in hebdomada, quo illo ipso die, quemadmodum inter illos convenerat, convivium apparatus, et splendidum reliquis fratribus hilare, et per jucunde praebebant: quod omnes participes bonorum optimi cujusque fratris cum gaudio et voluptate frequentare perstarent. Atque horum, quae diximus, causa fuit amor fratrum amantissimorum. quorum amor quam habet laudem ad beatorum caritatem comparatus? Quis praefinitus numerus, et exiguus, septem solum fratribus contentus, si cum multitudine beatorum innumerabili, et infinita conferatur? Si vero facultates omnis generis hominum, opes Regum, et Imperatorum totius orbis terrarum, et illae, quas locupletissimi, et argenteo, et auro, et gemis abundantes Indi suppeditare possunt, cum bonis caelestibus, cum divitiis beatorum immortalibus conferantur, nullae ducendae sunt. Quid in hereditate in septem fratrum patrimonio lauto, et copioso, quod egentium, et inopum plane hominum, qui ostiatim victum corrogare solent, non habeat speciem, et similitudinem, si aciem animorum intendamus in bonorum caelestium abundantiam, et in tantam, et tam incredibilem affluentiam beatorum civium sempiternam. Ineamus, si placet, mentis oculis convivium beatorum magnificentissimum. Quod, et quam apparatusissimum erit illud convivium, quod inibunt Spiritus divini, qui vulgo Seraphim appellantur, qui sunt omnium celsissimi, et propius ad Majestatem Dei immortalis accedunt, cum naturam, et excellentiam suam, et claritatem splendoris illustrissimam, et illam accensam, et inflammatam caritatem oculis nostris spectandam statuerint? Quantus erit apparatus, et magnificentia Cherubim divinorum, in quibus thesauri, et opes sapientia

scientiae caelestis inclusae continentur? Quanta praeterea epulae, et exstructae mensae dominatione, et principatu praecellentissimo florentium, et omnis generis, et ordinis, et dignitatis reliquarum Mentium divinarum? Quanta voluptas erit suis oculis usurpare copias, et exercitus Martyrum invictissimorum, qui omnes eximio vestium fulgore collucescentes palmas in manibus, et in capitibus diademata gemis illuminata clarissimis, quae sunt insignia, et decora Martyrum clarissimorum specie, et venustate visenda, gestabunt? Quanta corporibus, et animis nostris laetitiam afferet illa undecim millia castissimarum Virginum, et illa decem, et millia fortissimorum Martyrum, qui Crucem Iesu Christi appetierunt, cum reliqua multitudine infinita hujusce generis Athletarum Illustrissimorum? quanta laetitia, et voluptate perfundetur animus aspiciens gloriosum, et illustrem diaconum Laurentium cum cratibus speciosissimis in manu flammarum ardentium, quibus pro Christo Iesu conflagraverat, Solis splendore clarioribus, provocantem tyrannos, et defatigantem carnifices robore, et magnitudine animi praedicanda? Quantis in gaudiis, et laetitiis erimus, intuentes in virginem Catharinam rosis, et liliis coronatam, rotulis jam devictis, atque superatis novacularum, armis fidei, et scuto spei fortissimo? Septem illi Machabaei, quantum, et quam illustre praebebunt spectaculum cum matre invictissima, et fortissima omnes suppliciorum acerbitates pro lege Dei servanda fortibus, et invictis animis contemnentem? Quem aspicere poterimus torquem ex auro purissimo factum, collo nobilissimi viri circumdatum, magis ad aspectum oculorum venustum, tam eximio, et illustri fulgore micantem, quam collum Ioannis Baptistae sanctissimi, qui jugulum dedere carnificibus maluit, et caput a cervicibus praescindendum, quam turpitudinem Regis nefarii suis in concionibus dissimulare, et quod contrarium erat, et infestum divinis placitis, atque praescriptionibus silentio praeterire? quae species splendidissima? qui nitor purpurae magis unquam splendere, aut fulgere poterit, quam corpus beati Bartho-

lomaei cūte sua pro Religione Christi Iesu nudatū? quid verō de corpore beati Stephani dicēdū arbitramini? quae venustas? qui splendor corporis? An ulla unquam vestis ad talos usque demissa, tota gemmis, et margaritis eximio fulgore collucētibus illuminata illustriorem, et clariorem speciē habere poterit, quā corpus omne Stephani, Protomartyris invictissimi ictibus lapidum innumerabilibus appetitū, atque confissum, quos vi, et contentione brachiorum, in collum, in pectora, in brachia, in reliquum corpus satellites tantae lapidationis, Saulo, qui in palliorum custodia positus erat, incitante, ne ulla pars non crudeliter appeteretur, et quasi nimbo, et grādine terrifico in illis caecis nubibus atque procellis existente non obrueretur, lacunulis multis factis, ipsaque carne depressa multis in partibus, cōjiciebant? Illi Principes Ecclesiae, duo lumina, et ornāmēta nostrae Fidei clarissima, Petr<sup>9</sup>, et Paulus, unus gladio, et alter vexillo Iesu Christi decoratus quantum dignitatis splendorem obtinebunt? Quantam afferet voluptatē his omnibus ornamentis sanctorū splēdidissimis, quasi propriis, et ad singulos spectātib<sup>9</sup> singulos perfrui. O convivium lautissimum, o mensam Regalem, o mensam Majestate sempiterni Numinis dignissimam, dignissimam etiam flore, et gloria beatorum. Facebant sectatores hujus saeculi, facebant Principes, et Reges potentissimi. Sileant Imperatores celsissimi, Monarchae omnes, et strepitu atque tumultu ministrorum, ornatu, et apparatu suo, munditia, et elegantia, omni ritu, atque caerimoniis convivia sua concelebrent, exstruendo mensas, et pocula frequentando plenissima, quoad immodicis escis, intemperantissimoque potu viscera plenissima, confertissimaque, et ilia inflata rumpantur. Talis ac tanta mensa, quantae discubuitis, Majestatē divinam, tales, et tantae epulae gloriam, et decus immortale decet: tam admiranda coena, tanto splēdore illustrata, omnium, quae fingi possunt, apparatusissima, et magnificentissima decet summum, praepotentemque caelorum Architectum. Sed al-

tius

tius ascendamus, nec finem faciamus ascendendi, donec transeundo sedes divinarum Mentium altissimas, et gradus omnes omnium aulae caelestis beatorum celsissimos ad solium Virginis Mariae pervenerimus. Quae aulam caelorum universā exhilarat, quae suavitates omnes odorū, quae ex gloria sanctorum afflantur, quas conquiseris, mirifica jucunditate afflat. Tolle jam altius oculos, et intuere Reginam caelorum, Principem Angelorum, et dignissimam Christi Iesu Parentem, pulcritudine, et venustate mirabili spectatam: cujus gloriam divinae Mentis admirantur, de cujus immortali dignitate universum genus hominum gloriatur. O Virgo Maria, flos virginū, decus, et gloria beatorum, quam eximie tota fulges, et nites prae reliquis sanctorū agminibus, et omni coetu divinarum Mentium gloriosissimo in solio celsissimo sedens ad dexteram Christi Iesu, diademate fulgentibus stellulis radiante illustrata: ipsi etiam pedes Lunae candore amicti splendent, corpus vero Solis splendore circumfusum illustrat domicilia regni caelestis amplissima. Quae voluptas? quae laetitia erit nos intueri tantā, et tā praepotentē Dominam, et communem humani generis Parentem; non jam in porticu procumbentem in genua, nullis incursionibus, neque timoribus ex praedictione Simeonis injectis sollicitam neque anxiam non quaerentem cum anxietate, et solitudine suavitatem, et delicias suas, Puerum Iesum, semel e conspectu oculorum amissum, et ut illum invenire posset, peragrante vias Solymorum, et perlustrantem vicus civitatis, et consuetudine cōmuni, usitataque parētū domos cognatorū obeuntē, sed incredibili gloria caelesti, et inaudita jucunditate ad Filii dexteram confidentem, omni metu vacuam, et cura solutam in perpetuum nunquā amplius quaerendi auctorem vitae nostrae, et vindicem humanae libertatis Christum Iesum? nihil opus erit tenebris, et obscura noctis caligine e patriis finibus excedere, summo cum silentio, dumtaxat Iosepho comitatā, ut ex manibus Herodis vitā, et Iugulum

C c c

lum

lum Iesu sitienter appetentis evadat, in Aegyptum proficisci. Non amplius stabit ad crucem, ut rivos sanguinis corpore Christi Iesu manantes corpore suo sanctissimo excipiat, et ejus pretiosissimi liquores de summo jugo, atque vertice crucis profluentes, notas, et insignia tãti doloris, non animo impressa solum, sed ad memoriam cruciatuum, et mortis filii Iesu retinendã corpori insigniter inusta deportet ex monte Calvario. Nullae jam amplius voces ejusmodi ad hominũ aures pervenient, quas sub crucis arbore sanguine filii Christi Iesu cruentata mittebat in caelum, ingentem vim, et acerbiter lacrymarum profundens. Si mihi liceret, si datũ esset Mariae, pro te vitam cum sanguine profundere, Absalon fili mi, fili mi Absalon. Transacta, confecta que sunt omnia. Finis factus est lacrymarum, et tuarum acerbiteratum, virgo sanctissima. Quae mulierum omnium maxime excruciatã, atque tantopere conflictatã fuisti supra genus omne mulierum, secunda a filio tuo sedem, et tabernaculum in caelorum sedibus tibi collocasti: atque ipsos gradus divinarum Mentium altissimos praetervecta ad Regalem Imperii caelestis dignitatem ascendisti. Quod si Virginis aspectus tantam laetitiam affert, gloria Christi Iesu, decus Assentoris nostri sempiternum, gradus dignitatis altissimus, atque illud solium majestate, et celsitate conspicuum, supra virginis sedem collocatum, altissimum omnium, et quam proxime potest, ad tabernaculum sanctissimae Triados accedens, propinquum illi, et ad dexteram incredibili altitudine, et inaudita majestate constitutum, quam dignitatem habebit? quos radios immortalitatis splendore aeternae divinitatis illustratos longe lateque diffundet? nonne opus admirabili artificio ex auro factum, et gemmis ad similitudinem ignis accensi fulgentibus collucens aspexitis? Non aspexitis nubem aliquam ad Solis occasum spectantem, et radiis Solis ejusdem occidentis in eam insertis, et penetrantibus, magis claram, magis splendidam, totam rubore purissimo perfusam, et omnia proxima loca

communione tantae lucis, et fulgore radorum illustrantem? Non vidistis fenestras templorum speculares suis coloribus, et picturis venustissimis distinctas, penetrantibus Solis radiis, et eas non fulgore suo solum ferientibus, sed universas complentibus, et clarissime simul illustrantibus, adeo nitidas, et illustres vitreo perlucido toto speculorum opere undique apparente mirabiliter, et patente clarissime, ut quae species, quae formae, quae ab speculis splendidissimis reddantur imagines, et nostris oculis obversentur varietates picturarum radiis Solis illustratae, magis conspicuae, magis insignes videri non possint? Ita mentis oculis complectimini verum generis humani Parentem, nostrum vindicem, et assertorem Christum Iesum, immortalitatis gloria circumfusum, confidentem ad dexteram Patris aeterni, magis illustrem, et admirandum, quam formas omnes, atque figuras, quae sub aspectum oculorum, aut in nostram cogitationem cadere possunt. Non sic carbunculi splendent, non ita nitent Smaragdi, non tanta claritate micant lapides omnes pretiosissimi, neque orbis ipsi caelestes, non circulus Lunae completus, non Sol ipse tum, cum micat, et splendet clarissime, ut vulnera manibus inusta, et pedibus sanctissimis impressa Christi Iesu, ut ipsum stemma capitis diademate plusquam Imperatoris triumphantis splendidissimum, ut vulnus denique lateris accensas flammã, et lucem diffundens incredibilem. Satis amplum, et honorificum putant homines aliquem secum sanguinis communione conjunctum Cardinalem fieri, et ex numero patrũ Purpuratorum factum, ipsa purpura, atque galero aspirãtem ad summi Pontificatus dignitatẽ, quae sedes honoris celsissima est in terris, munera, et dona gratiae caelestis impertiens mortalibus, jure suo Romano Pontifici locum proximum obtinere. Si mortales eximium, et singularem ducunt honorem, quem principi generis, et familiae haberi vi-

dent, atque deferri, quanta in gloria? quo in honore genus erit hominum, cum caput, et auctore suum Christum Iesum tantis affectum donis, et honoribus aspexerint cumulatim immortalibus? quando aderit, et praesens erit tempus? quando erit, et illucescet illa dies suavissime Iesu, cum in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiescam? cum aspectu tantae pulcritudinis expleam animum, et sensus omnes suavitate, et insatiabili jucunditate perfundam? cum te, quem divinae Mentis videre cupiunt, et videndo, cum nunquam e conspectu suo amittant, suam cupiditatem infinitam explere nequeant insatiabiliter? O summa bonitas, o pulcritudo maxima, o fons perennis, et inexhauste bonorum omnium. Si jam tandem e carcere, e custodia corporis liberarer, si ex hac servitute, ex hoc jugo corporis intolerabili ereptus in libertatem veram, et in palatia caelorum, ut Christi mei liberatoris, et recuperatoris dignitatis nostrae aspectu perfruar, ascenderem. Restat jam ultima pars orationis, quae in Dei gloria posita est: quae nullius hominis, neque caelesti Angelorum eloquentia explicari poterit. Est enim Deus pelagus immensum, et infinitum bonorum omnium, aerarium, et India omnis generis bonorum locupletissima, speculum pulcritudinis clarissimum, fons inexhaustus sapientiae splendidissimus, ipsa fortitudo, summa bonitas, virtus infinita, bona omnia, a quo omnia profluunt, et in homines, et in caelestes Spiritus munera praestantissima proficiscuntur: cum nihil erit boni, quod infra, supraque Lunam contineatur, quod non tanto Domino omnes acceptum referre debeamus. Cujus cum Majestatem nullis, neque locorum, neque temporum finibus circumscriptionem nosse cupimus, nihil est, quod tam frustra exigua nostrorum ingeniorum navicula comprehendere nos posse putemus: cum enim plurima, cum infinita, quaecunque mens nostra consequi potuerit, dixerimus, ea quidem et meritis infinitis, et Majestate tanti Domini multo inferiora esse necessarium est. Dicam tamen aliquid, quoniam huc quidem profecti sumus. Magna sane fuerunt, quae

quae supra commemoravimus incitamenta gloriae caelorum appetendae, sed exigua quidem ad celsitatem, ad gloriam Dei immortalis comparata: continet enim in se genera bonorum omnium, multitudinem, et infinitatem rerum, quae in mentem venire possunt, quae mens humana desiderare vellet, et concupiscere: quae non fingi solum, aut ex cogitari queant, sed quae in hominum cogitatione incident ulla unquam memoria saeculorum omnium. Absolutio rerum omnium, quae terra, caeloque continentur, perfectio quidem omnis omnibus numeris hominum absoluta, dona, ac munera quaecunque perfecta, et cumulo quidem infinito adaugeta, et amplificata, quid quid Mentis divinae, coetus omnes Angelorum in natura sua praecellenti proferre potuerint, id in Deo immortalis reperimus inesse. Quo quid ad voluptates veras corporum, et animorum jucundius? quid ad solidam beatorum gloriam comparandam praestantius esse potest? si rerum aspectus, quae creatae sunt, tantis gaudiis, et laetitiis animos hominum afficiunt, quantum erit gaudium nos intueri in divinum os, faciemque Dei immortalis, in lucem illam clarissimam, in pulcritudinem, et splendorem tanti Numinis eximium, in quo tanquam in speculo splendidissimo lucere cernemus omnia, quae fingi possunt, et fulgere clarissime? Quae laetitia erit animorum, cum intueamur, unum, et Trinum Deum, illam supremam divinamque naturam hypostasis cujuscunque proprietatem, et omnium in se conjunctionem tantam, et societatem? Gloriam Patris, sapientiam Filii, bonitatem, et amorem Spiritus divini, in Deo, Deum ipsum, et nos ipsos in eodem Deo clare, et perspicue videbimus: et rerum omnium, quas voluerimus, et quas appetierimus, genera perspiciemus. Sit speculum aliquod, speculis per lucidis clarissimum, quod eximio fulgore positum ante oculos vim habet eximiam, et illustrem, ut et fulgorem speculi, et in eo nostram effigiem, et imaginem, et res omnes ante speculum constitutas oculis ipsis intueri valeamus. Ita quidem in illis sedibus, divinisque domiciliis Deum ipsum, spe-

culum fulgentissimum, et in speculo tanto imagines rerum, quas voluerimus, et formam nostram atque figuram, intuebimur. Cernite animis ipsis, quoniam oculis non potestis, viridariū jucundissimū, et amoenissimum, cujus parietes multis malis Medicis, et pomis Citreis convestiti nitent ad similitudinem auri clarissimi. Cum totum pinnulis circumdatum sit, ex una in alteram pinnulam arcus effecti visuntur opere, et artificio mirabili, et ex eis pendentia mala Medica, limonia, aut Citrea. Areae ad dexterā, et ad sinistram singulari arte, et solertia confitae sunt violis, aut floribus distinctae, et myrtetis stratae, quae accuratissime resecta habent speciem, et similitudinem tabulae politissimae. Areas vero ipsas cancellulis arundineis circumdatas ornant formae, atque figurae satyrorum, nimpharum, equitum in equis insidentium, naves, triremes armamentis omnibus ornatae atque instructae, nimphae, quae flores in calathis collectos Apollini, vel Pani deferunt, suppliciter, atque demisse se suaque omnia, et flosculos delibatos, et acuratione maxima compositos devovent. In medio viridario inter hos, et illos vestitus amoenissimos stagnum interjectum intuemini, et totum aquis perlucidis, et crystallinis, vitro quocūque, cristalloque clarioribus redundās. Agite jam, nonne opus stagni jucundissimum, et aquas ipsas stagni finibus contentas, pisces etiam in summis aquis natantes aspicietis? Nonne elegantiam humani corporis, atque ipsam praestantiam, et dignitatem oris? non vestitus parietū, viridarii ornatū, et formas dissimillimas, specie, et varietate distinctas, atque tantā arborū diversitatem ubertate omnis generis pomorū incurvescētū in stagno videre poterimus? quid ergo erit, cū in celsitatem Dei animorum aciem intēdamus? et in clarissima tanti Domini luce, ut nihil clarius cerni viderique possit, nostram figuram, et reliquam excellentiam donis jam divinis, ac muneribus immortalitatis redundantem, et multitudinem, et infinitatem rerum, in quas aspectum animorum in-

ten-

tendere voluerimus, sine fastidio, et satietate perpetuis gaudiis exultātes aspiciamus? O divinam gloriam. O mirabilem aspectum. O gaudia solida, et vere appetēda. Hic animi insatiabilis veri visendi cupiditas explebitur: quia rerum omnium, quas nosse concupiverit, veram notitiam, et scientiam Sole ipso clariorem habebit. Hic voluntas acquiescet, fontem hunc perennē, et inexhaustum bonorum omnium summo semper amore, et ardenti caritate complectens, praeterquem, quia in eo summum bonum continetur, nihil est magis appetendum. Hic inexhausta, et insatiabilis aviditas satiabitur esca gaudiorum immortalium, qua vescendo semper insaturabiliter animos appetētes explebimus: ut nihil sane sit, quod exspectare valeamus amplius. Hic Fides, Spes, Caritas, tres praecellētissimae virtutes, quibus cultum, et honorem immortali Deo tribuimus in terrarum sedibus justis ac debitis praemiis afficientur. Fides enim praemium accipiet amplissimum suorum meritorū, aspectum Dei sempiterni, Spes vero possessionem haereditatis aeternae datam, et retinendam in perpetuum, Caritas imperfecta perfectam, et omnibus numeris expletam caritatem. Hic inquam justi aspiciēt, amabunt, perfruentur, et Deum laudare nunquam desinent, et nulla satietate explebuntur, et saturi semper esurient. Hic cantus divinos concentu, et harmonia caelesti concinentes edent, quibus aula caelorum, et palatia celsissima tantis semper modulationibus exhilarata personabunt: qui quasi novi semper, quasi nunquam antea auditi, nova semper voluptate ex numeris modulatione jucundissima perceptis de laude divini Numinis concinentur: quam enim principio ex cantibus voluptatem perceperunt, eandem in omnes saeculorum aeternitates Magnates, et Heroes aulae caelestis accipient. Nunquam Sanctorum laetitia imminuitur, nunquam cōsenescit: quemadmodū neque corpora morbo deflorescere possunt, nec vetustate. Deus enim, qui ab infinitis prope saeculis, et aetatibus fabricam caelorum

hac specie, atque venustate jucundissima, quae sub aspectum oculorū cadit, ad haec usque tēpora conservat, et in reliquam hominū memoriā cōservabit, efficiet, ne tanta gloria caelestis ulla saeculorum omnium aetate de viriditate sua, et de pulcritudine clarissima possit ullam imminutionē accipere: sed ut eadē existat, quae ab aeternitate fuerit infinita, et permaneat in nullum unquam aevum de pulcritudinis praestantia quidquā amissura, laudibus divinis, ornamentisque florentissima. Atque haec, quae diximus, ad animorū gloriam spectāt. Quam autem sibi gloriam corpora cōparaverunt? O Deum amantem hominum. O largitorem summum, et amplificatorem bonorum. Quid foetidae huic, atque putidae carni, appetitionibus suis effraenatis simili pecudum intēperatissimarum cum templo magnificentissimo, et sacrario caelorum sanctissimo? bestia haec indomita, quae vinculis alligāda, et cōstringenda fuerat ad praesepe sedem sibi cum coetu Angelorū in beatis sedibus, aeternisque domiciliis collocabit? Sine opifex, et architecte caelorum pulverem cum ipso pulvere commisceri, et coenum cum coeno volutari grave olenti: nulla non modo dignitas, sed erit summa deformitas ex admistione rerum caelestium cum argilla, et limo contemptissimo. Nulla convenientia, sed dispar sane ratio videtur esse in hac tā dissimili, lōgeque repugnāti caeli cū terra cōiunctione, atque adeo in caelesti eminentia celsitateq; dissimillima, ut terram supra caelum evehas, et extollas. Ius est istud a summo, praepotentique Deo tributum, qui tantum corporibus praemium deferre voluerit: ut quoniam corpus partē oneris suis humeris comportavit, cum eo communicatio sit, et societas utilitatum, honorum, et praemiorum, quae socius, et comes animus consequatur. Quid igitur de gloria corporum dicam? Sensus omnes gloriam sibi praecipuam, et singularem comparabunt, et singuli sua caelesti ac divina voluptate perfruentur. Oculi nova luce instaurati Solis splendore clariores aspicient recta beatorum magnificentissima, et viridaria

de


deliciis omnibus, et amoenitatibus redundātia. Aures percipient concentus, et suavitates divinarum vocū caelesti harmonia adeo concinentium, ut unius dulcedine omnis generis hominum mentes consopiri potuissent. Odoratus quantas percipiet suavitates, non ex conditionibus rerum humanarum, cujus vapores in sublime ferātur ex odoribus accensis, et artificio cōmuni cōcinnatis, sed pro proportione, et excellentia gloriae beatorum, potentia Dei immortalis inventis, et tota aula caelesti perfusis. Gustatus dulcedine saporum omnis generis suavissimorū inter caeteros etiā sensus commovebitur non ad alendam sustentandamque vitam, communi, quo vescimur, ciborum genere, sed ad absolutionem, perfectionemque cujuscunque gloriae perfruendae. Quem igitur sensum eo tempore percipiet animus, quando pro cōpressionē sensuum, pro vi allata corpori, pro carne ipsa inedia, et vigiliis in servitutem adducta, quae non multos dies permanserunt, sed ad exiguum temporis spatium, ut illud vix momentum putare debeamus ad aeternitatem saeculorum omnium collatum, seipsum tam immenso, et infinito gloriae pelago quasi obrutum, et submersum intueatur, minime exitū reperiens, neque terminos ad perfruumdum tantis voluptatibus, et laetitiis solidis praefinitos. O felices labores. O merita satis praeclare cumulata. O rem non tam oratione prosequendam, quam appetendam, et quibuscunque laboribus, et periculis vitae propositis conquirendam. Quid si in aeternitatem saeculorum omnium, quibus tantis gloriae ornamentis redūdabimus, inspiciamus? Haec una res satis causae deberet esse, ut quam magnis clamoribus sublatis in caelū provocaremus, et ultro lacefferemus labores, ut in nos uno facto agmine irruerent concursu, et conflictu acerrimo opprimerent, et obruerent, ut tanto Domino, qui in nos tot, et tanta munera congesturus est, inservientes, grati studeremus esse. At quot annos praemiis tantis perfruemur? permanebit praemium istud tot annos, et saecula, quot in caelo sidera in

D d d haere-



haerētia fuerint? et his multo plures annos. Permanebit merces ista magnificentissima, in tot saeculorū aeternitates, quot aquarum guttae defluerint in terram, et defluent per omnes mortalium aetates, quae consequantur, infinitas: et his multo plures: permanebit enim quandiu Deus immortalis fuerit, qui regnabit in saeculorum omnium immortalitatem sempiternam. Tendam igitur manus ad Deum immortalem humili prece, et obsecratione utens in hunc modum. Pater totius benignitatis, et infinitae munificentiae, summe Deus, magnificentissime, benignissimaeque, precor Majestatem tuā, per clementiam tuam, et misericordiam incredibilem, ne tot, et tantis bonis, et tantis gaudiis, et solidis beatorum voluptatibus caream. Deus immortalis, qui me ad imaginem, et similitudinem tuam formasti, et participem donorum tuorum animum meum fecisti, atque tanta, tamque excellenti dignitate praeditum, ut me societate beatorum, aspectuque tui Numinis tecum tam arcte copulare volueris in perpetuum, finem hunc, et complexum animi mei dignitate tui ipsius, celsitate tui Numinis, immortalitate tuae divinitatis exple, ut haereditas mea, et gloria jungatur cum patrimonio beatorum, et possessione caelesti. Hanc haereditatem, has divitias, has opes, et affluentiam expeto: quae sunt infra Lunam, et sectatores hujusce saeculi appetunt, repudio, et libentissime contemno, ut cum beatorum coetibus in partem gloriae caelestis accipiar, in aetates saeculorum omnium infinitas, atque adeo in Aeternitatē immortalis Dei sempiternam regnaturus.

ORATIO DE MORTE HOMINVM  
generi semper imminente.



Vides, Patres, primo die ineuntis quadragesimae, frontes omnis generis Christianorū signo sanctissimae Crucis digitis sacerdotis impresso, cinere notari singulis annis de more, et

in;

instituto Matris Ecclesiae suis alumni, et cultoribus ritu solenni, sacrisque caeremoniis mortē in memoriā redigētis. Hujus cineris instauratio, veterē corporis originē, exitūque, qui nos manet, brevē, et incertū renovabit, si qua mente, quo divini Spiritus afflatu notat ac designat unūquēque nostrum sacerdotis manu Mater Ecclesia, intelligere voluerimus. Atque arbitror, id satis esset, et magnā haberet vim, ut a sceleribus, et flagitiis abstinemus, si qui sumus, quā traham⁹ originē, quae primordia ducamus, quā infima, quāque cōtemptissima, recordari voluerimus, et lōgius animis prospicientes sortē, et conditionē humanae vitae, discessū animorū e corporibus cōtēplari. Recordare, clamant sacri annales, excessū animi tui cultor Christianae Religionis, homo ex limo, et argilla facte, homo tot perturbationib⁹ cōcitate turbulētissimis, et tantis jaetate procellis, turbinibusque vehemētissimis, et quanvis Daemō ipse omnes furias inferorū excitet, et cōmoveat in exitū, et in ultimā animi tui perniciē recordatione mortis, et memoria exitus, qui te manet, ultimi, ab hostilibus Daemonis incursionib⁹ animū tueberis, atque defendes. Verba sunt sacrarū litterarū, quae nos fallere nō poterūt, neque in errorē ullum inducere in omne vitae tēpus. Memorare, inquit, novissima tua, et in aeternū nō peccabis. In aeternū, inquit, in perpetuū scilicet, in omnē saeculorū memoriā, dum vixeris, et anim⁹ iste tuus corporis cōpagibus includatur: neque te libido ad voluptates, neque avaritia ad cupiditatē rerum humanarum, neque superbia ad jaetationem, et insolentiam, non iracundia ad injurias ulciscendas, non desidia ad inertiam, et ad languorem pecudum tardissimarum, non denique ulla res ad maleficium suscipiendum compellet. Verfabitur enim in animo tuo mors, quae repētina solet esse res, et inopinata, et in mediis negotiorum forensium fluctibus, in deliciis, et voluptatibus mediis, tum cū in flore juventutis, aut in imperio cū dignitate dominaberis, a tergo arcū intendens interitum minitabitur. Quo quid praeclarius, et ad ani-

morum salutem esse possit utilius, non aspicio. Nam si nullo me capitali scelere astrinxero, retēta semper gratia Dei sempiterni, sedes illae me manent beatorum civium, manet aspectus Majestatis aeternae, manent nullo unquam aevo peritura gaudia divinarum Mentium. Quod si certum fuisset, et exploratum homini principem locum in aula Regis obtinēti, nullo unquam tempore de gradu dignitatis adeptae se deiciendum, in gratia semper, et amicitia Principū hujusce saeculi clarissimorū futurū esse, suam ille, credo, sortem, et conditionem cum nullius florenti fortuna commutasset certus de retinenda gratia Regum acquisita per omne suae vitae tēpus. Age homo, qui tanti aulā Regū, qui palatia, qui Regias arces, qui gratiā istorum Principū facis, qui ex illorū familiarissimis, et intimis esse cupis, non aspicias, quantopere haec animis fordeāt, ac nulla sint ad Dei amicitiam, et ad Iesu familiaritatem, ad illius gratiam conservandam, ad acquirēdas beatorum opes, et solidas, et immortales caelorum voluptates: Miles, qui ingressus in medias inimicorum acies, certior fuisset de strage faciēda, de suorum inimicorū nece, et quantavis inter tela, inter gladios districtos, inter hostium agmina confertissima versaretur, nunquam sibi moriendum certo sciret, his vulneratis, aliis caesis, multis in fugam conversis, et ipsa terra multitudine cadaverum non oppleta solū, sed multo flumine sanguinis inundante, quāto in honore fuisset, quātis in gaudiis, et laetitiis baccharetur? Video, patres, Daemonem tanquam leonem rugitu horribili terrorem injicientē generi mortalium, et dies noctesque, nec minimum temporis abire patiētē, ut obsideat nostros animos, et a Deo Creatore nostro disjungat. Audio concursum, et multitudinē legionum ex imis inferorū cavernis prodeūtium, strepitum ac tumultum, ut adhibeant, et faciant vim animis, ut Dei spoliēt amicitia. Quid enim superbia facit? objicit mētibus nostris fucatum humanarum rerum splendorem, inanes, et falsas honorum, et dignitatum umbras. Quas libido faces ad-

movet? quas objicit formas, multo fūco, et pigmentis illitas? pulcritudinē, et venustatem falso rubore, et cādore in mulieribus apparentem, et exstantem ad breve tempus? Iob ille familiarissimus Deo hominem dicebat praelium assiduum, cum inimicis, et gravissimum, et periculosissimum commissurum esse, et ob eam causam oportere semper illum armatū incedere: qui si quando aliquid despexerit, nihil nō Daemō in perniciē suam, et animorum interitum molietur. Sibi igitur semper cavere, semper vir sanctissimus hominem prospicere volebat, ut vigilas semper ageret, semper ad custodiā suae salutis, semper ad animi sui speculam incumberet. Has quidem vigilas, et excubias nobis pollicetur memoria mortis, cujus recordatione septi, quā sine metu, quā sine periculo tuti possimus esse, quot viri confirmare possunt? Equidem patres, si nobis non hoc Mater Ecclesia praedixisset, si nō illa nobis recordationem mortis utilem, et necessariam dedisset multis sanctissimis viris auctoribus, et in hanc mortem semper spectantibus ad se suosque animos in officio cōtinēdos, vos omnes ad mortis memoriam excitaret vnus Alexander Magn<sup>9</sup>: qui quāvis expers totius Religionis, tamē in summo Imperio, summaque dominatione terrarum famulum habebat, qui mortem in memoriā redigeret, ut Principes alii pueros a calcaribus, a cubiculo, a manibus habere solent, quorū opera multis in rebus, et officiis faciendis privatim utantur. Quid Brachmanes sacerdotes Indorum, ea gēte nati, quae nō modo cultum Dei, sed neque minimam particulā verae virtutis acceperāt, sepulturas in ipso statim aditu, atque introitu aediū suarū, pro foribus, quas eos introire toties necessariū erat, non proposuerunt, ut intrantes limina quocunque tēpore, et egredientes, confestim aediculam angustam septem solum in longitudinem, et quattuor in latitudinē pedes patentem, id est sepulturam oculis suis aspicerēt? Iacobum vero incertus exitus, et inopinata hora, repētinus saepe discessus multorum impulit in hanc mentem, ut illum, qui die pro-

ximo iudicium faciebat, conditionem, et naturam nosse suū juberet, quem incertum erat ad crastinum diem perveturum esse. An vero paterfamilias somnum capere auderet, ac non vigilaret totam noctem, si pro certo haberet fures noctis illius tempus ad furta facienda capturos esse, tum cū illi maxime cura vacuis domesticis, hero, famulisque dormientibus, ne perferri possint, quietē nocturnam aucupantur? An divo Lucae rerum divinarum praeconi clarissimo, et rerum a Christo Iesu egregie gestarum scriptori praecellētissimo. nō aures attentissimas praebemus genus hominum admonēti, ut comparati sint, ut animis bene constitutis mortis interventum singulis diebus, horis, atque momenti expectent: cum inopinātes praecoccupet, et auferat de medio, quos mors voluerit, et semel fuerit adorta. Pascit herbas, et uberrima pascua vitulus tener, ac parvulus, et cum inter reliquum genus pecoris, et armentorum liber, et solutus vegetur, et erret, in summa ubertate camporum, et luxuria maxima pastus capessens, abstractus a sui generis similibus, atque fure protinus in cornua injecto, mugiens ad lanienam trahitur. Ex quo intelligi debet, diei, quae hominem manet, ultimae conscientiam esse neminem, scire potius homines, neque ququam fugere posse propter varios casus, et incertos hominū eventus, propter fragilitatem naturae nostrae, debilitatemque cōmunē, mortē homini, tanquā saxum Tantalō, singulis momenti, et intervallis impendere, minantem stragem ferocitate semper inaudita, dira nimis, et immanitate prorsus inexorabili: ut neque respiciat divites, neque respectum habeat ad honores, non ullam rationem habeat nobilitatis, nō illam juventutis misereat, parvi Reges ducat, et omnibus amplissimis honoribus affectos, in omnes caeco, et praecipiti non solū invadat impetu, sed omnes proterat, atq; cōculcet, nec cuiquam illam capiat misericordia: nūquam hebescere patitur acie gladii districti, quē semper vagina vacuum habet, et infixum omnino, vel jam jam infigendum mortalibus in corpora

pora. Atque uno tempore, saepe momenti minimis, unoque dumtaxat puncto tēporis millia mortaliū infinita nullo sensu, neque dolore, nulla misericordia trucidat. Quin quod dolore affert, et afferre debet generi mortaliū, in eo solēt homines esse statu misero, funestoque, cū evita nonnulli auferūtur, ut melius cū illis ageretur, si nō ex utero parentū exiissent in hanc lucē, si nunquā cōcepti fuissent: (sic nati suo misero luctuosoque malo videri possunt) quā ut sceleribus, et flagitiis astricti, sine cōfessione, nullo dolore, neq; sensu scelerū, et flagitiorū suorū decēsserint immiseriā sempiternā, in tenebras inferorū obscurissimas suppliciiis aeternis damnatorū addicti. O filii Adami. O genus hominum, si quandiu superstites estis, quibus in periculis versamini, quanti vobis laquei tenduntur, quot insidiae parantur, animadvertetis, quā alia fuissent verba, quam longe diversi sermones, quam vitam institueretis, quot mores, quae studia, quas actiones imitari minime: una vos hercle mortis memoria pungeret, et stimularet magis, una mortis recordatio sensus: ita vestros, animosque percelleret, ut dies noctesque nulla quietis intervalla possitis habere nisi cogitando de morte nulli nō generi mortaliū proposita: quae nō a nobis lōge potest abesse, cūque multū abfuerit, triginta annos, aut nō amplius sexaginta aberit. Atque haec lōgitudine vitae, tāta annorū multitudo, quot, et quātos Noe, Mathusalem, quos saecula plurima vixisse legim⁹ ad beatorū aeternitatē cōparata, quantula videri debet, quā minima, quā re ipsa, nulla? Regnū tuum, clamat David, ut se ipsū ad gaudia beatorū, ad opes illas caelestes, atque divinas exciter, regnum tuum aeternum est, et immortale, nullis locorum, neque temporum finibus circumscriptū. Insuper igitur in animis nostris, quod nullo modo avelli possit, infixū, et collocatū tēpus istud breve, quod nobis reliquū est in hoc saeculo versantibus, ut mortē in memoria nūquā habere, nullo tēpore de morte cogitare desinamus, omnibus in locis brevitate vitae recordari studeam⁹. Ac ne nos imparatos, ne nos

inopinātes mors opprimat, cogitemus ex limo, et argilla nos factos esse, et in pulverem redigendos. Vt pisces hamo capiūtur ad escam decurrentes, in hamo infixi, et inhaerentes penitus, neque trajecti, simulatque pendere de ferro contigerit, elabi videntur: ut laqueos, et retia tendimus, aut visco virgulas illitas in arbusculis, vel in virgultis oculis avium objicimus, ut in visco inhaerētes cardueles capiamus, qui semel illaqueati, aut cum in visco inhaeserint, movere se poterūt, sed evolare nulla ratione, ut aucupis manus effugiāt, et praesidio alarum evadant: ita nos miseri rebus hujusce saeculi infatuati, capti misere, constriēti que, tum cum magis obliiti Creatoris solemus esse, mortis interventu repente opprimimur, morituri sane, et e vivis auferēdi. Quamobrem nihil infelicius homine, qui cum potest, non tamen ad mortis tempus incertum, et futurum sine dubitatione se comparaverit. Quid enim exspectabant homines? cur non longa comparatione, non multo ante provisione diligentissima quisque mortalium morti adventanti occurreret? An vitam vobis aeternam, immortalitatem saeculorum omnium pollicemini? O nimiam hominum inconsiderantiam. O temeritatem inconsideratissimam, et dementissimam. Quousque tandem in hac alienatione mentis perseverabitis? Quandiu vos iste furor eludet? quem ad finem sese intoleranda jactabit amentia. Temerarii, et incōsiderati homines, amētes, et perditii quorū ruitis caeci, ac praecipites in perniciem, et in exitium animorum vestrorum? Nihil ne vos humanae naturae cōditio? nihil fragilitas nostrae conditionis? nihil imbecillitas corporis, et virium? nihil varii, et incerti casus? nihil exitus multorum inopinati, nihil tela, necesque allatae commovere poterunt? habere mortem imperium in omne genus hominū, et nimis amplam tenere dominationem non aspicitis? quas Hispali, quas Cordubae, quas in Baetica provincia, quas in Italia, quas in Hispania, quas in India, quas in universo terrarū orbe strages edat, ignorare poteritis? vos haec auditis quo-

tidie,

tidie, et aspicitis etiam, et adhuc cura vacui? metu liberi potestis esse? Obsurdescitis, et dormitis somnum Endymionis? neque vos tantae faces, ut ad mētis sanitatem redeatis, excitabunt? Non interitus amicorū vestrorum? non mortes propinquorum, atque parentum? non tot spoliationes dignitatum? non clarissimarum ruinae familiarum? non tot rerum publicarum everfiones? Non tot potentissimorum Regum interitus? non tot summorum imperiorum occasus? non vis ipsa mortis in aedibus Imperatorum invictissimorū, et Pontificū Ecclesiae summorū exsultātis? Nō haec vim ad mortis memoriā habēdam apud vos habere videbūtur? quod ille repentina morte concidit ante tuos oculos, quod alter incolūmis cubitum discessit, et mane mortuus reperitur in lecto, quod unus gladio, alter sica trajectus, quod iste palā, et aperte, ille ex insidiis interficitur, quod aliquis pilo uno, una spina in gutture transversa suffocatur, quod potu aquae frigidae, quod sudore aliquo quisquā cohorrui nō cogitabitis? quod ille in febrim incidens non convaluit, alter intra paucos dies, vel intra paucas potius horas de medio ablatu lugeatur, quod unus ictu tegulae viam praeteriens confectus, quod tot millia hominum in bello occubuerint, quod innumerabiles naufragio perierint, quod quotidie, quod passim, quod in ore mortaliū, quod in nostris oculis funera fieri videmus, et in ecclesiam efferri, quod pueri nondum suo sensu, neque ratione praediti, quod adolescētes, qui vix ad hāc lucem aspiciēdā oculos aperuisse videbātur, quod ipsi juvenes, qui in mediis voluptatibus, et deliciis, in magna spe, et summa rerum omnium exspectatione vivebant, quod etiam viri summa gravitate, magna prudentia, multis ornamentis conspicui, quod obscuro, et nobiles, quod Duces, et Imperatores, quod Praesules ecclesiarum, quod summi Pontifices Romani moriantur, nihil haec vos respicere? nihil horum attingere vestram naturam, conditionemque videbitur? An vero homines videam ego mei generis, mei status, et ordinis, et me

Ee mal-

multo clariores, et illustriores, et fortiores, et valentiores, quos nunquam mors adortura videbatur; mortuos, et sepultos, et infra terram non illatos solum, sed memoriam illorum cum nomine sempiterna jam oblivione deletam, et mihi confidam? meae valetudini? meis viribus? Vitam me longissimam acturum esse sperabo? num inficiari potestis, si gladium vestris cervicibus impendentem videretis, et jam, jamque infigendum mucronē cuiquā vestrum in pectora, neque oculis, neque corpore, neque mente, futurum esse, ut consistere potuissetis? Quid igitur expectatis? ut vos inopinātes, vos sceleribus coopertos, cū a Deo fueritis vestris maximis peccatis, et gravissimis scelerib<sup>9</sup> alienati, mors praecipiet? vos opprimat mors? ut deturbemini praecipites in inferorum regiones cum lucifero flammis, et igne sempiterno cruciandi? Id quidem temporis cum soluti corporis compagibus nihil opis, nihil auxilii expectare valeatis? si quisquam vestrū insequentem hostem respiceret a tergo, non ubicunque locorum esset is, properaret, et acceleraret, ut pericula vitaret, et impetus hostiles propulsaret? Mortem respicite insequentem a tergo feram, immanem, terrificam, inexorabilem, telis armatam acerrimis, et in equo alato processus maximos facientem, accelerantem, et advolantem, et quacunque impetum facit, strage multa ictus innumerabiles infigentē, quibus cadant, et intereūt millia generis hominū innumerabilia. Parum abest, quin ad vos perveniat: quos si voluisset, ex loco, in quo tantas strages edit, confecisset equidem: sed expectat, si volueritis ad vos redire, jussu divinae Majestatis retinetur, ne vos miseros invadat. Quid agitis? quid expectatis? plane nisi caeci, et amentes estis, consulendum vobis est, et providendum. Consulite igitur, ac providete: nam si fortunas vestras, si divitias, et opes salvas, et incolumnes appetitis, multo magis salutem, et incolumitatem animorum appetere debetis, et quod Mater Ecclesia jubet, ut iacta nostra, progressus, et exitum vitae recordemur, id

id animis vestris, memoriaeque mandare. Nihil equidem est ex rebus humanis, quae in nobis, aut in aliis insunt, quae non ad mortis recordationem invitent. Quocunque te volueris oculis, et animo convertere, praesto debet esse, tecum illa versari, neque vel punctum temporis e memoria excidere. Age jam, si pulcritudo te delectat, si dignitas oris, si conformatio totius corporis, tantus in ore lepos, reliquisque membris convenientia singularis, non in mentem veniet, quot te pulciores, multo elegantiore forma, magis eximia, spectataque figura, qui flos aetatis, flos pulcritudinis videbantur, e vivis ablati fuerunt? ubi pulcritudo Iezabelis? Vbi venustas oris, et lepos ejusdem admirabilis, si ve toto corpore diffusus color naturalis, aut cador, et nitor fucatus, pigmentis falsis illitus, et ementitus? ubi corporis ornatus, et cultus pretiosissimus, gemmis, et margaritis fulgentibus distinctus? nihil foedius illa, nihil post mortem deformius, quae de fenestra dejecta, horribili specie, atque deformi, media in via relicta fuit, et obiecta canibus, et bestiis dilanianda: quam qui praeteribant, aspicientes, clamabant. Haecine Iezabel illa? Haecine forma, cujus pulcritudinem, et splendorem omnes admirabantur? Haecine species praeclara, et eximia? quam omnes propter excellentem muliebris formae pulcritudinem adamabant? Haecine, quae comata, et ornata splendidissimo cultu, non parietum tectis occultata latebat, sed lucem aspiciebat clarissimam, et omnium oculos, et animos in sui rapiens admirationem? Vbi lux illa pulcritudinis clarissima? Vbi splendor oculorum? ubi nitor? ubi decor? ubi excellentia formae praestantissima? quid postea aspiciabant homines praeter ossa, praeter summos digitos, et corporis extremitates aliquot? Omnia mors una non deformavit solum, sed eripuit penitus, et dilaceranda canibus objecit. Et nos in pulcritudine, nos in oris dignitate spē ponemus aliquam? nos hanc elegantiam corporis, atque praestantiam membrorum fore perpetuam arbitrabimur? Fili mi, fili mi Absalon, Absalon

lon fili mi clamat pater, qui filium, plusquã oculos suos, suã  
 vitatem, et delicias suas amabat, et tantum nobis luctum, et  
 tantum moerorem attulisti? tam repentino malo interire po-  
 tuisti? non in oculis parentum tuorum? nõ in lecto mollissi-  
 me strato jacens? non inter tuos, qui palpebras claudere po-  
 tuissemus oculorũ? sed in solitudine, fugiẽs, et telis trajectus  
 crudelissime, de quercu pẽdes inter ramos arboris vetustissi-  
 mae, de tuis capillis, de capillis inquã parte corporis tui pre-  
 tiosissima, et omnium, quae tuam formam eximiam, et excel-  
 lentem exornabant, praestantissima, quos mulieres tãtis lau-  
 dibus efferebant, certatim etiam appetebant, siclis plurimis,  
 pretio maximo, et exquisitissimo emebant ad capitis orna-  
 tum, ad suorum decorem ornandum, decorandũque capillo-  
 rum, pendẽs mortem crudelissimam oppetiisti? Quid mulie-  
 res in ornando capite, in componendis capillis, in poliendo  
 corpore, in cultu vestro tantam adhibetis curam, et diligen-  
 tiam? Petite vos adolescentes exemplum ab Absalone pul-  
 cerrimo, venustissimoque. Quo spectent capilli, quo pulcri-  
 tudo perveniat, quem exitum habitura sit, animadvertite. Ut  
 Iezabel de fenestra praecipitata; ut Absalon de quercu pen-  
 dens diem ultimum obiit miserabiliter, et praeter moerore  
 suorum, praeter parentum luctus, praeter communes, quas in  
 tanto, tamque repentino casu viri, et mulieres lacrymas pro-  
 funderent, nihil de tanta pulcritudine reliquum factum est,  
 et vobis sane moriendum esse, vobis diem ultimum immine-  
 re, mortem ipsam gladium intendentem fatum ultimum mi-  
 nitari cogitatote. Erit, erit dies illa, et extrema sine dubita-  
 tione dies aderit, cum desperata valetudine, diffidẽtibus jam  
 amicis, et medicis, qui nullam jam salutarem medicinam fa-  
 cere poterunt, vos gravi morbo affectos ultimae morborum  
 affectiones, angustiae, et anxietates extremae occupabũt, cõ-  
 ficient, et interiment omnino, paulatim adimendo vitam, do-  
 nec omnem spiritum exhauriant. Qui dolores totius corpo-  
 ris? qui cruciatus membrorum? qui sudores, et anhelitus cre-  
 bro

bro ducti? quae mutatio coloris? qui pallor? quae macies?  
 quae deformitas, et horror terrificus? dum oculi obruuntur,  
 aspectus hebescit, malae deprimuntur, jam ipse venter incipit  
 intumescere, vox praeccluditur ad loquendum, neque sonos  
 ullos lingua potest distinctos edere, sensus denique jam om-  
 nes deficere miseros homines palã videntur. Quid, cum mul-  
 tum, diuque cũ morte cõfligatis? cũ in maximo sudore, cre-  
 bro anhelitu, atque singultu, summis jam totius corporis an-  
 gustiis, animam in praecordiis conceptam agatis? cum vo-  
 bis id temporis animam agentibus morituris procul dubio  
 viri religiosi adsint, et jam vos neque notos, neque propin-  
 quos, neque filios, neque fratres vestros, neque quenquam de  
 familia possitis internoscere, et nutus dumtaxat, et significa-  
 tiones percipiatis, quibus ad bene de divina misericordia spe-  
 radum, ut illum vestrorum misereat animorũ, ut corde, quã-  
 do ore non potestis, Iesu nomen usurpetis, significant, et in-  
 nuant? Cum Cruci affixi Christi effigiem oculis admoveri  
 sentiatis, et ori osculãdam, neque jam quidquam remedii, ni-  
 hil contra mortem adfuturum, sed certo vos morituros esse  
 videatis, quid agetis? quid cũ illa postea maneat moriẽtes ho-  
 mines, quae cõsequi solet, vix septem pedum angusta sepul-  
 tura, vermibus multis scatens, qui carnem delicatam, et in-  
 dulgenter admodum tractatam exedant, et absumant, inde  
 oblivio omnis generis hominum, et filiorum, et uxoris, atque  
 familiae? quid, cũ ex vestris omnibus fortunis praeter sindo-  
 nẽ nihil vos in sepulturam illaturos esse, nihil etiã vobiscũ in  
 aliam regionem, in quam proficiscamini, deportaturos, deni-  
 que summo jure vobiscũ agendum, et ad vivum in conspe-  
 ctu sempiterni Numinis omnia ressecanda, neque tempus ul-  
 lum dari post sententiam latam animis redeundi in hanc vi-  
 tam, ut vos anteaetãe vitae, scelerum, et flagitiorum poeni-  
 teat, et corporis afflictationes, et poenas severissimas pro luctu-  
 dis sceleribus admisis voluntate susceptas sustineatis, lugen-  
 tes, ac deplorantes acerbissime scelera, et peccata commissa

ad hoc usq; tēpus aspiciatis: Quid agetis obsecro? quib<sup>9</sup> afflicti stabimini, quaeſo, modis? Ad has tēporis angustias memoriā mortis habere mortales quā cōsentaneū sit, et mortem nunquam oblivisci, nobiscū tacite cogitemus: si volumus in ipsis mortis angustis Deum immortalem, mitem, et benignum experiri. Nam si, quod Deus omen avertat, uno dumtaxat capitali scelere inquinati decedamus, quo miseri nos convertertemus? Cujus, aut quorum auxilium implorabimus? aut quonam aerumnosi confugiemus: nullus est animo locus redeūdi in hospitium corporis, unde decesserit. Quo praecipites agemur propter scelera, et flagitia capitalia dānati suppliciiis inferorum sempiternis, nisi in terram obscuritate totam, et caligine circūfusam, unde nulla facultas est hominibus exeundi? nihil jam loci est obsecrationibus, nihil precibus, nihil allegationibus sanctorū. Nō ipsius Virginis sanctissimae intercessione patebit aditus ad Filium. Quinetiam in illis vulneribus Christi Iesu semel exeuntibus e vita mortalibus capitali crimine constrictis nulla spes, nullum perfugium reliquum est. Subeundae inferorum poenae, subeundi damnatorū ignes aeterni, denique subeunda supplicia sunt in perpetuum. Quae ne subeatis, vestrum est in tempore praevidere. Cogitate unū vobis datum esse mortalibus animum, et hujus felicitatem, si semel post mortem amiseritis, spem vos etiam recuperandae dignitatis amisisse per omnes saeculorū aeternitates: cujus retinendae maximum in recordatione, meditationeque mortis pondus positum est, atque momentum.

### ORATIO FVNEBRIS IN EXEQVIIS

nobilis Laurentii Mendocii, qui profectus in classe contra Anglos, nondum Londinum accedens, in media navigatione febre correptus diem suum obiit.

(S)

Si



Quātum moeroris in nostris animis, et doloris acerbissimi debuit esse, sodales clarissimi, in his nobilissimi Laurentii exequiis concelebrādis, quas luctu, et moerore, ut par est, memores tantae nobilitatis prosequimini, explicare potuissem, fecissem id, quod oratores summi fecerunt, ut lacrymis continuo obortis, et ex oculis copiose fluētibus, vos in luctus maximos adducere: sed praeteriit tēpus, et dies multi jam abierunt a morte illustrissimi adolescentis, et nulli eorum, qui in Hispania sunt, generis nobilitate inferioris, per quos dies discessum animi e corpore cogitare potuimus, et tantum, et tam aerumnosum fatum recordantes, lacrymis nos ac moerori dedere, cogitationem suscipere mortis assiduam, et ad nos omnia referendo, et quid homini futurum sit, et nobis ipsis, quos in flore adolescentiae, et tum cum minus opinemur, et magis omni cura vacuis simus, mors adoriri potest, de morte nobilissimi, clarissimique aestimare Laurentii. O spes fallaces. O cogitationes hominum inanes. O fata mortalium incerta. Quantis fortunae telis expositi sumus mortales, et casibus subiecti variis, qui in medio cursu, tum cum plenissimis velis navigamus, et nos secundissime portum appulsuros esse putamus, vi tempestatis abrepti obruimur, qui ventos inanes effabamus, et machinas turrium inanissimarum falsis fundamentis excitabamus, quasi permansuri fuisset in aeternitate saeculorū omnium immortalē. Equidē propositū est ante oculos nostros exemplū, constitutū est acerbum, et luctuosum rerū humanarū spectaculum, conditio nostrae naturae, imbecillitas humani generis, fragilitas carnis, et limi, ex quo sumus efficti, ante ora nostra versatur: et qui sum<sup>9</sup>, unde orti fuerimus, quantū progredi valeamus, quo pervenire debeamus, et quemadmodū in cinerē, citius, aut fer<sup>9</sup> redigēdi sumus, moestitia praesens exequiarū luctuosa declarat. Tantū

Ecc 4 enim

enim adolescentiae florem, tantum nobilitatis splendorem, tam incredibilem honorum omnis generis adipiscendorum spem excitatam, tam illustrem, et praeclaram virtutis specie de medio sublatam, et ademptam quis admirari desinet, admirans cōqueri, cōquerens nō acerbissime deplorare poterit? tu ne nobilis Laurenti, qui nobiscum octo menses ante versabaris, has in scholas ventitabas, limina intrabas gymnasii, et nobiscum sodalibus Virginis Mariae, parietibus istis contentus subsellia nostra occupabas, tam frequens, et assiduus, quam qui frequentes nūquā nō clarū hunc, et illustrē confessum cohonestāt Virginis Annuntiate, mortuus tā immatura morte fuisti? Tu ne nobilis Laurenti mortuus, cujus formae praestantia, dignitas oris, species, et auctoritas, cōformatio, et compositio corporis, ac lineamentorum tanta erat cum gravitate in incessu, ac facilitate animi, quantam omnes aspiciebamus? qui cum facile princeps esses scholasticorum, comitate par infimis videbaris? Tu ne nobilis Laurenti, qui de clarissima Mendociorum stirpe procreatus, et Guzmania vetustissima prosapia ortus, nobilitatus insigni, et excelsa Toledorum familia, et sanguine cujuscunque nobilissimorum Hispaniae Principū illustratus tot dynastas, tot Comites, tot Duces clarissimos, et Principes Regnorum potentissimos jactabas, e vivis ablatus es? Tu ne nobilis Laurenti, filius urbis Hispalensis praecellentissimi Praetoris, Comitis de Orgaz clarissimi, ac secundus a filio natu maximo, et successore tantae ditionis, et dominationis amplissimae, proxime, statim, si calamitas, vel vis aliqua, quae te abstulit, fratrem tuum admisset, in hac honoris sede celsissima collocandus, diem jam obiisti tuum? tu ne nobilis Laurenti, cujus adolescentis adorandi causa, et omnibus bonis, et honoribus augendi, quos equites illustrissimi generis, et fortunae tuae consequentur, Comes clarissimus de Orgaz, pater tuus Hispalensem Praetura, atque adeo gubernacula tantae moderationis accepit, ut cum tempus esset, cum Rex Hispaniarum Potentissimus,

Comi-

comitis de Regia Majestate, de urbe Hispalēsi, de suis regnis benemeriti studium, et diligentiam omnem, labores, et officia compensare vellet, quidquid in illum beneficii ponendū erat, quod certe maximum futurū esset, id in te filium suum, tantum, et tam illustrem, tanta virtutum omnium, ac meritum exspectatione clarū conferret, e vita discessisti. Tu ne nobilis Laurenti, quem de liberalitate Regis insignis Cruciferorum beati Iacobi, aut alterius ordinis equitum Hispanorum exspectare quotidie audiebamus, quē brevi Ducē propter robur, et magnitudinem animi creandum esse, neminem ignorare sciebamus, quem ad honores amplissimos ascensurum esse, denique locū inter aulicos, inter Magnates, inter florem aulae Regiae obtēturum certissimum erat, e vita jam exiisti? tu ne nobilis Laurenti, tu ne adolescens illustris, quem proficiscentem vidimus ex hac urbe Vlyssipponem, ut inde solveres cum classe Regia Londinum ad subjugandos, et capiendos hostes Fidei Christianae Anglos, habitu, vestituque militari totum pulcherrime adornatum, serico, et aureo filo in tertexto cultu fulgentem cum plumis versicoloribus in galero acu varie picto, elaboratoque, gladio, sicaque accinctū, quem spes erat rediturum salvum, et incolumē, et post captam urbem Londinensem, unde te praeda, et spoliis magnificentissimis ornatum, post gladium saepe inimicis in viscera infixum, et sanguine hostili plurimo imbutum aspecturos putabamus, mortem tam immaturam oppetiisti? tam immaturam inquam? in ipsa navigatione, praeliis aliquot levioribus dumtaxat cum hoste commissis, nondum Londinum ingressus, in media expeditione, priusquā victoricia signa in urbem Principem Anglorum inferres? nondum in portum appellens, neque cōiunctus cum Duce Parmensi, ad quē, et ad cuius exercitum transportandum classis comparata, et rebus etiam omnibus instructa navigabat, ut cum Dux Medinēsis, qui a Rege Philippo maritimo bello praepositus fuerat Imperator, mare tutum tenuisset, ille portum caperet, et

Fff du-



Duces conjuncti duo, ad bellum Londinensibus faciendum recta properarent, et terra, marique oppugnata urbs Anglorum opulētissima, in Catholici Regis potestatem, ditionemque veniret, mortuus es? his cogitationibus, hoc animo, hac spe nobilitate majorū dignissima profectus es, et nihil consequutus, neque urbe Londinēsi perspecta, mortē obiisti tuā, quam naturae hominum, quam Deo optimo, ac maximo debebas? in medio cursu, in media expeditione, morbo gravissimo in viscera grassante, atque adeo feбри, aestuque jactatus vehementissimo, in navi Imperatoria, maxima cura, ac diligentia studiis, et officiis omnibus multorum Principū, qui in navi cum Duce Medinensi vehebantur, et ejusdē Ducis summa opera rebus curationi tantae necessariis praestita, minime convalescens, gravius quotidie aegrotans, tandē animam exhalasti in primo ineuntis adolescentiae flore? ubi nobilitas generis? ubi claritas majorum? ubi flos aetatis? ubi dignitas eximia? ubi spes cōcitatae? ubi expectatio fortunae, quae te manebat, florētissimae? ubi sedes, et gradus honorū adipiscendi? Omnia repente, praeter opinionē evanuerunt. Tanquam fumus, qui elatus in sublimē, tum cum densus admodum, et caliginosus fertur, et ascendit altius, paulatim deficit, et ex oculis subductus mortaliū, evanescit. Tanquam bullae aquarum mediis in undis excitatae, quae commotae jactu unius lapidis, tumidae excitantur, et inflatae in specie nolarū turgescunt, et momento tēporis evanescunt, et aliis aliae succedunt, atque omnes minimis intervallis intereunt. Tanquā umbra, quae vix cernitur, et oculis hominū obijci visa est, cū se subducit ex illorū cōspectu, et nullā sui specie, nullū vestigiū relinquit. Quid agēt, qui te amabāt, qui noverant, qui suis oculis, et vita cariorē habebant? quid fratres? quid pater clarissimus? quid Comitē de Orgaz ditioni, potestati que subjecti facere possunt, nisi flere, nisi lamētari, nisi de morte cōqueri? quae tā inhumana, tā ferox, tā crudelis extiterit, ut non saltē expectaverit tēpus istud, quod brevissimū esset.

esset ad classis usque reditū, in oras, regionesq; Hispaniarū, ut tu clare adolescēs, jacēs in lecto, patrio in solo, domi suae, inter fratres, et propinquos moreris, et essēt, qui de suis moriēti adessēt, et spiritū extremū exciperēt? qui haberēt cadaver praesēs ad justa persolvēda ritu, et caerimoniis Ecclesiae, et ut in sepulchra inferretur honorificētissima Mendociorū? Quae haec tāta rerū, tāque repētina mutatio? quae vicissitudo fortunae? qui nā exitus iste tragicus, tāque vehemēter calamitosus? Videmus, videm⁹ equidē, quod ab hinc tot annos, nascētis mūdi viderūt, et experti fuerūt rerū humanarū malo mortales, et in omni genere hominū, et in ipso flore principū, et Regū clarissimorū, mortē propter incertos casus quotidie imminere mortalibus, et propter vitae brevitatē nūquā lōge abesse. Videmus mortē, notissimā rē, et omnibus esse definitā, quae terribilis debet esse iis, quibus cū vita omnia extinguuntur, quorumque animi propter scelera, et flagitia maxima, praecipites in inferorū regiones detrudētur in perpetuū, nō iis, quorum laus vitae praecclare actae virtutibus, et meritis Christi Iesu immortalib⁹ innitens immortalē animis beatorū gloriā cōparavit. Quae nō mors, sed vita dicēda est: nō interitus omnia tollēs, atque delēs, sed immigratio in caelorum oras, quas, qui virtutibus exculti decesserūt, incolūt: nō occasus, sed cōmutatio melioris vitae, quae in claris viris, et foeminis, ab antiquis ignaris gloriae beatorū Dux in caelū fuisse dicebatur. Quā, tantū abest, ut boni tāquā malū, fugiēdā putēt, ut appetēdā magnopere videāt, et ad eā fidēti animo nō gradiātur solū, sed advētātī libētissime occurrāt, gaudio, et incredibili laetitia triūphātes. Atque ea quidē est viris bonis causa laetitiae, quia bonū certamē obierūt: quia cursum vitae cōfecerūt clarissimū, et fidē Deo datā egregie praestiterunt. Quod ad caetera expectat, De⁹ ille, ille Deus largitor munerū, ac donorū omniū aequissimus, et justissimus iudex stipēdiis hujusce vitae cōfectis in patriā caelestē immigrantes optimos, et integerrimos animos immortalī beatorū gloria cum-

mulabit: quā de benignitate Dei optimi, ac maximi, et de virtutibus tāti adolescētis illustrissimi, ipsū nobile Laurētū cōsequutū fuisse sperare possumus. Ille a pueritia in omni virtutū genere se exercuit, et cū sepe in gymnasiis Societatis Iesu, in Castella nova, et in hac urbe Hispalēsi in nostro collegio versatus fuerit, quantum specimen virtutis, et honestatis dabat? quam crebro conscientiam expiabat suam? fere octavo quoque die, et sacris, solennibusque sanctorum feriis ad sacrā synaxim accedebat, tanto studio, et religione, tanto plerunque sensu animi, tam multis lacrymis, prae pietate, prae suavitate obortis: ut nemo ex his rebus admirandum indolis, et egregiae virtutis specimen non cepisset. Ecquod unquam lumen virtutis fulgere visum est clari? in sodalitia Virginis Mariae? Quam praestantiam honestatis magis commendatam: majoribus in caelum laudibus ab omni flore sodalium evectam audivistis? quē vidistis magis frequentasse academiam vestrā, et omnibus rebus fuisse praesentem, omnes exercitationes suscepisse sodalitia? O praestantem adolescentem, non adolescentem, sed virum appellandum. O praestantiam virtutis egregiam. O veram, et plane nobilitatem appellandam. Hāc virtutibus suis, hanc actionibus sanctissime, honestissimeque susceptis ornandam, illustrandamque adolescens nobilissimus curavit. De numero adolescētū delectorū, de flore, praestantiaque sodalium te unum maxime clarum, maximeque florentem fuisse, nobilis Laurenti, cursus anteaetae vitae declaravit: mors etiam ipsa, quā, ut litteris ad nos, sermonibusque illorum, qui tibi discedenti, et immigranti in patriā caelestem adfuerunt, accepimus, integris sensibus, magno gaudio, ac laetitia, expiata saepe per confessionem conscientia, ut qui adessent sensu, atque religione tua vehementer commoti lacrymas tenere nō potuissent, obiisti. tēpus etiā declaravit mortis obeundae, quod totum in Dei gloriam, et honorem conferebatur: cum in munere conficiendae expeditionis, antequam Londinum classis Regia perveniret, te na-

vi-

vigantem, et ad Anglorum haeresim gladio concidendam, ad Religionē expulsam de Anglia reducēdā, et ob eam causam, ad gloriam, et ad decus Dei immortalis defendēdum cū reliquis militibus, et Ducibus fortissimis properantem, et accelerantem mors incitato cursu praeoccupavit. Felix mors, quae Deo reddita fuit pro Christiana Religione defendenda. Felix vita, quae tam felici exitu cōclusa, in ipso munere obeundae provinciae suum cursum fortissime, constantissimeque confecit. Hanc ego non vitam appellem? non sortem felicem dicam? non beneficium divinum usurpem? felix abieris, excesseris, et profectus fueris in beatorum sedes. In quas te immigrasse de curriculo praeterito conjicere potuimus. Nos bene, sancteque vivendi a te uno exēplum hodierno die petamus, si recte, feliciterque reliquum vitae cursum, ut immortalis caelorum gloria perfruamur, conficere voluerimus.

## ORATIO IN LAUDEM BEATI HIERONYMI,

anonimi, varia Demonstrationis specie illustrata.



Dicturus in hac anniversaria studiorum instauratione P. G. de laudibus Beati Hieronymi, quem doctorem sanctissimum ab hinc annos multos litterarum patronum adoptavistis, primum sapientiae pelagus immensum, atque profundum, deinde virtutes sanctissimi doctoris adumbrādas oratione praesenti suscipiam. Nam cum omnis illa sciētia, quaecunque fuerit, quae certe maxima fuit, in Ecclesiae utilitatem, et in divini Numinis obsequium sese contulerit, nemo non institutum orationis meae probabit: cum praesertim post scientiae magnitudinem, atque praestantiam a nobis commendatam, virtutes, et mores integerrimos, in Ecclesiam collata beneficia, denique profligatas haereses ostendam. Atque ex hoc litterarum

Fff 3 prin

principē scholastici discent studiorum cursus ineundi, prosequendique rationē: desides, et ab scopo, quem in studiis sibi proponere debent, abhorrentes, in vituperationem adducuntur. Atque ad extremum de genere mortis, de gloria Doctoris consequuta pro temporis angustiis, si mihi per vos licuerit, summa cum brevitate dicam. Quis autem est tam inficius nostrorum, et beati Hieronymi annalium, qui non legerit illū rhetoricæ, Graecis litteris, atque Hebraicis studiū, et diligentiam adhibuisse? in quibus ita excelluit, ut cum clarissimis oratoribus, et litterarum huiusmodi scientissimis nō immerito comparetur? Atque omnes, qui de facultate oratoria iudicium facere possunt, scribete, vel loquente Hieronymo tacere volunt Ciceronem, mutum, et elinguem esse Demosthenem, nullos esse flosculos, nulla ornamenta Crassi, ipsa fulgura Periclis, et fulmina desaeuire, vim omnem veterū oratorum, et cunctorum omni memoria clarissimorum vela contrahi debere, denique quemcunque principem eloquentiae jure quidem merito Hieronymo tonante, fulgurāteque cōticescere. Notum est etiam Hieronymum in poëtarū operibus, in omni historicorū volumine, summa cum praestantia versatum fuisse. Addite nullum fuisse liberalium artium, atque totius philosophiae auctorem exquisitum, neque singularem, quem non ille legerit, non evolverit. Nihil in Aristotele, nihil in Platone, nihil in caeteris philosophis fuisse reperietur: quod non ille indagavit, hauserit, in memoria habuerit. Quid vero dicam de utraque sacra theologia, tam placida, quam concertatoria? Notae sibi fuerunt sacrae litterae, notum utrumque Testamentum, nota denique virorum, quae ad illam usque memoriam tradita fuerunt, sacrarum monumenta litterarum. Quaeritis fortasse, quemadmodum cum haec ita sint, quae de beati Hieronymi divina, caelestique cognitione praedicamus: eadem studia, harum litterarum vim, et scientiam inauditam in Religionis nostrae commodum, in Dei gloriam, et honorem

rem immortalem contulerit? Audite Patres, non enim sine causa in Doctorum Ecclesiae numerum ascriptum reperiemus. Nam ille primum eloquentiam, et vim omnem, facultatemque dicendi cum ad ornanda, illustrandaque ingenii sui monumenta contulisset, quae vis, atque copia? qui ornatus orationis? quae decora? quae insignia in illis nitent oratoria? cum vero cum Fidei hostibus sibi confligendum acerrime fuisset, ad illorum confutandos, et tollendos errores, ad convincenda falsa dogmata cum niteret, et splenderet oratio suis sparsa flosculis, et clarissimis illustrata luminibus, cū incēsa suis flagraret tonitruis, atque fulminibus, quos creptos fuisse legimus errores? quos ad nostram Fidem disiectis tenebris, et accepta veritatis lucē tractos fuisse cognovimus? quas ex poëtis fabulas, quas ex veterum annalibus Historias, quae dicta, quae exempla, quas sententias ex philosophia ad convincendos, et ad Fidem reducendos hostes nostrae Religionis Doctor sanctissimus arriperet? quibus cum adjungeret sacrarum litterarum testimonia, cum vim, et acumen argumentorum conferret, omnino ipsos Fidei nostrae inimicos tradere sese convictos, constrictosque cogebat. Quae cum magna sint, et admiranda, tum non minus admirationis, quae sequentur, habere videbuntur. Quos enim ille labores suscepit? quibus se vigiliis confecit pro sacris annalibus, pro novo, veterique Testamento explanando? quos libros, quae monumenta ingenii posteris scripta reliquit? ea, quibus Mater Ecclesia tanto cum bono Christianorum perfruitur. Quid utilius? Quid salutaris novo, veterique Testamento? quid sacris litteris, et ad animorum institutionem, et ad caelestem gratiam acquirendam, et retinendam accomodatius? At vetus Testamentum ex Hebraeo in Latinum, novum convertit ex Graeco jussu Damasi Pontificis Romani: atque ejusdem summi Pontificis postea fuit auctoritate comprobatum. Quos illē Psalmos Davidis exposuit?

quos interpretatus fuit libros? quae exploravit, et patefecit loca? quos explicuit labyrinthos? quas latebras illustravit obscurissimas, in quas non patebat accessus nisi utriusque linguae peritissimis? Quod Arrianorum errores ex multorum animis sublatis, quod mendacia Elvidii deleta, quod Iovinianos nuptias virginitati praeferentes, et peccatorum introducentes aequabilitatem cunctorum de medio sublatis, quod alios haereseos auctores, quos necesse non est nominari, sepultos, et extinctos saecula praeterita viderunt, quod denique tot hominum millia Christi Iesu consilia sequuta fuerunt, et a sinu, complexuque parentum suorum ad absolutam, consummatamque perfectionem pervenerunt, scriptis haec, et monimentis beati Hieronymi referre debemus accepta. Quid agis, Augustine sanctissime, perlectis Hieronymi libris, atque voluminibus omni scientia, doctrinaque caelesti refertissimis? non illico mittis ad Hieronymum carissimum tibi, et jucundissimum Alippium? atque alios de tua ecclesia Hipponensi doctos, ac litteratos presbyteros, ut scientiam hauriant de liquidis, et perlucidis beati Hieronymi fontibus, amplum quidem ducens, et gloriosum admodum, si tantum boni natus esses, ut a discipulis Hieronymi acciperes doctrinam, et sacrarum explanationem litterarum? Quid amplius dici potest? quid ad laudem verae, solidaeque beati Hieronymi doctrinae majus? Veniam? jam ad virtutes. Atque ut gradatim ad illa maxima, et amplissima virtutum ornamenta descendat oratio: primum sibi locum ab Hieronymo facta sumant itinera. Non enim sunt solum itinera, quae vulgo fieri solent, unius civitatis lustratio, vel alicujus provinciae peragratio: sed multae fuerunt ab eo partes orbis terrarum peragratae: multae cum disjunctae, maximeque diversae, tum laboribus aditae maximis, et periculis infestae gravissimis. Testis est imprimis Roma, quam ille adolescens studiorum causa patria, parentibusque relictis non dubitavit petendam. Testis iterum, atque tertio Roma, quam Religionis amore, et rerum ad

Fidem

Fide spectantium multitudine coactus adivit. Testis est solitudo Syriae, quae horrida, et inculta ab hominum celebritate deserta Hieronymum tenuit incolam, et habitatorem per multos annos. Testis est Gallia, quam montibus divisam altissimis, et nivibus, atque pruinis rigentem maximis non exhorruit. Testis est Graecia, et Constantinopolis, quas in partes illum doctissimorum hominum, et Gregorii Maximi Nazianzeni fama per orbem dispersa clara, et illustris pertulit. Testis est Palaestina, cujus nullam reliquit partem, quam non obiret, atque lustraret. Testes sunt aliae orbis terrarum partes disjunctae, maximeque distantes: denique maria multa, cum longissima, et vastissima, tum temporibus difficillimis ad navigandum periculosissima. Nullus fuit his in partibus, quas praedixi, locus, aut tam disjunctus, aut tam periculosus, quem ille scientiae, virtutisque percipiendae causa terra, marique non adierit. In virtutes vero cum ingressi fuerimus, quod genus virtutis existimari potest? quae exercitationes a viris sanctissimis suscipiuntur? quae in Christi militibus animadvertuntur ornamenta perfectionis? quae demissionis studia? quae caritatis opera? quae animorum compressiones? quae vigiliae? quae inedia? qui reliquus perfectionis, et sanctitatis absolutae cumulus, quae non summa cum praestantia in beato Hieronymo videatur inesse? Quid ego castitatem Hieronymi commendem, cum illius conservandae causa ab hominum celebritate discesserit? cum fugisse dumtaxat dicam istius retinendae virtutis gratia coetus hominum, et urbium strepitus, cum in corpore suo carnificinam inauditam exercuerit? quid ego demissionis opera praedicem, cum sui occultandi desiderio in desertam solitudinem concesserit? Caritatem solum incredibilem amplificem, cum illius cupiditate flagrans se totum in divini Numinis obsequium animo, atque voluntate conjecerit? quid aut unum factum, aut alterum sanctitatis proponam, cum religionis studio adolescens ad Martyrum sepulchra fortissimorum invisenda Romam adierit?

G g cum

cum decursu temporis loca Hierosolymarum sanctissima petierit, in quibus Assertor humani generis mortis cruciatus omnes, et acerbissima tormenta pertulit? neque adierit, et in viserit solum, sed etiam in illis tanta cum religione, tanto cum animi sensu, et sensuum omnium dulcedine maxima coquieverit? Cui senex iam, et multos annos natus Bethlehem se contulerit notissimum oppidum propter natalitia Christi Iesu, ut in illo cunabula tanti Domini, porticum, atque praeaepe contempleretur? An vero ignoratis studium, et assiduitatem in comprimendis animorum motibus, cum vastam, atque desertam Syriae solitudinem, sedem dumtaxat patrum solitariorum in spelunca quadam horribili, atque angusta solum cum solo Deo ab Hieronymo sciamus esse delectam? atque in illa ad multum tempus divinis rebus vacantem commoratum esse? nam quid ego contentiones, atque pugnas ab illo cum carne, cum Daemone commissas, et de teterrimis hostibus victorias reportatas commemorem, cum pro comprimendis nefariis perturbationibus, et sedandis libidinum motibus, quos efficiebat Daemon ipse, nullum insidiandi tempus praetermittens, caro verberationis livoribus obducta, et ictu lapidis horribili discerpta, dilaniataque sanguinis saepe flumine manaverit? neque corpus illius lectum alium toto solitudinis tempore longissimo nisi ipsius terrae asperitatem habuerit corporibus noxiam, et infestam? Discesserat Pater sanctissimus in remotam, disjunctamque solitudinem, in qua praeter monachorum aediculas e saxulis, et tegulis, et luto coeactas, arundinibus, aut stramentis aliquot coeactas, nihil erat, quod celebritatis imaginem, aut umbram aliquam referret. Audiebantur autem mugitus bouum, rugitus leonum, luporum ululatus, tigrium, et reliqui generis belluarum immanissimarum fremitus horribiles. Cum aurae captandae, quod necessarium erat, spiritus ducendi, aquae hauriendae causa ab spelunca aliqui discederent, in belluas, et feras omni diritate terriores, et immaniores incidere natura loci coegebat incolas, et habita-

tores solitudinis vastissimae. At quem locum Hieronymus delegit? speluncam, Patres, horribilem, atque angustam, tenebris, et caligine circumfusam, non in aliquam altitudinem elatam, sed adeo depressam, adeo humilem, ut vir ille sanctissimus vix stare posset recto, et erecto corpore. In illa dies, noctesque agebat. Saxum illi fuerat ad somnum capiendum pro pulvino: pro culcitra, terra ipsa: pro lodice, sindoneque mollissima, spoliatio omnis generis commoditatum. in illa carne afflictabat, acerrimeque vexabat, inedia, flagris, et reliquis gravissimis corporis compressionibus. Cum vero Daemon hisce in locis horridis, atque desertis tendere laqueos, et omnes insidias parare non desineret, turpes injiciens cogitationes, et motus libidinosos excitans, nunquam ille cibum capere, neque ullis escis vesci solitus est, nisi sedatis, compressisque carnis perturbationibus. At escas audire desiderabitis, quibus ille vescebatur. procul ab hoc loco, Patres, exquisiti fuerunt, et accurati cibi, procul assae, coeactae ve carnes. In tantas ipse Hieronymus carnem angustias adduxerat, sic compresserat, et domuerat, ut cum multos dies jejunus esset, neque cibi quidemquam gustasset, cum caperet, herbis, aut radicibus necessitati corporis pareret: neque hisce rebus crassissimis famem ipsam explebat, sed esuriebat, atque sitiebat ille semper. Non audivistis unquam? non ex suis annalibus corporis effigiem accepistis? Erat ipse Hieronymus macie corporis incredibili, et imbecillitate maxima, oculis obrutis, atque intra lacunulas depressis. eminebant ossa, cutis apparebat sola, nihil succi, nihil solidi habes, exsiccata prorsus, et absumta, et in hac specie atque forma, ut colore quasi subnigro esset, pallido prorsus ore, vultuque sic exhausto, ut cum ossa numerare posses, tum ille sic exanguis, et enervatus esset, ut effigies videretur spirantis mortui: qui propter infirmitatem corporis, et exhaustas plane vires iacebat semper humi, neque sine summis totius corporis cruciatibus corpus in unum, aut alterum latus versare poterat: cum autem se vellet erigere, manu appreheso funiculo, qui

ad hujusmodi usum de tecto pedes decidebat, corporis infirmitatem, imbecillitatemque sustentabat. Ita beatum Doctorem affixerant, atque perdidit afflictationes, et compressiones corporis acerrimae. Intueamur illum corporis, et mentis oculis nudum, et spoliatum vestibus, aut pectora patris sanctissimi nudata, ipsum collacrumantem, et lugentem acerbissime, prae vi lacrymarum, et incredibili multitudine tumetes oculos, et eundem preces adhibentem ad Christum Iesum, in cuius effigiem de Cruce pendentis intuebatur. Cum una manu effigiem Christi Iesu tenens, altera lapidem durum, et cruentatum, ictus infigeret pectori vehementissimos, livoribus compleri pectora, carnem viri sanctissimi multo sanguine manare, crebris ictibus dilaniari non videtis? quid ille lapis? quid ictus? quid sanguis profusus? quid laceratio pectoris effragitat a nobis, nisi nostrarum perturbationum afflictationes, et compressiones acerrimas? quod si fructus quaerimus, et utilitates Christianae Religionis allatas, praeter ingenii monimenta, praeter librorum thesauros, Eustochius Virgo sanctissima, beata Paula omni sanctitatis absolute perfecta saluberrimis beati Hieronymi monitis, et adhortationibus, ejusdem consiliis, atque praeceptis imbutae quam Ecclesiae Doctore sanctissimo gloriam comparabunt? Ipse vero ordo beati Hieronymi praescriptionibus institutus, et ad tantam gloriam, et amplitudinem sanctitatis effectus quantum affert laudis, et honoris Hieronymo? sed dicent aliqui tacite, cur aut ego, aut quisquam hominum ipso tanti ordinis auctore praeterito Hieronymum nominet? Paratos, dicet, habemus libros, qui auctores testentur: paratos, qui sua auctoritate confirmet: suo illi non sunt honore spoliandi. Quos tu mihi dicis auctores? quas praescriptiones affers? eas scilicet, quibus Religio beati Hieronymi continetur. Praeterimus ista, et nimis antiqua, et obsoleta ducimus. Ipsi proferentur annales, libri ipsi in publico, mediis in theatris recitabuntur. Quid tum? quod institutum fuit, instauratum, et eisdem praescriptionibus Hieronymo-

ronymi, quamquam ab alio renovatum fuerit, id Hieronymo non tribui debebitis? Cedo religiones alias, auctores sui principia dederunt, ab aliis amplificatae fuerunt tamen, aut instauratae, quamquam in aliquot illae non inductae terras fuissent, praesertim sanctionibus parentum, atque praescriptionibus, an quidquam primis auctoribus detrahetur? nemo mihi quidem istud non dabit. Atque is, qui multos post annos hanc tantam religionem instauravit Hieronymi nomine, id plane suo visus est jure sacro Doctore concedere. Quae cum ita sint, fructus patrum hujusce religionis, clare perspicueque patent. Hi religioni vacant, domos suas habent in solitudine, procul ab urbium celebritate, desertis in locis, omni strepitu, atque tumultu liberas. Multae aedificatae sunt in sylvestribus, et abditis locis, quo liberius alumni tanti Parentis rerum divinarum contemplationi vacare possint, et superas, atque caelestes lustrare domos, refici pastu, quo recreantur, rerum divinarum spectatores. Quo quodam abiit Ioannes Baptista, quo Elias, quo veteres Aegyptii Patres, et omnes illi Macarii, Antonii, Hilarii, incolae, et habitatores celebrati tam vastae solitudinis. quo Christus ad patefaciendam divinitatis suae gloriam, et splendorem infinitum omnium carissimos Ioannem, et Iacobum, et Ecclesiae Principem Petrum id est in vertice, ac summa montis juga perduxit. De choro tamen beati Hieronymi, qui vulgo celebratus est, semperque propter suam celebritatem praedicatus, quid tam illustre dicemus, quod laudem Hieronymi possit adaequare? Hic propter praestantiam, sive propter temporis longitudinem, aut propter institutum singulare praedicatur proprius, atque praecipuus hujusce religionis. Cujus alumni concinentes alternis versibus, et laudem divinae Majestati dies noctesque tribuentes, specie referunt, et similitudinem beatorum: quorum officium est laudibus nunquam non vacare caelestibus, semper quod faciunt senes illi novi Testamenti, voces honoris plenissimas, et gloriae divinae ulla sine intermissione repetentes, et ingeminantes.

tes sempiternam efferre Majestatem. Id quod faciebat David septies, dies totos tribuendo laudem immortalis Deo. Quo nos omnes contendimus, et aspiramus: et cum post mortem beatorum coetibus ascribemur, praestare nunquam desinemus. Quae summa denique felicitas erit, et gloria omnis generis, et ordinis caelitum, atque ipsarum divinarum Mentium summum fuit, et semper erit immortale decus. Quod cum Ezechiel divino spiritu affatus praediceret, omni, inquit, demissione, et summis precibus a te Deus immortalis precor, ut me ex ore, et faucibus Daemonis eripias, et salvum, et incolumem in illam beatorum evehas regionem: ubi per omnes saeculorum aeternitates celsitatem tui Numinis omni laude, et honore prosequar, concentus, et harmonias caelorum alternis versibus efficiendo. Hi sunt fructus arboris divinae, haec virtutes maximae, haec sapientiae magnitudo, haec summa beati Hieronymi semper celebrata sanctitas. Hanc ego, Patres, tacite cogitans, non possum non admirari quorundam insaniam, furoremque scholasticorum, qui cum parvis diebus profectis litteris vacent, expectant festos dies ad ludos, ad pilam, ad nefarias voluptates, ad picta folia versanda: et suas pactiones in hos dies sceleratissimas rejiciunt, ut suas libidines expleant, et nihil non admittant sceleris, atque flagitii. Omitto seditiones, turbas, quas dant frequenter, sumtus non solum in res turpes factos, sed pecunias aliis rationibus consumtas: quas multi parentes labore magno, summo sudore acquirunt, et ex victu sibi quotidiano, de reliquorum vestitu filiorum, de suo (quod vulgo dicitur) adimunt, et detrahunt ore, ut in studiis filios alant, aliquod ab istorum litteris sibi, filiisque suis remedium, et subsidium expectantes. Hoc cunctis officium est scholasticorum, et Christianorum adolescentum: siccine ad litteras, ad virtutem informantur? Quos tu labores, quas vigilias suscepisti Hieronyme: quanto opere damnas otii, et desidiae negligentes scholasticos, qui nullum litterarum studiis, vel virtutum actionibus vacuum tempus abire patiebaris? ita videre est hos scholasticos opimos semper, et fartos, de prandis,

diis, de coenis, de poculis, de conviviiis frequentibus, non de litteris, non de laboribus cogitantes, Hieronymum vero, quae praediximus, macie, et imbecillitate maxima, sine colore, sine succo, prope sine sanguine, pallidum, et exhaustum, et praeter cutem ipsam habentem nihil. Quare quid mirabimur, si nihil isti scholastici Hieronymum in litteris, nihil in scientia, nihil in virtute adumbrent, sed trunci videantur, et stipites, muti quidam lapides, et statuae. Iam vero quousque tandem libidinosi abutemini patientia Dei, quandiu libidines consecretari desinetis? quem ad finem sese jactabunt appetitus intemperantes? nihil ne vos castitas Hieronymi? nihil aspectus illius? nihil etiam pallor? nihil denique exhaustus prope vultus, et os commovere potuerunt? non videtis ipsum una manu Hieronymum habere effigiem Christi Iesu Crucis affixi, altera lapidem, et ad comprimendos, coercendosque carnis appetitus, ictus infigere sibi vehementissimos, quanta vi potest, et contentione brachiorum? putatis ne vos in mediis deliciis, in maximis blanditiis, edendo, et bibendo ex animi sententia, et in turbas conjiciendo vos muliercularum, castos, et integros conservare posse? exit, abit, excedit e civitate Hieronymus, confert se insolitudinem, secernit, se a tumultu, et omni celebritatis strepitu, et in media solitudine, tum etiam, cum carnem obedientem modis omnibus rationi conatur efficere precibus, vigiliis, inedia, flagris, et reliquis usitatis, et acerrimis compressionibus, Daemon improbus non pertentat solum Hieronymum, sed etiam cogitationes injicit libidinosas, et mentem vexat, et perturbat, et in medias turbas conjicere mulierum Romanarum, et in coetus etiam comtos, pulcre ornatos, et avocare mentem conatur ab studiis divinae meditationis, ab expectatione rerum caelestium, ab ipsa suavitate, et dulci Dei immortalis jucunditate: et vos non comprimetis libidines? non occasiones praecidetis? quibus in has vos flammis

in hos ardentis libidinum rogos injicitis, atque adeo praecipites deturbatis? Aspiciate remedium vestrae salutis, aspiciate subsidium, quod Hieronymus affert, id est Christum Iesum: unde salutem animorum reddendam vobis, restituendamque putatote. Quid autem dicam? quinam insectabor adolescentis, qui lustrant vias, qui petunt, repetuntque vicos, qui plateas nullas relinquunt, neque loca celebriora civitatis, non occultos, atque remotos angulos, otiosi semper, et errantes, vagi, atque soluti, tamquam perditis, atque dissoluti? quid istud otii? quid peragrations, cum solitudine Hieronymi? cum coenobio, in quo se inclusit? cum spelunca, quam delegit? cum solitudine vasta, atque deserta, in quam se contulit Pater sanctissimus? plura dicerem, infigerem aculeos, quos nulla ratione evellere potuissent, nisi me ardentem iracundia ab his hominibus sacrilegum haereticorum genus avocavisset. Quousque enim, per Deum immortalem, laceessere desinent Ecclesiam sanctissimam auctores haereseos? quousque sponsam Christi Iesu suavissimam discerpere velle cessabunt? quem modum statuēt suae effraenatae audaciae? siccine in sanctos, in Heroas caelorum, in Virginem sanctissimam, in Christum Iesum, in nostrae salutis vindicem, et auctorem furere nunquam desinent, atque debacchari? Ad arma, ad arma conclamant isti, delectus habent, aggregant sibi nefarios, flagitiosos, perditos, atque dissolutos, ex omni scelerum colluvione natos, atque a fide immortalis Deo data desciscentes, nova monstra, nova portenta machinantur, novas constringunt sectas, ex omni fraude, atque mendacio conflatas. Tympana concrepant, et buccinis horrificis omnia personant. Signum, ad quod importuna sceleratorum manus concurrat, profertur, fuligine totum aspersum inferorum, multa deformitate, atque detestabili figura notatissimum. Quod istud bellum? quae manus execranda sceleratorum? qui denique duces? O tempora, O mores. Inte ipsam Virgo sanctissima, in tuam Majestatem Iesu mansuetissime, qui nostra salus es, nostra dignitas, et gloria maxima

ma, inte, inte inquam exercitus instruuntur, acies educuntur, et telorum horrentium fulgore castra collocata micant. Non vides, bone Iesu, nefarium Arrium discindentem vestem tuam? Pro Deum immortalem, audeat nefarius homo violare divinitatem tuam, et te aeterno Patre inferiorem facere? non contrarium istud divinis legibus? non infestum Majestati tuae? non ille nequam te violato violat, et cruentat Ecclesiam? non offendit florem beatorum? non in Patrem aeternum tela jactat, et illius Majestatem sacrosanctam lacepsit? quid istud audaciae? quid impietatis, et furoris Arrianorum? Non vides, Iesu sanctissime, perturbationem? non confusionem multorum? non multis injuriis jactatam, et agitatum Fidem jacerem moestam, atque lugubrem exultante, atque debacchante Arrianorum haeresi sceleratissima? quae erecta cervice, districto gladio, ardentibus oculis ferrum, et crudelitatem spirat, furores illius nefarios alentibus, et agentibus stultis, et depravatis non paucis terrarum Principibus? Quoniam hoc vides, et vim aliquam fulminis coruscantem in hos perturbatores non coniecisti: intueri furiam quandam quasi ex inferorum sedibus emissam ad multorum perniciem, et ad Matris tuae gloriam imminuendam, foras in haec loca terrarum ejectam, furore totam inflammata, et anguibus, quibus implicita es, venenum in animos infundentem. Tantum ne scelus? tantum ne flagitium? Exhorret animus dicere: sed tu dabis veniam sanctissime Iesu. Agitur gloria Matris tuae sanctissimae. agitur dignitas tantae Parentis, Reginaeque caelorum celsissimae. Aguntur decora, et ornamenta virginitatis, quam de Matre tua sanctissima, integerrimaque Virgine Maria, nefarius, sacrilegus, et pestilens Elvidius detrahare machinatur, et nostri generis communem Parentem, Regnam caelorum Virginitatis laurea spoliare non verecundatur. Adestote beati cives. Praesentes estote tantae calamitati Angeli, Archangeli, caeteraque divinae Mentis ferte nobis opem: ne serpat, et longius tanta calamitas progrediatur, atque ad perniciem, et pe-



stem animorum manet, et latius diffundatur. Non unde orta fuerit videtis? non quibus falsis principiis nitatur? quas deinde gentes primum sua contagione infecerit: ad quas usque partes disseminata permanaverit ad interitum, et exitiale pestem animorum? si non ulcisci de caelo vult aliquo praesenti supplicio divina Majestas, neque protinus tantam stirpem atque sobolem nefariorum hominum in inferorum regiones deturbare, at date hominem aliquem, date doctorem, date praeceptorem, et doctorem sapientissimum, ab immortali Deo vestris precibus exhibitum, qui nos ab hac calamitate defendat. Sequamur Ducem, et Antesignanum aliquem, qui tela suppeditet, ministret gladios, arma conferat, atque ipsa signa proferat Virginis, et Christi Iesu. Dicam sine circuitatione. Volumus divinum Hieronymum, praeceptorem magnum, fortem, et invictum Ducem contra Arrianos, contra Elvidium, contra Iovinianum, contra multos alios haereseos exultantis auctores. Votis nostris omnia responderunt, Auditores. Ipse Deus immortalis Hieronymum dedit Ducem, et Antesignanum praecellentem: ex cuius ore quondam discipuli, ex libris ejusdem homines doctissimi depromserunt argumenta, ceperunt tela, distrinxerunt gladios, et irruentes in haereses nefaria capita praeciderunt serpētum immanissimorum, copis ad internecionem deletis, tum auctoribus ipsis, atque principibus mille plagis, ac vulneribus confectis. Vellem ego beneficium istud in Remp. Christianam collatum paulo altius demonstrare dicendo: sed ad mortem veniamus Patris sanctissimi, qui cumulatus jam omni genere bonorum caelestium, jam tandem in patriam beatorum immigrare vult: cuius mors vitae sanctissime, integerrimeque actae cōsuetanea fuit. Cupiebat ille quidem, ac vehementer cupiebat ex his corporis cōpagibus evolare, et in illas beatorum immigrare sedes gaudiis omnibus, et veris divitiis abundantes. Singula sibi momenta, videbantur horae, vel anni potius longissimi. Recordari potestis Hieronymum fratrum suorum numero circumventum, atque, illum

illum fratribus demissionem, caritatem, et reliquas virtutes commendantem, fratres, quod filii in bonorum parentum morte faciunt, suspirantes, collacrumantes, lamentantes denique tantae eximii Parentis discessum a suis, et in illas id temporis beatorum sedes ad superos profectioem. Nuntii veniebant multi, revertebantur etiam alii, discedentibus, et redeuntibus novi recetioresque succedebat de coenobiis duobus, quae Doctor sanctissimus exstruxerat. Multitudinem oppidanorum, neque cellula Patris sanctissimi, neque claustra coenobii capere poterant. Suspensa civitas expectabat signum, quod dari solet, mortuorum. Nihil id temporis nisi de meritis Hieronymi, nihil nisi de religione, nihil nisi de summa, absolutaque sanctimonia, nihil nisi de fructibus aeterna memoria dignissimis Ecclesiae, sacraeque Religioni allatis tota civitate jactabatur. O mortem gloriosam. O mortem, non mortem equidem, sed vitam jure optimo appellandam. Cum animus a corpore discessisset, secundo, ac felici cursu in illa cellissima beatorum palatia penetravit: quo quidem die, et si acerbissimus eorum dolor, quos reliquit: tamen longe major existit laetitia caelestium, ad quos pervenit. Processit enim, ut existimare licet, processit obviam illi ascendenti Christus Iesus, cuius salutare cruciatus, et mortem, et cunabula toties recoluerat, atque suspexerat: cuiusque Majestatem contra Arrianorum sectam acerrime defenderat. Properavit etiam, ut credibile fuit, integerrima Virgo, Dei Mater sanctissima, cuius virginitatem contra Elvidium impudetem protexerat. Occurrerunt etiam, ut conjectare fas est, coetus multorum Angelorum, qui Christum comitarentur. Egredieretur Doctores sanctissimi, et omnes suis insignibus ornati, atque gaudiis, et letitiis omnibus triumphantes ad tabernaculum usque sanctissimae Triados, ubi suorum laborum, et virtutum immortale praemium Hieronymus accepit, comitareretur. Utinam auditores, sitis omnes, qui debetis esse: ut quomodo beatus Hieronymus sapientiam consequutus est, et vos virtutes omnes, virtutibus

fructus uberes, atque praestantes, fructibus, si non lauream tam illustrem, et excellam, at aeternam post vitae discessum, ad quam omnes aspirare debemus, caelorum gloriam consequamini.

In praeteritis orationibus demonstratio dominata fuit, et in harum similibus semper dominabitur: qua ablata jacere necessarium erit in simili materia orationem, totamque exanguem, et enervatam esse, nisi Demonstrationis auxilio vitam dederit, et spiritum orator. In nonnullis orationibus diversa officia facientibus dissimiles Demonstrationis formas, rationesque potentissimo dominatu perspiciamus.

ORATIO AD PETITIONEM CATHEDRAE  
in academia Complutensi, cum sermone  
in cinatione secundi generis, precatione,  
et affectibus ad spem.

(S) (S)



quae requiruntur P. G. in bono praecatore, qui praelegendi munus sustinere debet, in nobis saltē mediocria non viderem⁹ esse, atque ut aspiciatis (quod sine arrogantia dicam) cum competitor nostro paria: nunquam insolentia tanta fuisset, ut in hoc orbis gentium teatro, tot hominibus doctissimis audientibus, atque suffragatoribus cunctis praesentibus, cathedram hanc appeteremus. Nam equidem ad ejus petitionem in publicū audacter non minus prodire videremur, quam impudenter. Verum ita se res habet, suffragatores optimi, ut qui non magno ingenio, neque dialecticae cognitione, neque philosophiae scientia, neque reliquis bonarum disciplinarum muneribus sim ad doctores hujus academiae comparandus, cum candidato tamen nostro publicum in certamen

men venire ullo sine timore potuerim. Nam si ratio temporis habenda est, timeo equidem: si aetatis, nō minus: si nominis, et expectationis, testari potestis omnes: neque quidquam a competitore proferetur, quo non sim superior. Sed non vobiscum solum agam, suffragatores optimi, ab adversario pauca quaeram. Dic nunc me nō filium hujusce academiae fuisse. respōdebis, fuisti. Dic ab optimo praecatore me non institutum. institutus es. Dic non sedulam operā me navasse litteris, et ut navarem, multos non labores suscepisse, me dies noctesque contra naturam, imbecillitatemque communē frangendo. navasti operam, et multos tu labores subisti. Dic ludo me quidquam temporis, aut honestis etiam dedisse delectationibus, ut quod litteris detrudere sine reprehensione tempus potuissem, non laboriosissime posuerim. posuisti quidem. Dic me non argumētatum fuisse frequēter, vim non habuisse maximam meum argumentum, non opposuisse subtiliter, et acute, non eo deduxisse argumentū, ut cum plausu maximo fuerim auditus, ut non premeretur, ut nō urgeretur adversarius. fecisti ita saepissime. Dic etiā aliis saepius publicas disputationes demandatas fuisse me in academia versante, mei rationē habitam non fuisse. mihi annuis. Dic denique in publicis renūtiationis honorib⁹ quis de flore scholasticorum primum theses sustinuit, et examinis severissimam aleam subivit? atque in tanta bonorum bacchalaureorum copia, in tanta maximorum ingeniorum praestantia primum locum licentiae consequutus fuit? haec omnia mihi defert adversarius: neque ille, etiam si vellet, quidquā his contrarium dicere auderet. Ad sunt testes locupletissimi. Adestis vos, Patres Gravissimi, vestro tanto splendore, sapientia, virtute, auctoritate maxima. Ad sunt ipsi suffragatores, qui nihil magis frequenter audierunt. Atque cum antea semper, tū hisce temporibus novi, recentioresque scholastici clamitabant in circulis, in gymnasiis, omni loco, ac tempore. At ipse adversarius, si suos progressus rogaretur, atque locum renun-

tiationis, non se tam felices, neque fortunatos habuisse exitus dixisset. Quid ergo de nostro jure vos doceamus, quid de vestro vos officio moneamus, non video: cum aperte confidentem competitorem habeatis, atque ita confidentem, nos his studiis, quae vos suffragatores colere debetis, quorum de cathedra deferenda in contentionem cum illo, discrimenque honoris descendimus, nos inquam cum multis hujusce facultatis aequalibus, tum sibi sine dubitatione praestitisse. Quae si nobis dat, si concedit nobis, si universae sunt academiae testata, quid opus est meo sermone vestrum omnium capita obtundere? longum habere sermonem de curriculo meorum studiorum? et ut eadem prosequutus fuerim, oratione longa repetere? cum ipsum testimonium competitoris, quia illud contra seipsum dixerit, multum valere debeat, simul et habere vim narrationis, et apud suffragatores pondus confirmationis usitatae? Atque eo magis mihi ipsi favere profecto debetis, qui nolle me jactare in his, quae procul a modestis hominibus absunt, et sunt in conspectu bonorum academiae praeceptorum, et in oculis alumnorum constituta vestrorum. Nolo etiam sumtus in litterarum studiis a me factos, pecunias impensas, patrimonium exhaustum, si cathedra dignus non videar, in vestrum omnium memoria haberi: tantum illud nollem adversario prodesse, mihi vero fortasse obesse, quod magno cum clamore in oratione mea jactavit, et in conventiculis omnibus, atque scholasticorum sermonibus dictitavit, sibi semper a cunabulis studiorum fuisse societatem cum collegis dialecticis, atque philosophis, atque ab illo tempore per gradus omnes post theologorum collegium, aditum ad maximum omnium se suis patefecisse studiorum maximis, notisque progressionibus. Ille vos, qui partim collegae fuistis, qui partim ad collegia contenditis, et omnes suffragatorum coetus testatus est: ne collegia ipsa, ne habitum cujuscunque collegii, ne maximorum praesertim collegarum dignitatem ullis maculis aspergatis. Si id est vos dedecorare collegia, quod salva

con-


conscientia facere non possitis, ego contra, ne vestros animos inficiatis, oro, obtestorque. Simul illud precor inconsiderantia nulla faciatis, ut collegiorum recordati, nostrae facultatis, et scientiae obliviscamini. Nam si nobis ad collegia non datus fuit ingressus, non ulla inscientia, non meritorum inopia accidit: sed quia facultates, et fortunas adeptis ad se alendos, et sustentandos in litterarum studiis aditum academiarum conditores ad collegia praecluserunt. Quare si vos nostrae facultatis in arte dialecticorum, si philosophiae progressionum, si denique subsidiorum, quae nobis ad haec studia comparavimus, oblivisci nolueritis, si vocis academiae, si communis expectationis, si bonorum filiorum spei, si nostrorum laborum, si laureae consequutae, si denique testimonii adversarii meminisse volueritis, fructum nos laturos esse nostrae navigationis cursu semper secundo ad portum usque Deo adjuvante nobis datae sine dubitatione speramus: neque vos etiam passuros esse, qui certissimam in spem adducti fuimus cathedrae consequendae vestro hoc plausu toties dato, vestra hac acclamatione praeserti in praelectione, caeterisque in litterariis actionibus, nos de nostra spe decidere suffragiis vestris, in quibus omne momentum aleae nostrae positum est, aliquo casu miserimo privatos. Quod malum, si quod Deus omen avertat, mihi feceritis, feram patienter, ut poterit: et ad explorandam patientiam potius meam, et ad egregiam, quam habeo in academiam, voluntatem perspiciendam, quam ad ullam honoris, et dignitatis jacturam ducendam, aut ad dedecus aliquod, et ignominiam nomini meo inurendam, cathedram ablatam fuisse mihi persuadebo. Simul illud putatote, quae me cunque manerit fortuna, contraria, aut secunda, me non minus vestrum omnium, quam ad hunc usque diem fuerim, egregie fidelem servum, et vestris obsequiis paratissimum, et matri etiam academiae filium obsequentem non defuturum in perpetuum. Vestrum est suffragatores optimi, quod adhuc fecistis, quod omnes ordines expectant;

H h h 4 id

id ex vestra aequitate, virtuteque excellenti praestare.

ORATIO AD COLLEGIUM MAXIMUM  
impetrandum cum dialogismo, descriptione,  
et affectibus in academia Complutensi.

(?)



I mihi, Patres Gravissimi, non omnium  
maximi collegii obtinendi fuisset al-  
lata spes, et illa quidem cum in confe-  
cto studiorum cursu, tum in vestra sa-  
pientia, atque praestanti virtute col-  
locata: me finibus collegiorum, quae  
meo labore consequutus fui, tenerem  
potius, quam ad hoc insigne, et omnium  
maximum Divi Ildefonsi collegium petendum accessissem.  
Neque enim mihi persuadere possem, nec fas esse existima-  
rem, ut ascribi me peterem vestrum in numerum, et in socie-  
tatem tam honoratam, unde academiae defertur universae  
decus, et honos amplissimus: nisi aliquot petitionis huiusce  
rationibus, et meritis necessariis, cum vobis omnibus, tum cum  
ceteris academiae alumniis plane exploratis adductus post om-  
nes inferiorum collegiarum gradus ad petendum hoc maxi-  
mum, summumque collegium vestrum omnium perspicua  
voluntate descendissem. Vos me paene puerum, et dialecticae  
cunabula discentem in dialecticorum collegium recepistis:  
unde praeteritis aliis multis, qui mecum theologorum colle-  
gium contendebant, collegam theologum primum renun-  
tiastis, et admisistis in collegium tam honorifica suffragatione  
decoratum. Itaque cum ab illo tempore nihil in me fuerit, cur  
videar vestris tantis in me beneficiis, tanto simul honori, et  
expectationi defuisse: quidquid autem laboris, quidquid vi-  
giliarum suscipere potuerim, dies noctesque susceperim, debui  
pla-

plane cursum, quem inieram, et fueram persequutus, hac ma-  
ximi collegii petitione consistere: ut non in mediis stetisse di-  
cerer, et ad gradum, quem obtinueram, quod turpe quidem, et ve-  
stra liberalitate, vestris praemiis, et hominis de honore, et de  
virtute cogitantis praestantia fuisset indignum, minime aspi-  
rasse viderer. Quamobrem non video, cur a me sit in hac pe-  
titione timendum, cum vos omnes ad auctoritatem vestris  
factis tribuendam propensi videamini, planeque confirmati:  
id quod ora vestrum, et oculi semper in me dicentem conje-  
cti non obscure videntur ostendere. Sed quoniam omnium  
nostrum, qui contendimus collegium maximum, habenda est  
notitia, qua ducti, quod aequum fuerit, et academiae honori-  
ficum, et Deo gratum, decernatis: sic ego cum meis candida-  
tis contendam, ut in illorum manibus meam victoriam relin-  
quam, tumque me ipsum excludi patiar a vobis, et quidem suf-  
fragiis omnibus praeteritum, cum illi non me recipiendum,  
in vestrumque collegium cooptandum, et voce, et mente con-  
senserint. Sin autem sententiam illi suam a vobis rogati, id de  
me quidem iudicium faciunt, ut de mea victoria, modo illi  
non praetereantur, nemo profecto dubitet: cum id dixerint  
omnes, atque in hunc modum semper eos dixisse constat, quid  
est causae, cur non tester omnes mihi dedere sese? et vestram  
opem, vestras mentes, vestros tacitos sensus non implorem?  
quid habetis, quod mihi opponatis candidati? nihil illi qui-  
dem. Quamobrem? quoniam tecum non contendimus. Quo-  
cum igitur? nos ipsi nobiscum. A deo ignari, et hospites eritis,  
ut eandem mecum contentionem habere vos ignoretis? aut a deo  
ne indignus videbor, qui ad vos non sim comparandus? sci-  
mus te de ingressu nobiscum contendere, quae tua est demis-  
sio, quae tua modestia: sed nos te ipso inferiores sumus, neque  
unus non creandus collega dumtaxat. Quid deinde? ut de pri-  
mo tecum loco non contendamus. Quamobrem? quoniam  
meritum jam pridem, et debitum tibi prospicimus. Id quaero,  
quae merita? quae praestantia mea? Qua excellis, qua praes-


omnibus cādidatis, ut de collegio tibi deferendo, qui gradibus suis ad maximum perveneris, dubitet nemo, neque dubitavit unquā. Quid ergo reliquū sit, nō video. neque opus est vobis collegae sapientissimi vitam nostram, nostros mores, et studia praedicare dicendo: quae cunctis notiora sunt, quam mihi, qui de illis, si tēpus tulisset, necesse habebam dicere. Sed quis est tam inscius, ignarusque academiae, tā parum in gymnasiis nostris versatus? tam denique in collegiis omnibus hospes, qui non viderit, aut non audierit, me a primis grammaticae cunabulis, in hac academia Complutensi altū, et educatum fuisse? percurrisse liberalium artium, atque sacrae theologiae provincias? et in collegiis, artibus istiusmodi, atque disciplinae maxime dicaris unū me inter tātos, praestantissimosque collegas alumnum fuisse? et octo continuos annos in eisdem commoratum, una cum ipsis collegis versatum, eisdemque parietibus contentum, atque conclusum? ut jam si collegiū maximū non peterē tanta vestrum omnium antea liberalitate usus, officium iustum ac debitum deseruisse viderer laboribus necessariis defunctus, ad illum gradum, qui mihi reliquus est, atque restat, non enitens, atque contendēs? quem etiam vos videtis, quā modis omnibus affectare debebam, si non mei ipsius, et vestrum omnium praecipue, qui me in omnia Complutensis academiae collegia cooptastis, et ascripsistis semper primum ex omni numero, atque flore collegarum, videri vellem oblitus. Ut si inter vos esse, vestrum in ordinem ascribi, de vestro fieri numero collega maximus non conarer, quam essem ingratus, et immemor vestrorum in me meritorum, nemo quidē nō aspiceret. Neque tam sum insolens, ut me honore tanto dignum existimem. Magnum est quenquam esse collegam maximum, magnum, et illustre decus in tantam sodalitatem ascribi. Magnū est, et meis meritis longe profecto majus vestrum me induere vestitum, vestra insignia, atque decora gestare, vestrum denique omnium tam honoratam, tam illustrem suscipere personam, et maxi-

morum collegarum auctoritatem, dignitatemque gerere hac in alma academia Complutensi. Hinc enim professores liberalium artium, hinc magistri philosophiae, hinc praeceptores sacrae, caelestisque theologiae, hinc ipsi moderatores academiae, Rectores augusta dignitate honorandi, hinc canonici innumerabiles diversarum ecclesiarum, hinc denique Pontifices suis sacris infulis, et insignibus ornati deliguntur. Atque in aliis academiis cum multa sint a diversis Ecclesiae Principibus erecta, fundataque collegia, quae numero collegarum, sua vetustate clara sint, atque dignitate paria, hac in Complutensi academia, quod summum est, et omnium maximum in reliqua potestatem, et dominationem habens amplissimam, istud est vestrum, arx, et praesidium reliquorum. Sed agi dico vestrum honorem, vestram agi gloriam, et tantorum patrum opinionem, et existimationem maximam apud omne genus hominum: qui opinione vos falsa deceptos fuisse putabunt, aut hominum precibus, gratia Principum, et auctoritate nonnullorum, non ingenio, non virtutibus, non meritis ductos, ad superiores collegiorum honores mihi demandandos, et inter tantum bonorum scholasticorum florem, tanta cum suffragiorum praestantia deferendos. Atque in hanc, quomodo mihi persuadeo, opinionem aliqui adducentur, et de litteratis hominibus non pauci, ut credant, et vulgo jactent me jam alium in hominem esse commutatum, atque quondam eram, jacuisse me etiam, quemadmodum, qui in literarum studio languere solent, ignaviae desidiaque deditum; id autem argumento fuisse magno, quod quem omnes intelligebant me consequuturum fuisse collegarum maximum ordinem non minus facile, quam aliorum multo inferiorum, et Theologorum huic maximo proximum honorem obtinueram, magno cum probro, atque dedecore amiserim. Quod si quod Deus prohibeat, de tanta spe dejectus fuerim, quo ore Patres, aut cathedram

in academia nostra, aut in aliqua Hispaniarum ecclesia sacerdotium contendam? quam spem habeo ad aliquem honoris gradum ascendendi. Per spes nostras in vobis positas, per commoda, quae maximo collegio consequuto nos manere possunt, ea vestris animis insideat me in collegium cooptandi voluntas, quae cum ad collegium obtinendum necessaria sit, tum ad meam, et ad vestram ex aliqua parte existimationem retinendam, non parum momenti habere videatur.

ORATIO AD COLLEGIUM AB ARCHIEPISCOPO TOLETANO CONDITUM SALMANTICENSE CONSEQUENDUM, cum Demonstratione, et affectibus.

(S)



VO D semper ab inito jurisprudentiae curriculo mihi fuit in animo. vestrum hoc illustre, totoque terrarum orbe celebratum collegium appetere, id quoniam video summo Dei immortalis beneficio, occasione praesenti datum, oblatumque fuisse felicissime, gaudeo, vehementerque laetor, Collegae sapientissimi. Neque quidquam mihi jucundius ad corporis, et ad animi voluptatem, neque viro cuiquam litteratissimo ad studiorum praemia consequenda majus, neque ad famam nominis, et honorem comparandum illustrius accidere potuisse, confirmare possum. Neque illa, quae summa sunt in hoc collegio, et vim habent aliquam ad vitam, quidquid datur temporis intra domesticos parietes laete, jucundeque degendam me ad hoc collegium appetendum adduxerunt, non aedificii magnificentia, non sacelli amplitudo Regia, et excelsa, non quae foris apparet, et eminet.

net species, et excellentia summa, non ipse vester purpura fulgenti collucens amictus, et vestitus ad dignitatem appositisissimus, non cognomentum, quod habet amplitudinem summam Archiepiscopi Toletani celsissimum, non caeterae commoditates plurimae, maximeque opportunitates, quibus capiuntur, et allecantur multorum saepe oculi, mentesque mortalium, sed gradus honoris maximus, locus excelsus et illustris, in quo positum est collegium, nominis celebritas, et apud omne scholasticorum genus, et doctorum hominum opinio, et existimatio comparata, atque hujus existimationis partae fructus maximi in academia, concursus auditorum ad vestras praelectiones, cathedrae consequutae plurimae, foris amplissima sacerdotia in honorum Ecclesiae contentione delata, vel honorificae Praefecturae, vel alicujus Regii Senatus spes certissima: ut qui vestra induisse videatur insignia, certam quasi, et exploratam habeat aliquam dignitatem, quae in hominum oculis, atque claritate, cum imperio, cum auctoritate, cum fascibus, et Regia potestate, per populos, per urbes, per Hispaniam omnem, per Provincias Regis Catholici ditioni, potestati que subjectas versetur. Nam si modo aliarum Principes Hispalenses, ac Toletanae ecclesiae, quae sunt auctoritate praeditae, et a sede Romana secundae numerantur in orbe terrarum, loqui potuissent: si quaelibet sacerdotiis amplissimis ornatos, Canonicos, aut Pontifices a suis primordiis repetisset, jurisperitos, vel theologos insignes ex hoc Salmanticensi Archiepiscopi Toletani collegio profectos viros, et suis in sedibus honores adeptos, atque illis ipsis summa cum dignitate functos, quorum litterarum, et virtutis eximia ab hinc annos plurimos ad hoc usque tempus memoria maneret in hominum mentibus infixae, proferret, atque gloriose jactaret. Et quidem tanti collegii, collegii inquam conditori, illustrissimoque Patri Domino Fonsecae, Praesuli ecclesiae Toletanae dignissimo gratias immortales ageret, et quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid

splendoris habuisset, eidem referret acceptum. Neque ulla hominum memoria magis florentem, magis fortunatam, et illustre diceret sese existisse, atque illis florentissimis temporibus, cum hujusce collegii alumni suarum ecclesiarum honores obtulerunt. Quid dicam de civitatibus, de provinciis, quibus iidem collegae sapientissimi praefuerunt? de Consiliis Regis, et de summo, celsissimoque ordinis Regii Senatu? is si a mortuis excitaret memoriam vita functorum, qui gubernacula tanti imperii tenuerunt, quique tenent hac aetate felicissima, viros proferret, nullius collegii foetu magis auctum, fortunatumque fuisse praepotentem hunc, reliquorumque ordinum Principem Senatuum (aliorum pace collegiorum) quam Archiepiscopi gente clarissima, sapientissimaque Toletani videremus. Huic Regis celsissimi aula, huic reliqua Consilia, huic Hispaniarum provinciae, huic illarum regna latissima, remotae disjunctaeque Indorum regiones multum sese debere testarentur, multis maximisque collegiarum de vestro ordine sapientissimorum in omnes urbes, provinciasque extantibus beneficiis, immortalis memoria dignissimis. Hae profecto me ipsum causae, hae iustissimae rationes ad vestrum ordinem appetendum, ad vestram societatem enixe, vehementerque deprecandam impulerunt. Quae si maximae sunt, si multum habent ponderis, si quoque necessariae videntur ad honores jurisperitiae consequendos iter affectanti mihi, movere quidem vos debet amor iste meus in vos, in collegium vestrum eximius, et singularis: atque me consumpto patrimonio, pecuniis etiam necessariorum mutuis in litterarum studio exhaustis, aere alieno obstrictum maximo, non mediocribus fortasse periculis defunctum, adductum in spem obtinendi collegii propter aliquot ingenii nostri, jurisque peritiae documenta data, propter spes nostra laurea, cum tanta Doctorum approbatione, et omnis generis, et ordinis scholasticorum plausu maximo excitatus in numerum vestrum cooptare sine reprehensione potestis. Atque si bonorum, et egregie fidelium hominum est suo tempore fidem astrictam servare,

vos

vos etiam mihi praestare debetis hac oblata petitionis occasione: qui saepe mihi dixistis, si vestrum habitum, si collegium postularé, illud me obtenturum fuisse procul dubio. Huc, vos mihi credite, me nunquam progressurum fuisse, non ad hanc petitionem descensurum, nisi vos adutores mihi futuros esse sperarem. Reliqui collegiorum contentione aliorum, quod vos non ignorare certo scio vestri collegii solum appetendi causa: cumque illud reliquis praeposuerim, quomodo vos saepe audivistis, et quomodo vos etiam ex fama nominis, ex laurea honore consequuto novistis, minime candidatis aliis ingenio, jurisperitia inferior, meae petitionis, meae contentionis, et vestrae datae fidei rationem habere debetis. Vobis aes alienum dissolutum, vobis consequuti honores, vobis dignitas, si qua nos manet, referri debet accepta. Atque illi, qui ex vobis pendent, fratres, fraterculique inopes, et egenes admodum, vestram opem absentes implorant. Vos me ad vestri Collegii petitionem currentem non obscura animorum significatione incitavistis. Si qua in nobis, ut honore praesenti digni fuisse videamur, merita fuerint, et illa nostris laboribus augenda, majore indies accessione videbuntur, quaeso, obtestorque vos, ut in animis vestris ad honorem hunc decernendum, deferendumque versentur omnia. Dabo equidem operam, ut induens honorificam vestrum omnium personam, per incuriam meam nullo unquam tempore, tantum, et tantum illustre collegium turpiter dedecorasse dicar: et ob eam causam vos nunquam, ut spero, in vestrum numerum cooptati collegae recentioris pudeat, aut poeniteat in posterum.

## ORATIO AD LICENTIAE

gradum ex Prosopographia,

et ex loco communi.

jurisperitiae.

(S).

Iii 4

Si



Philosophus aliquis eorū, quos valde barbaros, capillatosque venerata fuit antiquitas, vestris oculis objectus fuisset, et suos in philosophia labores diurnos, nocturnasque vigilias cōmémorasset, arbitror satis hūc dignū putaretis praemiis, et mercede litterariis laboribus constituta. Nam color pallidus, facies exhausta, macies incredibilis, et perdita prope valetudo, mercedem justam ac debitam efflagitaret, et ab invidis, et obrectatoribus jus aequum, atque necessariū, si non voluntate, saltem aspectu suo miserabili extorqueret. Quod si ille clamitaret, respicite faciem absumtam, respicite colorem amissum, respicite fractas vires, respicite hunc hominē litterarū amore, nō turpibus, et indignis homine voluptatibus ad nihilum redactum, cum hoc respicite repetiisset, iterassetque saepius, contractis humeris, demisso capite, et ad sonum miserabilem inflexa voce, nullius equidem auditoris animū philosophi nō commovisset oratio. Addite vos auctoritatem, et praestantiā homine Philosopho dignissimam, dignitatem ad impetrandum consentaneam, et admodū appositam. Quod si avidi litterarum, non insolentes laborum, non inscientes difficultatum, et omnia, quae de se dixisset ipse philosophus, experti in suis personis, quoniam ad eā multis laboribus defuncti, aetatem, et studiorum rationem pervenerant, suis testimoniis, sua auctoritate comprobare potuissent, non is philosophus, quemadmodum par erat, ex hoc conventu litteratorum hominum, praemiis, et honoribus debitis affectus excessisset? liceat nobis id ipsum ad homines nostrae aetatis, ad labores, et vigilias Christiani viri litterarias referre: et quoniam causa studiorum, atque ipsae Christiano more perceptae litterae antiquorum artibus, et in studia praestituto scopo praestāt, morem, et institutum academiarum vetus, tuamque, Cancellari sapientissime, benefi-

ficientiam appellare: quae cum in homines litterarum studiosos conferenda sit liberaliter, tum in hujusce jurisprudentiae alumnos insignes magis conferri debet pro maximis, publicisque humani generis utilitatibus. Quid enim sine jurisperitia stare potest publice, aut privatim? Si jus civile est aequitas constituta iis, qui ejusdem sunt civitatis, qui perfectā artem juris civilis coluerunt, non minus magnam, atque uberrimam, quam difficilem, et obscurā, ad justitiae partes praeclare constituendas totam ex omni parte pertinentē, hos quāti habendos censebimus? legibus proposita sunt supplicia flagitiis, praemia recte factis, et ab eis omnis honeste vivēdi ratio ducitur: quarum auctoritate, nutuque legum docentur homines domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, bonā suā tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere, seipos cives salvos, et incolumes conservare. Harum metu furari, rapere, latrocinari, caedes facere, seditiones commovere, et suscipere scelera mortales nō audent. Societatem inire, fidem servare, conducere, locare, emere, ac vendere sine fraude res, distrahere honestis rationibus, et aequissimo jure leges ac jura demonstrant. Quin munera sacrae Theologiae, reliquarumque artium, ac disciplinarum maximarū sine jurisprudentia recte, sancteque coli non possunt. Frustra foris arma sunt, ut imperia propagemus, propulsem⁹ impetus inimicorum, nisi leges domi fuerint, quibus bello parta conserventur. Quin illi ipsi confictus, aciesque ordinatae, et in hostem collata signa, quo modo, qua ratione cōferenda sint, legum vis, ac sanctitas edicit. Atque ut universe loquar, fundamentum vitae degendae, fons bonorum maximorū, mens et animus, omnis cultus, atque sanctitas in Deum, in parentes caritas, in homines obsequia, et pervulgata studia, si recte servanda sunt, ex legum, et justitiae ratione servari debent: sine qua neque domus ulla, neque civitas, neque gens, neque hominū genus universum, neque rerū natura omnis, neque ipse mundus stare potest. Quare cum aliarum artium alum-



nos, maxime jurisperitiae filios praemiis suis, atque meritis honoribus, suo tempore cohonestandos, afficiendosque esse nemo non dicet. Quod igitur philosophi ab hominibus sui generis, id nos a praeceptoribus nostris impetrare majore sane profecto jure poterimus. Nam si aspectus illorum apud homines sui ordinis tantum valebat, apud te, Magister sapientissime, quanto plus valebit Respublica ipsa Christiana, totus iste concentus, et harmonia regnorum, qui rumpetur procul dubio, atque dissolvetur omnino, si leges, et jura non steterint: stare autem qui nam illa possunt, si legum alumni non conserventur in civitatibus? conservari quidem neutiquam possunt, nisi multi filii, recentiores alumni, tanquam in colonias quondam milites, mittantur in orbis gentium populos, et provincias universas. Neque hoc mihi sumo, ut tantum mihi tribuam, quod me tantam rem praestare meorum aequalium minimam omnium posse putem: sed ago causam communem, defendo jus ipsius jurisprudentiae, et pro reliquis quasi perorans, debita praemia pro reliquis condiscipulis in mea persona obtinere contendo: quaeque mihi tribuenda postulo, ceteris, qui fuerint hujusce facultatis concedenda, deferendaque puto pro majoribus suis, praestantioribusque meritis, id est, quo plus scientiae, plus juris intelligentiae, plus consilii, atque prudentiae ad partes jurisperitiae praestandas habuisse videantur. Qui quot sunt? quam multi? lustra oculis gymnasium universum, intuere discipulos tuos, complectere cogitatione ingenia singulorum, et maxime studiosorum: tum intelligere ad illos tua liberalitate excitandos, quanto in me bacchalaurei insignibus decorando liberalior esse debeas, atque beneficentior. philosophi naturae arcanis vacabant, jurisperiti studemus legibus, atque praescriptionibus naturae. philosophi saepe sibi ipsis, suae voluntati inserviebant, jurisperiti publicis commodis, et emolumentis. philosophi dum mentem explevisent, et illam a natura cupiditate insitam sciendi, nihil curabant amplius, jurisperiti summos labores magis utilitate commu-

ni, quam sua voluptate ducti capiebant. Denique philosophi non ad multorum utilitatem, cum magis ac magis prodesse vellent, incumbere, jurisperiti suae facultatis scopum orbis terrarum commodis, et emolumentis, atque quod majus est, Religionis officio metuntur. Quod ergo studium hoc majore liberalitate prosequi debent tantae facultatis, summique tantae academiae magistri, periculum est, Doctor sapientissime, qui se munificos in juris studiosos non praestiterint, ab utilitate communi, ab humani generis salute abhorreere videantur: contra salvam, et incolumem hominum fortunam, semper stantem, semper florentem velint, qui suam hisce studiis amplificando operam, et studium impertiatur. Neque arbitror juris studiosorum labores philosophicis inferiores esse. Primum dicet aliquis, quid agamus, quod cum philosophorum laboribus tantopere comparandum sit? huic ego, si mihi praebuerit aequum sese, sic satisfaciam. Primum patriam relinquimus. Quid inde? parentes, cognatos, amicos, omnem suavitatem, jucunditatemque vitae. aliquid ne amplius facimus? exulamus per annos multos, neque Solem, neque lucem aspiciamus, nisi cum in academiā contendimus. Quid nos impedit? concludimus nos in cubicula, disjuncti remotique a celebritate, cum libris solum ipsis dies noctesque versamur: cum nos a praelectionibus festis diebus vacare necessarium est, cernere magis licet nos ipsos miseros, et aerumnosos, quibus nec in communi otio, liceat otiosos esse: atque est iste tantus, tamque infinitus labor, non corporis solum, sed animi summa contentio. Quamobrem? nam si aliqui esse volumus, et evadere jurisperiti magni, quoniam jus longe lateque dispersum est, et septem voluminibus contentum, omnem corporis, et animi contentionem adhibendam esse omni ratione curabimus. Et quo eventu comprobabimus? ipsis aegritudinibus, morbisque gravissimis, quibus saepe consistatur, et in media navigatione, antequam portum teneant, jurisperiti perierunt. Quid vero simile de philosophis? nihil equidem:

quorum si aliqui, non aequè multi fuerunt, atque juris alum-  
ni, multum diuque laborantes. Atque illorum studium non  
altius saepe ascendebat, quam ad caelorum conversionem, ad  
siderum motus. Qui vero Aristotelis similes se praebuerunt,  
ipsis in civitatibus aliqua delectationù suarù intermissione  
philosophiae studia prosequuti fuerunt. Quamobrem tuum  
erit in me ipsum, Doctor sapientissime, liberalitatis aliquid  
impertiri. Quo de scholastico tam bene ornato cum cogitèr  
condiscipuli, cum audiant, recordati suos labores aequè libe-  
raliter compensandos esse, debitisque praemiis afficièdos, ad  
eam facultatem, qua terrarum regna continentur, se totos a-  
nimorum incredibili voluntate conjicient. Quae beneficia  
cum in me, cum in alios mei generis, et ordinis condiscipu-  
los conferantur, cum ea non magis in nos adolescentes, quam  
in patriam, quam in Hispaniam, quam in omne genus homi-  
num, quam in ipsam, quod caput est, Religionem cõferri vi-  
deas, te propensum ad lauream deferendam, non orabo sum-  
mopere, quod precari solent, quidquam ab altero contèn-  
dentes: sed vocem te jam, ut video, mittere volentem, et ad  
lauream impertiendam comparantem, eam lactus, et ex ore  
tuo pendens expectabo.


RESPONSIO CANCELLARII, VEL  
magistri ad superiorem Orationem.

**Q**uod de Philosophis luculenter satis, et orna-  
te ad licentiae lauream allatum est exemplum  
illud nemini rerum etiam ignaro non explo-  
ratum, mihi gratum equidè fuit, et ad id, quod  
nunc agimus, appositum. Et quidem merces  
laborum solvenda fuit semper, et cum in aliis facultatibus, in  
juris prudentia maxime. Labores autem Philosophorum nõ  
tam magni semper fuerunt, quam juris studiosorum: quique  
proprii videntur illorum, communes sunt inter utrunque  
ge-

genus hominum, atque haud scio, an curriculù Philosopho-  
rum, tum cum maxime laboriosum est, posthabendù sit mi-  
nimis juris peritiae difficultatibus. Nam quod mihi veteres  
narrant de pallore nonnullorum, de exhausto, atque prope  
consumto ore, de imbecillitate, debilitateque corporis, de ce-  
lebritate deserta, quo liberius, et sine interpellatorib⁹ Philo-  
sopharetur, id ego nõ nego: atq; illud addo, tũ cũ minime vi-  
debatur, illos maxime Philosophari nõ desisse in academia,  
in deambulationibus, inter epulas, et pocula, cum conviva-  
rentur. Sed quos ego juris amâtes accepitã admirabili ad juris  
prudentiã studio concitatos, ut neque dies, neque noctes in-  
tervalla quietis haberent, et in ipsis prandiis, in coenis usi-  
tatis, nihil nisi de legibus, nihil nisi de jurisconsultorum res-  
ponsis cogitare videretur. An vero a tumultu civitatum, et  
rerum urbanarum strepitu removisse jurisperitos sese, eos-  
que concessisse in solitudinẽ, ut ad litterarũ studium, quo ni-  
hil sibi dulcius erat, avidius, et liberius incuberent, quodque  
praeclare dixisti, mortem in hoc medio cursu, magnitudine  
laboris intolerandi oppetiisse multos nõ accepimus? quid er-  
go? negem ne tibi, quam a me petis, licentiae lauream? quem  
efflagitas honoris gradum justum ac debitum? Quamobrem  
diceret aliquis? si quis curriculum alicujus facultatis confe-  
cisset, non honorẽ ipse meretur? meretur quidem. non dares  
postulanti statim? darem etiam. non id suo jure? jure suo qui-  
dem optimo. quid ergo? quod in singulis facultatibus, atque  
disciplinis concedendum fuisset, id nõ juris amãti concedã?  
et cum aliis condiscipulis, tibi potius industrio, diligenti, in  
juris prudentia plurimum provec̃to, et condiscipulorum fe-  
re principi, tanta a cunctis praeceptoribus laude cumulado,  
quantam dicendo consequi me posse despero? Videor cerne-  
re academiam loquentem mecum, de militibus educendis in-  
judiciorum campum, aciemque fori flagrantem, indicãtem  
mihi non paucos hujusce curriculi egregios, atque praestan-  
tes, et inter alios tuum nobilem Ioannem, claritate generis,

splendore virtutū, vigiliis, et laboribus celebratū, clarum brevi futurum tantae facultatis lumen, et decus nostri Senatus, clarissimum juris praeceptorem, et interpretem legū insignem. Non aspicias? inquit mater academia, non vides juvenē deposcētē, et effragitātē laureā, cui tu debes jure suo merito de suggestu tāti gymnasii, approbantibus, et plaudētibus cunctis auditoribus, licentiae honorem tribuere? His vocib⁹ matris academiae aequissimis adductus, quod sponte facturus eram, et de praescriptionibus nostris negare non poterā, tibi discipulo, et matre academia Salmanticensi dignissimo, libens, et lactus impertiar. Atque primum vos orare vellē, qui praesentes estis, tales vos in academiam praestetis, tales se, Deum immortalem precor, praestent reliqui jurisprudentiae auditores, qualem se praestitit ab initio curriculi nobilib⁹ Ioannes: ut parietes ipsi muti, cuncta gymnasia, mater academia pro suorum virtute alumnorum, pro litterarum praestantia, pro vigiliis, pro laboribus voces omni laude, et admiratione dignissimas mittat. Ego, quod munus meum est, vocem testem virtutis, indicem scientiae Ioannis nostri, praesagium dignitatis in academia consequendae, in hanc mediam theatri lucem, claritatemque effundo, laureae decus, et honorem tantis laboribus meritum ac debitum impertiens.

ORATIO AD PETENDUM GRADUM  
in Academia Hispalensi.



ILLUXIT jam tandem optatus ille, plenissimusque laetitiae dies, Rector amplissime, Patres gravissimi, Concio illustris, et studiosa, in quo theatrum istud augustissimum, tot undique patrum gravissimorum confessu florentissimo cohonestatū, atque ipsius Hispalensis academiae lumina, suis diversis in-


insignibus, Solis splendore clarioribus collucentia videre potuimus. Quae cum circunspicio, laetor vehementer Patres, laetantur etiam condiscipuli praesentes, omnes eadē de causa, quae in mediam hanc Senatus clarissimi lucem tantā bonorum adolescentum coronam, tam lectum, et florentē philosophiae alumnorum numerū curriculo jam triennii, quod datur ad haec studia percipienda, colendaque confecto, prodire coegit. Neque vero quisquam est eorum, quos videtis adesse, quos stātes omnes, et lauream bachalauri expectātes etiam aspicitis, et in vestris oculis, in vestro ore, vultuque acquiescentes, cujus animum cum subeat temporis praeteriti liberalibus diligēter artibus, atque philosophiae tributi recordatio, non feliciter, ac bene collocatos suos labores, vigiliisque confirmare possit. Nam si concitatas tempestates vehementissimas, et ipsos intumescētis maris fluctus in caelum quōdammodo sublatos, et puncto temporis in altitudinem ingentem depressos, quibus jaectati mortales, et operti saepissime, viventorum passim invalescente magis, et tam horribili fragore fremente, mortem singulis momētis expectabant, obliti prorsus fuerunt, in portum, quo vela dabant, delati: quid agent alumni cujuscūque facultatis, atque disciplinae? quid nos ipsi agere debemus, quasi ex longa jaectatione terram jam tandem aspicientes, et portum tenentes exoptatum? Si quenquā vestrum, Patres, rogarem, scio, quid responderet unusquisque. Atque ipsos videor tacitos animorū sensus cernere, vosque nobiscū tacitis hodierno die mētibus de vestris subselliis quasi loquētes. Cernite adolescētes insignia hae honoris, videte laureā singularū artiū, atque disciplinarū, diverso, dissimilique splendore micātē, ut bene impesum laborē omnē putetis: ut omnia pericula levia sepe ducatis pro laurea scientiarū, atque disciplinarū cōsequuta. Si nō laboravissim⁹, deludavissim⁹ que in litteris, qui nobis loc⁹ fuisset magistrorū, aut doctorū amplissim⁹? at excepti fuerūt labores maximi. ipsius honore laureae, et praemiis propositis illi cōpen-

stantur: atque istud particeps rationis dubitabit nemo. Haec cum ego, Patres, et mei condiscipuli intueremur, dum pateat nobis gradus susceptis laboribus, aditisque periculis ad vestros honores, et ad lauream insignem cujuscunque facultatis, et doctrinae, et honorem hodiernum quasi aditum quendam ad licentiae, ad magistrorum, ad doctorum insignia consequenda viderem, nihil equidem quemadmodum alii litterarum alumni levius sane duxim, quam quae subivim, quaeque adivimus prore litteraria, corporis aperta discrimina. Grave quidem est quenquam patrias sedes relinquere: omnem indulgentiae paternae sensum repudiare, atque ipsas blanditias, deliciasque matrum, quae natura sua filiis indulgent, et assidere vellent semper ad illorum animos explendos, omni ex parte respicere, non parentes videre, non alloqui, atque omni amicorum, propinquorumque consuetudine, aspectuque privari, ire in terras aliquando infestas, et bonae valetudini contrarias, frigora perpeti, aestus omnes perferre, dies totos audire praelectiones, magnam noctium partem oculis nullum capere somnum, asperius, et injucundius res agere propter studiorum rationes, dumtaxat cum solo studio, et re litteraria nos ipsos in cubiculum includere. Gravia sunt haec, et graviora quidem addi potuissent: sed mittam caeteras difficultates, morbos scilicet, et aegritudines litterarum occasione contractas. Vos ipsi non raro mortes multorum hominum litteratorum immaturas, atque illorum, qui superstites sunt, fractas vires, corpus debilitatum, perturbationes valetudinis quotidianas ex litterarum laboribus effectas accepistis. Quid si ascendamus altius, et mentibus cum curriculo totius vitae molestias has, difficultates, et pericula conjuncta contemplemur? An quidquam litterarum studiis gravius, quidquam molestius, et ad conficiendos homines certius reperiemus? nulla quidem, nulla profecto re, nisi vestris honoribus, hac auctoritate tanta tot malorum acerbitates levare potuissent. Quae enim hujusce diei celebritas non mirum in modum excitet, et ad quoscunque labo-

labores suscipiendos, perferendosque non confirmet? quae loci dignitas? quae circumfusa auditorum multitudo? quae magistrorum auctoritas? quae patrum totius academiae gravissimorum amplitudo? qui splendor cujuscunque facultatis doctorum amplissimorum? quod decus? quod lumen illustrissimum? Quocunque me oculis, atque animo convertam, a sinistra tot Apollines, tot Aesculapii, tot Hippocrates, tot Galeni, a dextra Aristotelis ipse, Platonis, Socratis, reliquorumque praestantium philosophorum, et tantae artis accurata, et exquisita simulachra, hos qui antecedunt, Papiniani, Ulpiani, Sulpitii, Africani, caeterique jurisperitiae principes insignes, in celebriore loco splendidissima sacrae theologiae lumina, clarissimi Christianae Fidei Soles, atque ipsius matris academiae decus, et ornamentum, Rector amplissimus, qui inter tot tantae academiae lumina, tanquam astrorum Princeps, Sol clarissimus lucere visus est, omnes etiam suis insignibus, caelesticolore praeditis, et pallido, et viridi, et rubro, et omnium praestantissimo nivem albens referente distincti, quam habent amplitudinem, et majestatem incredibilem? Reliqua multitudo, quae tota fere est studiosa litterarum, et ad nos cohonestandos, decorandosque convenit, non laureae nostrae plaudit? non iste sericus vestitus, ornatuque parietum, quaeque consequetur, laurea accipienda diem hunc consecrat ad posteritatis memoriam sempiternam? Haec si dumtaxat nobis darentur, ea quidem alumnos litterarum in studiis continerent hujusce praesentis laureae expectatione gloriosa. Cum vero ad hanc gloriam decursu temporis honores accedant, quibus vos omnes, Patres sapientissimi, reliquique celebrati toto terrarum orbe litterati homines afficiuntur, quos, ut sine ambagibus rem ipsam dicam, apud gentes omnes, et nationes cujuscunque ordinis, atque dignitatis consequuntur, quae causa, precor, erit non litteris vacandi? non de studendi in omni re, studioque litterario? Voluissem, praeceptor amplissime, plus molestiarum, et laborum rei litterariae

causa suscepisse: sed animus non defuit, voluntas adfuit paratissima: quodque praetermissimus, hujusce diei gloria excitati studium, et operam navabimus, facti jam bacchalaurei, et praemiis, et muneribus primis donati, et ad majores honores licentiae, et doctorum praesenti tua liberalitate properabimus. Quare ut lauream deferas nobis enixe deposcentibus, tuum erit, Doctor amplissime, nostrum, ut ad illustriores honores, et ad altiora praemia consequenda maximos animos, viresque hodierna liberalitate suscipiamus.

ORATIO DOCTORIS DEFERENTIS lauream.



**T**ANTA est vestrum omnium in academiam grata animorum voluntas, et ad matrem indulgentissimam ornandam, decorandaque assiduitate vestra, studiis, laboribus, vigiliis in posterum, quoad progredi possitis, et in hunc tantorum patrum ordinem florentissimum cooptari, declarata propensio, ut parum academiae consulere viderer, et per summam incuriam, quod turpissimum est, facere meum officium, si vel punctum temporis vestris laboribus debitum ac meritum praemium differrem: meritoque insciens ab omnibus judicaret, et ignarus, quid laurea, quid primus iste gradus honoris valeat ad excitandos conatus, et impetus bonorum adolescentum in medicinam, in jurisperitiam, in sacram theologiam: qui bonis initiis, et fundamentis istiusmodi jaectis, cum aditum sibi patefecit illustrem, facile provehitur, et superat difficultates omnes, et usque eo perducit litterarum amatorem, ut sui ipsius corporis, et bonae valetudinis oblitus, nihil cogitet, nihil loquatur, nihil agat nisi rem litterariam. Non abibo longius, quã ab

ab hoc gravissimo, sapientissimoque Senatu, mei propositi, institutique videar, quod vobis etiam visum iri spero, exemplum petiisse. Atque illud non statuatur speciatim, sed universe: neque enim tanta virtute, tanta auctoritate praeditus ordo libens virtutes suas audire solet. Omnes, quotquot occupant subsellia, magistri, doctoresque sapientissimi, si primum in philosophia gradum assequuti non essent, non abjecissent studiorum consilium, et ad alias res animos suos, voluntatesque coniecissent? ita credo. Num academia nostra his fulgentibus tanti Senatus luminibus haberet aliquam speciem, atque similitudinem officinae litterariae adumbratam? Num haec frequentia tanta gravissimorum patrum, num is confessus, tanta sapientia, tanta gravitate praeditus aspiceretur? Vacarent procul dubio subsellia, non is ordo dissimillimis insignibus distinctus aspiceretur, non viriditas unius laureae, non alterius rubor, non pallor splendens, non caeruleus philosophiae color, non albeni nive candor illustrior theologorum usquam locorum micaret: neque nos tam ornatum, tam florētē, tam splendētē academiā haberemus. Haec igitur illustris, et praeclara forma, hic aspectus, et ornatus insignis, tanta praestantia, tanta dignitatis amplitudo bonis initiis, primis honoribus aliqua ex parte debetur? ita quidem. Cur igitur morer? ac non bacchalaurei dignissimi, vestris optatis respondebo? vestrum omnium honestissimae, acquirissimaeque postulationi non satisfaciā? Quāquā equidem vestram rem agā, ago rem etiā academiae nostrae, quae si auctoritate sua, et ore matris augusto, venerandoque adfuisset, atque me in hoc loco, in hoc amplissimo doctoris gradu collocatum aspiceret, vocem illi, et severitatem sine dubitatione perferre non potuisset. Quid ni, diceret, filios meos, et partim etiam tuos, tam diligentes, tam promptos, et paratos ad me ornandam in reliquum tempus, me matre sua dignissimos, meo gremio altos, et educatos lacte meo non honoras? non decoras suis insignibus? et ad gradum provehis bacchalaurei? quis prohibet? mos, et decreta majorum? at id in academia saepe factum est,

et suis stabilitū, sancitūque legib<sup>9</sup>. At exspectas volūtate patrum gravissimorum apertam? at hujusce rei causa suis insubfellis, et suis insignibus ornati confident. Vis ab adolescentibus interponi postulata? non postularunt solū, sed obsecrarunt etiam. Vrgere, credo, magis voles eos, atque eatenus premere, et instare, quoad impetrent. Cum illorum preces audieris, tum matrem audieris postulātem a te, precantēque, quid immoraris? Cum has ego vestrum omnium preces, et academiae vocem acceperim, nō is ero, qui illas inhumanus, et impius repudiem. Quamobrem cū ii fueritis bacchalaurei optimi, qui curriculo confecto liberalium artium, et philosophiae, et tanto cum studio, tanta cum corporum, et animorū contētione ad hanc laureā perveneritis, digni profecto fuistis, qui fructus laborum, et diligentiae primos, id est laureā bacchalaurei debitam, et dialecticae, et philosophiae alumni adolescentibus propositam consequamini.

## ORATIO PRO BIACENSI ACADEMIA

ante lauream bacchalaureorum,  
a praeceptore Philosophiae  
habenda.



BIACENSIS academia, Rector illustris, P. G. cōcio, et litteris, et virtute praestantissima, in tanto sapientissimorum patrum confessu, tanquam mater indulgentissima filiis suis carissimis, quos uberibus, et lacte suavissimo, intra domesticos gymnasiorum parietes, atque in ipsis officinis liberaliū artium, et philosophiae musaeo aluit, et educavit, magis hodierno, quam aliis totius anni diebus spectaculū praesens, et ad posteritatis memoriam gloriosum, in tanto orbis gentium augustissimo, frequentissimoque theatro visendum,  
spe-

spectandumque praebuit: cum ut illis gratiam justam ac debitā pro laboribus susceptis, et molestiis omnibus confecto jā tantae facultatis curriculo devoratis honorem bacchalaurei tribuendo referret: tum ut ego vestro dono ac munere singulari, quod propriū est instituti mei, praeceptoris officio fungerer, et in hac honoris sede, atque adeo magistri dignitate collocatus, vobis, ut mos est usitatus, et in veterata hujusce academiae florentissimae consuetudo, meritas ex hac loci celebritate gratias agerem. Duae sunt profecto res, clarae satis, et illustres, quarum unam tantus magistrorum, et doctorū sapientissimorum Senatus per me praestādam in istius muneris provincia demandata, suis decretis honorificentissimis, et academiae statis, solennibusque caeremoniis cōstituit: alteram sic ipse efficiendam curabo, ut si pro magnitudine beneficii in nos collati, pro meritis academiae maximis, et immortalibus, nō eā, quemadmodū cupio, cumulatissime praestitero, tamen me nihil omisisse, tacitos animorum sensus testari possim, ut quo possem officiorum genere, gratus, et memor auctoribus tantae liberalitatis, benignitatisque responderem. Quae enim tāta potest existere ingenii ubertas? quae tanta vis, et facultas orationis? quod tam accuratū, et exquisitum dicendi genus, quo vestra in me, discipulosque meos merita, pro dignitate gratias agens, complectar? tātum abest, ut liberalitati vestrae, ut par est, ac debeo, hodierno die respondeam? Aquila regia, et excelsa, princeps reliquarum aviū Regibus clarissimis, et Principibus orbis terrarum potentissimis consecrata, non oblita fuisse dicitur praestātia sibi supra reliquas aves delatae. Quamobrem instinctu naturae, vel dono singulari a Deo optimo maximo divinitus concessio, non alta solum, et praecelsa loca consecratur, sed etiam in capitibus magnorum saepe consedis fertur Imperatorum, rebus praeclare gestis, et victoriis egregiis praestantissimorum. Atque in rogo Principum tantorum, et Imperatorum invictissimorum, quorum cadavera honorificum erat, et decus

Imperatoria maiestate dignissimum flammis admotis in cineres redigi, in praecelso jugo, ac summo vertice pyrae, quae magnificentissimo exstruebatur opere, aquila in speciem volatum appetitis collocabatur, expansis pennis in sublime suscipiens, quasi supera affectans, et appetens, ut exequiis celebratis circumfusam aëris regionem praetervolans viam rectam, et directam, qua Imperator propter res praeclare gestas, post tot insignes victorias, et insignia victoriarum reportata ad Deorum coetus, et ad illustria beatorum domicilia divinis honoribus, et praemiis immortalibus afficiendus ascendisse dicebatur, altius, atque altius ascendens, quoad e conspectu hominum amittebatur, demonstrasse videretur. Itaque in Aristomenis sepulchro, in Ducum invictissimorum tumulis, in superbissimis Regiae, et excelsae claritatis stemmatibus, atque in decessu animorum et corporibus, ipsis quodammodo in cadaveribus, denique in obsequio, cultuque Iovis principis deorum maximi fuisse praedicabatur: ut quocunque te animo convertas, sive lucis usuram, sive vitae discessum, sive futurae vitae delicias contempleris, cum Regibus, et summis Imperatoribus praesentem esse semper aquilam, et adesse poëtae mentirentur: ut beneficiorum memoriam habendam, neque ullo unquam tempore dimittendam esse meritorum commemorationem intelligamus. Quae cum mecum tacitus cogito, et quae vos, patres, in nos, et in discipulos nostros beneficia contulistis, mente complector, cupio dignum videri tot ac tantis beneficiis, dignum tot ac tam immortalibus meritis, dignum his honoribus, et ornamentis, tanta, et tam incredibili vestra liberalitate consequutis, et in discipulos hodierna die non minori munificentia conferendis. O longe lateque diffusa laus academiae Biacensis, et liberalitatis, quae in laboribus adolescentum compensandis usa fuisti semper laudibus, et praeconiis magnificentissimis afficienda. Sive magistrorum omni scientia praedictorum auctoritatem, sive doctorum sapientissimorum Senatum frequentissimum

num, sive dignitatem theatri celsissimam sive concursum, coronamque celebrem omnis generis, ordinis, et aetatis scholasticorum, sive tantam praesentis diei celebritatem, et lauream bacchalaureorum deferendam intueri voluerimus, gratiam beneficiorum illustrem, saeculis praesentibus testatam, et posteris ad aeternam saeculorum omnium posteritatem relinquendam aspiciemus. His de beneficiis cum dicere cupio, nescio, quomodo magnitudo rerum copiam, et facultatem dicendi penitus absorbet, et splendor tot hominum illustrissimorum Solis fulgore clarior oculorum, et mentis aciem sua claritate perstringit: ne tot Soles adversos, et omnes eximio, et illustri fulgore collucentes aspiciam: tantum abest, ut de suo fulgore, de luce toto terrarum orbe diffusa, quemadmodum par erat, dicere hodierna die possim. Quid autem de loci celebritate, de amplitudine tanti theatri, in quo liberalitatem hanc impertimini, dicemus? si locum ex personarum dignitate aestimamus, circumspectamus decora, et insignia honorum, quibus capita vestra, et pectora longe lateque splendent, insignibus humanae, divinaeque sapientiae clarissimis, illustrata, et ipsa, si placet, decora, et ornamenta virtutum, religionem summam, tantamque sanctitatem, quibus animi dotibus suis eximiis magis, quam caelum cum patens, et apertum est, noctu stellulis undique miro splendore collucetibus, micare visi fuistis. Est haec academia, Patres, parens non solum bonarum artium, sed etiam officina cunctarum virtutum, et emporium absolutae sanctimoniae, ex qua non modo praestantes dialectici, excellentes philosophi, theologi singulares, bonis artibus, atque disciplinis instructi, et ornati, verum etiam boni cultores Christianae Religionis, viri omnibus virtutibus exaggerati, et vera, consummataque Christi sapientia, quae ad veram Dei cognitionem, ad caelorum gloriam, ad beatorum societatem, ad sempiternae Triados aspectum deducit, ex cultu mirandum in modum, et illustrati, tanquam ex academia vere Christiana

in hujusce regni, atque in Hispaniarum, et in totius orbis terrarum utilitatem, et amplificationem maximam proficiscuntur. Quemadmodum quondam Athenas bonarum artium inventrices adolescentes ingredienti, in Minervam castitatis, ut veteres fingeant, amantem oculos tollebant, qui Biacensem in academiam confluxerunt ad litteras percipiendas, in Christum Iesum, perennem, et inexhaustum totius sapientiae fontem, animorum aciem intendant, non magis litteris, quam virtutibus excolendi. Quod si de praemiis, quibus afficimur, nostra dicere voluissimus oratione, dialectica bonarum artium, et scientiarum janua, ars differendi, et vera, et falsa judicandi, progressus sane nostros mirabiles facies in singulis artibus, atque disciplinis, praesertim in sacra, caelestique theologia, suis hodierno die insignibus, et honoribus afficitur. Eadem hos producit adolecentes in mediam hujusce theatri lucem, claritatemque patrum gravissimorum illustrem, primos suorum laborum fructus, et lauream viridem, atque florentem accepturos. Quorsum autem? quem in finem, patres et vos quem in finem arbitramini, adolescentes optimi? non profecto ut in posterum a laboribus conquiescatis, ut vos otio, desidiaque dedatis, ut vitam quietam agatis, et umbratilem, putantes nihil jam negotii, quod vos clariores reddat, et illustriores, ad vos pertinere: sed ut ad sacram, caelestique theologiam transeatis, in hanc inflammato studio incumbatis: hunc cogitetis gradum esse, quasi primum aditum illustre ad caeteros honores, qui vos manent licentiati, magistri, et doctoris: quibus ornati salutem, animorum studiose curetis. Ut veniat vobis in mentem labores Christi Iesu ab ipsius infantiae cunabulis pro salute generis hominum suscepti. Id versetur semper in animis vestris, non desistere vos debere, donec ad eum locum ascendatis, ut concionibus multis, auditione confessionum, opera rebus divinis, et diligentia sedulo, studioseque praestita, in sacerdotiis hujusce regni, vel aliorum imperiorum Matris Ecclesiae animose ore Daemonis,

ac

ac faucibus eripiatis. Ideo cogitetis vos venire solutis togis, quasi milites expeditos, et alacres ad pugnam. Neque quidquam aliud est vita hominis in hoc lugubri, et aerumoso saeculo, nisi conflictus assiduus, et acerrima cum daemone, cum mundo, cum carne, tribus deterrimis, et infestissimis humani generis hostibus conflictatio: ad quos vindex nostrae libertatis Christus Iesus perimendos, tanquam in equum alatum, in Crucem celsissimam ascendit. Vnde quid, obsecro, nisi patrum horum religiosissimorum, nisi vestram suo tempore, cum theologi fueritis, diligentiam, et studium deposcit? quid manus illae diritate clavorum trajectae, quid pedes ejusdem ferri immanitate transfixi, quid latus hastae mucrone patefactum, quid sanguis eodem latere sanctissimo profluens? demissio capitis, pallor oris, fel, et acetum ori divino porrectum, moles denique Crucis suis humeris comportata, nisi vestram curam, vestram oblato tempore ad salutem animorum diligentiam efflagitabit? Haec omnia quis pro dignitate commendare? quis meritas, ut par est, poterit pro tanta liberalitate gratias agere? O vere liberalem, et munificam academiam, pro parentem indulgentissimam, et carissimam jure quidem optimo habendam. Magnum est vos bacchalaureos curriculo bonarum artium confecto per viam celebrem, quae ad templum maximum spectat, tanto sapientissimorum patrum comitatu comonestatos, quanvis non magna circuitione, publice tamen, ad hanc usque loci celebritatem deduci, consequi magistros, et doctores omnes sapientissimos, singulos suis insignibus ornatos, interim urbem universam pulsu cymbalorum ubique crepitu, et ictibus citatissimis, ut evelli suis sedibus videatur, ad honorem, et ad decus bacchalaureorum transeuntium celebrandum, et loca, quae transivimus, celebriora tibiis modulate pulsatis personare, vos anteire solutis togis talaribus, apertis capitibus, inter florem academiae Biacensium equitum progredi, subsellia patrum sapientissimorum compleri pro antiquitate, et dignitate confidentium, neque quidquam avi-

M m m

dius



dius expectari, quam lauream, quam insignia vestra. Haec quam habent speciem? quam dignitatem maximam? quam gratiam pro vestris laboribus relatum amplissimam? quantam mihi praeceptorum vestrorum, vobisque discipulis meis amatissimis in omnem saeculorum aeternitatem gloriam comparabunt? Hanc cogitate lustrationem, bacchalaurei ornatissimi, specie esse, et adumbrationem illius, quam in caelorum aula, si Dei aspectu perfruarini, adipiscemini felices semper, atque fortunati, cum corporis compagibus exeuntes, aditu caelorum patefacto, divinarum Mentium agminibus comitati, vias omnes, et plateas regni beatorum peragrabitis, et inspectante flore beatorum civium, tot Confessoribus, tot Martyribus invictissimis, sapientissimis Doctoribus, castissimisque Virginitibus, ipsa Regina divinarum spirituum Virgine Maria, et nostrae salutis auctore Duce Christo Iesu triumphum agetis gloriosum, immortali gloria circumfusi ad tabernaculum usque sanctissimae Triados cantibus Angelorum suavissimis, caelestibus hierosolymis personantibus deducti, laborum vestrorum, et virtutum omnium praemia magnificentissima accepturi. Quo cum aspiretis, cum contendere debeatis, et litteras, et actiones vestras in Dei cultum, et obsequium conferre sanctissimum, neminem vestrum ignorare credo, quos in posterum debeatis labores suscipere, ut ad hunc gradum dignitatis altissimum veniatis. Et quoniam hic dies dedit quasi initium tantae felicitatis, si Dei causa in litterarum, et in Philosophiae studium, virtute duce, et comite vestrorum studiorum incubuistis, a vobis ad Patres Conscriptos orationem convertito. Atque primum loquor vobiscum, Patres amplissimi, et quas possum, et debeo gratias immortales ago: nam me relatum esse pro beneficii magnitudine nullam satis meritam sperare possum. Neque me solum vestris beneficiis auctum, et cumularum habebitis in posterum, sed hos, quos adesse, quos confecisse curriculum liberalium artium aspexistis. Atque iidem, quoniam more, et instituto nostro loqui non possunt, edocti

cyco-

cyconiarum exemplo, nunquam vobis satisfaciendi, et huic academiae gratiam, quam potuerint, referendi finem se facturos esse pollicentur. Tu vero mater academia, cui ab incunabulis, et primis fundamentis meorum studiorum jactis me totum addixi, et consecravi, accipe primos meorum laborum, et primos beneficiorum tuorum fructus: uberiores fructus, et praestantiores ferre voluisse, sed fero plenos spei maximae: ut si quemadmodum illi coeperunt, litterarum studium persequantur ingressi in sacrae theologiae pelagus immensum, metiar, si demultorum ingeniis, de laboribus, et de vigiliis, et de virtutibus, et de caeteris ornamentis, quae in optimos viros, et litteratos cadere solent, non adducar in spem capiendi incrementa dignitatis, et virtutis amplissima. Me tuum alumnus, hospite nostros discipulos, non jam lacte tuo solum altos, sed insignibus bacchalaureorum ornandos, tuo nunquam honori, nunquam dignitati tuae, neque gloriae defuturos esse tibi persuade. En oculos, en vultus singulorum, indices suae in matrem observantiae, testes voluntatis in te, in suos patres amplissimos, in hos sapientissimos doctores, in tanta lumina, et ornamenta maxima. Vos vero discipuli mei, quos mater academia, ad honorem tam egregium, ad honorificam tantae felicitatis lauream accersit, accipite praemium laborum vestrorum, vestrarum vigiliarum, illius temporis, quod in nostris castris fortiter, et acriter militantes posuistis. Atque utinam, qui vos dialecticae laurea insignitos dimittit, insignibus sacrae theologiae videat ornatos: quaecumque dies illa fuerit, quae cum illuxerit, non poterit non illucere plenissima felicitatis, et inauditae laetitiae, nostros hos fructus, et labores vestros majore cumulo cohonestabit, et adaugebit Biacensis academia ad seipsam indulgentissimam matrem, et ad patres hos sapientissimos majore obsequio, et pietate prosequendos. Quod igitur mihi per academiae nostrae decreta, per hunc Senatum amplissimum licet officium facere, faciam, gradum, et insigne bacchalaureorum vobis deferens, et impertiens.

M m m 2


ORA-

## ORATIO APPETENTIS SACRVM

beati Dominici ordinem, cum commoratione,

in loco communi, affectibus, et ob-

secratione.



**Q**UOD precatus a Deo optimo ma-  
ximo sum. P. G. ab initio meorum stu-  
diorum, et quod tanti Domini benefi-  
cio singulari consequi vellem, ut me  
religionem vestram abhinc annos a-  
liquot appetentem, ejusque conseque-  
dae causa triennium humanioribus lit-  
teris operam navantem in vestra so-  
cietatem reciperetis, id hodierno die vestra singulari libera-  
litate consequi vellem. Neque vero quidquam est, quod ma-  
gis appetam, quodque magis enixe debeam contendere, quam  
Dominicanorum sacram, religiosamque familiam, ad quam  
impulsu divini Numinis feror totus, et raptor facibus veluti  
ardentibus inflammatus: quibus sic animus ardet, flagratque  
totus, ut ad agendum de alia re, neque soleam, neque si maxi-  
me velim, possim meipsum instituere. Enim vero mihi acu-  
leos infigit conscientia, neque quieto finit animo consistere,  
manum injicere visa est saepissime, meque in sublimem locum  
effere hustrare jubet mentis oculis pericula, quibus homi-  
nes expositi sunt, qui in hoc saeculo versantur, laqueos, qui-  
bus implicati plures, et irretiti, neque gradum minimum ad  
suscipiendas virtutis actiones faciunt, vincula animis alio-  
rum injecta, qui servitutem serviunt miserabilem, et magis  
quam contemptissima mancipia, notis inferorum iniusta, con-  
tinuas operas Daemone praestant, et foveas, in quas, quoniam  
inciderunt, obruuntur ab hoste nequissimo, atque adeo miseran-  
dum in modum tenentur oppressi, ut faucibus premi videantur  
ab hoc inferorum principe, ne jugum a suis animis acer-  
bissi-

bissimum repellant servitutis. Video vitia longe lateque vo-  
litare. Quid diversas carnificinas animorum enumerem, qui-  
bus conscinduntur, atque trucidantur mortales, atque ipsi  
quasi venales animi, quod sine lacrymis dici non potest, em-  
ti sanguine Iesu Christi, superbiae, libidinis, avaritiae, reli-  
quisque vitiiis parvo pretio traduntur in Daemone servitu-  
tem: ut pauci sint, atque hi numerentur, qui legibus, divinis-  
que praescriptionibus pareant: qui vero consilia Christi Ie-  
su sequantur, soli sint in sacras religionum familias coop-  
tati, et inter hos milites praecipue de vestra religione delecti,  
atque exercitati in omni sanctitatis actione Dominicanorum? Cu-  
jus si vetustatem consideremus, alius ordo beati Dominici prae-  
stat sacris religionibus plurimis, si scientiam, et sanctitatem  
virorum, qui in hac sacra familia fuerunt, in nulla, neque  
scientia praestantiores, neque ullo genere sanctitatis clario-  
res reperientur. Est enim Dominicanorum ordo domicilium  
Christianae Minervae, officina bonorum studiorum, emporium  
sacrae theologiae, fons perennis, et inexhaustus divinae  
sapientiae: ut si (quod Deus malum avertat) nostris peccatis  
litterarum divinarum libros amitteremus, in Dominicanorum  
domiciliis, collectos, coactosque reperiremus. Quae enim  
litterariae officinae? quae religionum coenobia? quae denique  
academiae Dominicanorum scriptis, et virorum, qui de  
sua familia delecti sunt, atque fuerunt, vocibus semper non  
personaverunt, atque nostra non aetate personant? An Cajeta-  
nos, an Sotos, an Victorias, an Metinas, an denique antiquiores  
alios nescimus? An inter hos lumem Ecclesiae clarissimum, comu-  
nem omnis generis, atque ordinis doctorum nostrorum ma-  
gistrum, praeceptoremque gloriosum, caelestem sacrae Reli-  
gionis Doctorem, Thomam Angelicum non praedicari au-  
dimus in academiis, in ecclesiarum suggestis quotidie? quem  
autem Mater Ecclesia sanctorum gradum in caelorum aula con-  
sequutum divinis honoribus prosequitur, quem in caelorum  
ordinem ascripti religiosi plurimi de Dominicanorum fami-

lia non cōsequuti fuerint? an Virginum? an Cōfessorum? an Doctorum? an Patriarcharū? an Martyrum honores numerabimus? Ex his sanctorū coetibus claros, et illustres suae religionis Heroes sanctissima religiosissimaque familia Dominicanorum ostentare potest, et hos cum praestantia maxima praec reliquis sacris religiosorū familiis divinis sapientiae ornamentis abundantes. At quē semper habuit iste sanctissimus ordo splendorem? quot Pontifices? quot Ecclesiarum Praefules? quot Cardinales? quot Romanos Pontifices? Hoc equidem tempore felicissimo cum videas beati Dominici filios, et alumnos in tanti Parentis habitu, atque forma versantes, propugnacula Fidei, cujus defēdēdae causa hic ordo clarissim⁹ ab initio institut⁹ fuit, et Romanorū Pōtificū auctoritate cōprobat⁹, te dices intueri. Quis praescriptiones instituti Dominicanorū sanctissimi, oedeo stas, et praefinitas horas, meditationi data tempora, multis in coenobiis carnis abstinentiam, subuculas lineas de corporibus religiosorū ablatas, reliqua praefidia religionis absol vendae, perficiēdaeque causa, munus Christianae Religionis enuntiandae, unde Praedicatorum nomen acceptum fuit, valeat enumerare? his de causis in vestram religionē propensione mirabili abhinc trienniū, ut audivistis, feror, et modo usq; eo cupiditate feror hoc tempore, ut nisi me in vestram societatem, in vestram familiam militem unum cooptatū videro, praec desiderio, praementis ardore, quid agam, ignorē. An me desiderio vestri ordinis tabescentē perire patieminī? aut desideria nostra, quae Deus optimus, et maximus iniecit, quae conservavit ad hoc usque tempus, extingui vos, Patres religiosissimi, sinetis? sic cine me tradi patieminī in Daemonis servitutem, qui de vestro officio ex inferorum faucibus eripere mortaliū animos omni ratione debetis? non me fugientem Daemonis insidias, non nuntium huic saeculo remittentem, non in tutum portū, non in arcē munitissimā cōfugientē recipietis? nō exspectabitis preces? nō lacrymas? si parū idoneus, si nullus vobis

videor esse, ne priusquā experiamini, dimittatis moestū, atque conturbatū, incertū consilii, quod capiā, atque quaecūque terrarū sola potero, peragrare paratissimum, quoad voti mei, atque vestri ordinis compos fiam. Per merita beati Dominici Parētis, et Antesignani vestri, per dignitatem omnis ordinis, et status de vestra familia sanctorum, per officium, quod facitis, animorum ex Daemonis servitute liberandorum, per commune vestri ordinis in Virginem Mariam studiū, et summam religionē, per tantae Reginae caelorū in Dominicanorū tuenda religione singulare patrociniū, per Christi Iesu Fidem, quam concionibus vestris, doctrina caelesti, laboribus corporum, et vitae periculis maximis, tot Martyrum profuso sanguine, gentibus cunctis, atque nationibus ad hunc usque diem enūtiavistis, opē vestram, et auxiliū mihi ferre nō desinat. Si aequum postulo, si potestis opem ferre, si debetis mortalium animis consulere, si auxilio Dei immortalis fretus ad omne me demissionis, et virtutis factū offero, si instituti religione beati Dominici, ac praecipuo quodā ardore inflammatus ad vos suppliciter, atque demisse venio, denegari mihi nō id poteritis, sed impertiri maxime debetis, quod tātis a vobis precibus efflagito.

## ORATIO AD BEATI FRANCISCI

sacrum ordinem petendum, cum demonstratione, loco communi, expolitione, affectibus, et obsecratione.



VIT tēpus. P. G. cū tāto angore cōscientiae cruciabar, ut profus momentū nullum timore vacuum haberē. Atque si caelū videbā nubibus obductū, si mortē aliquā repētīnā audiebam, si pestē invadentē urbē, si denique minimos strepū, totis artub⁹, atq; mēbris cōtre-

miscbam. Neque quid causae esset, assequi poteram, nisi peccatum, et depravata conscientia: quae gladium divinae iustitiae districtum intendens cervicibus nostris metuendi causam dabat planam, et exploratam. Quo magis a me conscientiae pondus ejicere cupiebam, hoc magis, atque magis premebat: neq; dies noctesque liberum spiritum ducere patiebatur. Adeo confessarium, eluo sordes animi: respirare visus. Lux mihi videbatur oborta, et spes veniae consequendae peccatorum allata. Dico equidem hoc satis magno cum pudore, sed dicendum: ne, si de meis sceleribus, et de divinis in me beneficiis collatis tacere videar, ingratus sim, vel potius impius: aut ne Spiritui divino obstitisse arguar has a me voces extorqueti, et cogenti vobis praesentibus, et audientibus mittere. Sed quorsum Patres? Quorsum? ut intelligere valeatis ab istius confessionis tempore cogitasse me de vestra religione, atque de ipso beato Francisco Principe, et Parente clarissimo tantae familiae. Ille mihi visus est in somnis saepe dixisse, qui tantum beneficii accepisti, ut Aetna gravius pondus excusseris, vis vivere quieto, et tranquillo in posterum animo? quid ni respondebam ego. Age igitur, et te inimicum praebe peccatorum, confer te ad religionem meam, et afflictationibus, inedia, ciliciis, sacci asperitate coerce corporis motus, Daemone bellum omni crudelitate deterrimum infer. Quid ergo Patres? in utraque parte in mentem multa mihi veniebant: sed magnum pondus mihi attulerunt ad tollendam omnino dubitationem adhortatio, consiliumque beati Francisci, quem per quietem videbar ego videre, et dies etiam totos nunquam mentem pulsare desistentem, quoad tandem perpulit. Fateor Patres, grave satis esse religionis iugum. multa religiosus facturus est contra voluntatem suam, semper in summa contentione corporis, et animi versaturus. Suscipiendae sunt exercitationes virtutum, domandae cupiditates, appetitus fraenandi. Atque in hac familia Francisci beatissimi religiosus persuasum sibi habere debet linteum se non induturum esse, sed pannum

dum

dumtaxat, atque hunc haerentem semper carnibus, somnum non in culcitris, sed in tabulis, crassitudine, duritieque maxima capturum, et escas contemtissimas, atque has summa cum moderatione, magnam partem anni jejunia de praescriptionibus ordinis praefinita, atque horum non pauca in pane, et frigida toleraturum esse, peditem, et sine viatico mittendum ad praefecti voluntatem, qui saepe severus, atque vehemens urgebit magis, atque premet suos alumnos, et disciplinam ipsam angustiis majoribus coercet. Intelligere etiam debet is monachus in coenobiis plurimis inopia, et egestate laboraturos esse fratres, tumque cum eis praeclare agendum, si pane atro, herbis sylvestribus, aut radicibus vescantur. Castigatio vero corporis in hac sacra familia, cum multo frequentior sit, tum habet plus acerbitalis. Atque fratres vestitos cubare, cum ipso cucullo arcto, valdeque compresso, et ipso praesertim aestus tempore gravissimo fauces opprimente vehementissime, ipsos denique monachos amplius quattuor, et viginti praeceptis poenam ascribitibus capitalem, alligatos, costrictosque teneri, quid habet difficultatis? Gravia sunt haec, et multorum viribus superiora, procul dubio graviora, quam hominum communis imbecillitas perferre possit, nisi Deus adsit, et militem Franciscanum praecipua sui Numinis virtute munit: sed qui mihi mentem iniecit Deus in hunc ordinem ingrediendi, robur, et vires invictas praestabit. Atque hominem sibi ipsi diffidentem, fidetem autem viribus divinis tantum oneris suscipere necessarium est, si voluerit in instituto, semelque suscepto itinere ad extremum usque vitae spiritum permanere: quae res me magis ad appetendum beati Francisci ordinem, et ad bene de perseverantia auxilio divinae bonitatis sperandum excitavit: ne graviter incuriam, aut oblivionem mentis injectae divina Majestas ulciscatur, me in saeculo versantem relinquens inter saeculi sectatores, et administratos, et eo progredi suscipientem indies me graviora scelera quotidie sinat, ut omnibus maculis aspersum in profundum ja-

N n n ciat

ciat inferorū. Toleratu difficillima sint, et in corpus statuan-  
tur supplicia, quae de carne sumuntur gravissima: dilanien-  
tur, discerpatur ipsa caro, dummodo stet animus, sit saluus, et  
incolumis, et vigeat omnibus virtutum ornamentis excul-  
tus: quibus non poterit nō redundare, si in viridarium tan-  
tae religionis jucundissimum, et amoenissimum, et omni vir-  
tutum odore fragrās ingrediar. An vero hortos violis, et ro-  
sis stratos, omni suavitate jucundissimos intrabit aliquis, et  
non odoris suavitatem percipiet? non ex omni florum gene-  
re fasciculum suaviter olētem componet, et construet mira-  
bili arte politissimum? O beatissimi Didaci, O sanctissimi  
Paduani, O divini Bonavēturae, flores religionis Frācisca-  
nae lectissimi, in viridario beati Francisci pulcerrimo, et ju-  
cundissimo cōsiti, translati in caelestis aulae hortos amoenis-  
simos: qui neq; Solis occasu occidetis, neq; calorū ardorib⁹  
aduremini, neque ventis resstantibus de vestra venustate amitte-  
tētis quidquam, vigebitis potius, et suavitate caelesti florebitis,  
et spirabitis afflatum divini Numinis in saeculorū omnium  
aeternitates. Ex beati Francisci ordine, ex hoc viridario, in  
hortis Ecclesiae consito, et praescriptionū suarum aquis per-  
lucidis, atque crystallinis irrigato omnis vestra fragātia, sua-  
vitas, atque splendor exoritur. Quis in hoc viridarium, in po-  
marium tantum, in hortos tam irriguos, atque amoenos adi-  
tum haberet facilem, atque patētem? Sperare equidem om-  
ni veteri deformitate exsuta me specie, et formam indutu-  
rum esse claram, atque splēdentē, et liquoribus beati Francisci  
sanctissimae familiae perlucidis, ac caelestibus perfusū ad  
floris similitudinem, et pulcritudinem evasurum fuisse,  
si tantum beneficii, tantum liberalitatis consequer. Istud  
est in vestra potestate situm, Patres amplissimi. Vos potestis  
una vestrarum voluntatū consensione meū animū explere,  
atque me ipsum, si vere, et ex animo peto, si voluntate Maje-  
stati semper divinae serviēdi, et ex vestris praescriptionibus,  
ex sanctissimo, perfectissimoq; beati Frācisca instituto, quod  
mi-

mihī detur vitae tēpus ad extremū usq; spiritū degēdac. Va-  
leant apud vos, Patres religiosissimi, nostra desideria, palam, et  
vere proposita, nullo fūco verborū, nullis orationis pigmen-  
tis aspersa. valeat illi stimuli meis a beatissimo Patre Frācis-  
co visceribus infixi. valeant stimuli conscientiae. valeat de-  
nique visio per quietem oblata. Per illas Iesu Christi plagas  
Parenti vestro, et tantae religionis auctori Francisco ad im-  
mortale tātae familiae decus insigniter impressas, quibus spe-  
ciem Pater ipse sanctissimus gerebat, et divinā salutis nostrae  
similitudinē, me tantae religionis cōpotem facite. Si tāti vos  
salutē animorū facitis, et gloriā divini Numinis sempiternā,  
cujus utriusque rei consequendae gratia cū religionē beatus  
Franciscus instituerit, tū nemini dubiū est, quin ipsemet cor-  
pus suum in mille cruciatus, et in omnia tyrannorum exqui-  
sita supplicia libēs, et laetus dedere paratissimus esset, intue-  
mini in ovem vagam, et errantem, in ovem balantem, et ovi-  
le petentem Francisci sanctissimi, fugientem lupi deterrimi  
fauces patentes, et ad me devorandum ore inhiante immi-  
nentes. Si vos non accurritis, si tanquam pastores boni non  
me ex ore Daemonis, ac faucibus eripitis, quis obsecro libe-  
rabit? Deus optimus, et maximus, qui mihi vestri ordinis ap-  
petendi desiderium injecit, vobis mentem in vestram me fo-  
cietatem cooptandi velit injicere.

### ORATIO AD DEDICANDAS DIS-

putationes alicui Ecclesiae Pontifici,

cum dialogismo, et ob-

secratione.

(S)




I cui potissimum, Praesul illustrissime, has sa-  
crac theologiae disputationes ex Principib⁹ Ec-  
clesiae clarissimis dicādas curare debebā, mecū  
tacitus investigare voluissem, neque te pote-

ram illustriorem, neque ullis ornamentis praestantiorem reperire Mecoenatem, cui sane, quod omnes fatebuntur, potius, quam tibi dicandae, consecrandaeque fuissent, maximis iustissimisque de causis. Quae sint illae causae hoc tempore felicissimo, et clarissimorum hominum abundanti saeculo, si quis quaerat, huic ego respondebo statim, dignitas causae sunt, et amplitudo tua. At multi in hac dignitate sunt collocati. non inficias ire possum: sed qui Praefulis dignitate nobilitate tanta generis, et fumosis majorum imaginibus illustraverit, qui ad hanc generis claritatem litterarum tantam, tamque multiplicem cognitionem adjunxerit, vident omnes de Principibus Ecclesiae superesse neminem. Tacere de his rebus cum nemo queat, quid etiam ille dicet, cum singularia tanti Principis merita constent in litteratos homines? victum se fatebitur. Quid vero si nos praeter litteratorum quodcumque genus suis immortalibus beneficiis obligati fuerimus? in ore illico cujuscunque hominis erit sermo pervagatus, debitoris esse, quod debet solvere, et in diem, ut nomina non exigatur, neque in iudicium debitor vocetur. quod si solvendo non fuerit? habebit gratiam, quam possit, et quod pecuniis nequeat, aes conflatum dissolvere, corpore saltem luat: ut qui bonis facere satis non valeat, operam aliquam praestando satisfaciat: debitorem enim, qui solvendo non fuisset, vincitum, costrictumque tradendum creditori leges quondam, et jura decernebant. Magna sunt, et immortalia tua in nos merita, Praeful illustrissime, neque nos ullam tuorum erga nos beneficiorum partem assequi sine dubitatione possumus: cum nullae nobis opes, nullae facultates sint, et quidquid divitiarum esset, id tuis in nos meritis immortalibus multo fuisset inferius. Quare quod specimene ingenii disputationibus sacrae theologiae praesentibus consignatum in Salmanticensi academia daturum sumus, tanquam obsidem, et pignus nostrae erga te voluntatis clarissimum tibi Principi clarissimo, illustrissimoque non modo cognitum esse volumus, sed eas tuo nomini humiliter,

ter, ac demisse dicamus, consecramusque. Quas ut laetus, et hilaris, et qua teneros aliorum foetus excipere solitus es, ut benigna fronte excipias, supplici obsecratione contendimus.


ORATIO IN SIMILI MATERIA  
ad Praesidem Consilii Regii illustrissimum.



V A E res Praefes illustrissime, Mecoenatem illum poetarum carminibus celebratum clarum reddidit, et illustrem ad omnem posteritatis memoriam, ea me profecto, has tibi jurisperitiae Praefidi Hispaniarum potentissimo disputationes omni prorsus ablata dubitatione consecrare coegit. Si de te quaereremus, quid magis in animo habeas, quam rem litterariam, nihil unquam tibi prius fuisse dices. Cum vero cum Hispaniarum Rege celsissimo sermones habeas frequentes, atque de regnorum mole superbissima necessarios, nullum te magis Regiae Majestati, quam negotium litterarium, nullos homines potius, quam litteratos tanto semper Regi, tanquam litteratorum amanti commendasse confirmabis. Videor equidem ex ore tuo audire sermonem hujusmodi. Quae me res in amplissimo Praefidis gradu collocavit, et totum terrarum orbem munit, atque conservat, ea mihi praecipue commendata fuit semper, et accepta mirum in modum. dedi testimonia, voluntatis meae satis illustra, signaque testificationis ad omnem saeculorum memoriam permansura. Id quod academiarum collegia, et praesertim quattuor illa vetustiora Salmantica, urbes omnes, sola terrarum, unde ad nostras aures doctorum hominum fama permanavit, nulla unquam oblivione delebunt. Accipio, quod dices, Praefes illustrissime, quod

omnes constanter sparserunt in vulgus, quod Hispanorum hominum literis commendabitur: neque ulla unquam aetas de tanti Praesidis in litteratos homines liberalitate filebit. Atque eo libentius accipio, quo mihi speciatim in jurisperitiam ingredienti te non defuturum fuisse temporis decursu demonstrabas, cum ex his studiis excessissem, et ad eam aetatem, quae dignitates, honoresque caperet, pervenissem. In ipso igitur studiorum exitu, absoluto jam jurisperitiae curriculo, me ad jus intra domesticos parietes recolendum, repetendumque conferre volens, ne quinquenni fructus expectes, illos hisce disputationibus tuo nomini consecratis ostendendos, proferendosque decrevi: ut ex primis fructibus, tamquam ex herbis minime fallacibus, quae sint reliquo tempore, cum ad maturitatem pervenerint, fruges metendae, non difficulter divinare possis. Quare ut suam maturitatem consequantur, obsecro Praeses illustrissime, nostras jurisperitiae disputationes ex ipsius jurisprudentiae visceribus depromtas solita in litterarum studia benignitate excipias: ut quo singulari litterarum patrocinio a te, pro tuo potentissimo dominio, suscepto, et tanta liberalitate praestito, res litteraria ad hoc usque tempus amplificasti, me ipsum tuam suppliciter fidem, et opem implorantem, reliquosque mei similes ad persequendum juris peritiae curriculum, conficiendumque magis excites, et inflammes.

ORATIO IN ADVENTU ARCHIEPISCOPI Valentini, Patriarchaeque clarissimi, domini Ioannis Enrichii Riberac, in academiam Societatis Iesu, cum notatione, et descriptione.

 odierno die, Praesul illustrissime, cum Remp. hanc litteraria, et tua dignitas, et liberalitas tanti Principis, quibus illustrata fuerunt gymnasia nostrae Societatis, magnopere tanti beneficii mag-

magnitudine devinxerint, putabam mihi eloquentiae fontes aperiendos aliquot ad aliquam gratiae voluntatis significationem pro tuis in nos beneficiis immortalibus ostendendam. Tantam enim beneficii magnitudinem, tam egregiam beneficentiam, atque liberalitatem, tam incredibilem, et inauditam in tanta dignitate benignitatem, quando gratiam propter inopiam nostram referre minime possumus, aequum quidem videbatur, et rethorum facultati consentaneum, ut aliquo verborum genere gratias agentes, ex hac loci celebritate prosequeremur. Te enim Patriarcha clarissimo nobis, et huic Reip. litterariae dedito, et intra parietes huiusce gymnasii nondum perfectos, tanta humanitate, tanta comitate contento, non solum statum litterarum veterem honoratum, sed etiam felicitatem studiorum, et fortunam academiae nostrae auctam, amplificatamque videmus. Sed obest splendor tantae dignitatis, et Pontificis, et Patriarchae splendidissima, clarissimaque praesentia, quae quantum materiae dat multitudine suorum ornamentorum, tantum orationem contrahit, et adducit in angustum magnitudine suae claritatis eximiae: ut vereri plane debeam, ne dum partem aliquam suae magnitudinis adubrare studeam, maiestatem tam excelsam, et tam insignem imminuere videar, et obscurare dicedo. Quamquam habent hoc proprium, atque peculiare magnificae res, et admirabiles, ut etiam si nullis verborum lenociniis, nullis orationis luminibus illustrentur, egregiam tamen semper maiestatem, et amplitudinem retineant. Quamobrem faciam id, quod facere vulgo solent, qui in rem aliquam magni pretii, et aestimationis suos oculos coniecerunt: ut quando rei conspectae magnitudinem, et praestantiam digne commendare nequeant, quod datur, quodque possunt, id non omittant. Itaque respiciunt eam rem, admirantur taciti, saepe haerent obtutu oculorum uno in operis tanti pulcritudinem defixo, obstupescunt quasi muti, et elingues, autu, significatione, motu corporis crebras admirationes saepe faciendo: cum autem post taciturnitatem multum verbum ab istis spectatoribus rei magnitudo extorsit, admirabile dicunt, et stupendum, ut nihil supra, silen-

tii velo tegere satius esse arbitrati laudem, et magnificentiam operis aspecti, quam multa dicendo, minimam partem tantorum assequi meritorum. Quid ergo? cum istud nobis contigerit adventu, praesentiaque tua, Patriarcha clarissime, ineamus hanc saluberrimi consilii rationem, atque ommissis laudibus tuam beneficentiam miremur omnes taciti nobiscum, tanti adventus splendore illustrati. Cum oculis nostris aspiciamus tantum Ecclesiae Pontificem, Archiepiscopum sedis Valentinae dignissimum, et Patriarcham Antiochenae dignitatis amplissimum, intra parietes nostri gymnasii, inter ipsa subsellia, tanta dignitate, tanta maiestate confidentem, nos ipsos audientem, et rhetorum classem cohonestantem, illustrantemque clarissime, illius oris dignitatem, augustam, venerandamque praesentiam tacita animorum cogitatione contemplerur, in illius oculis, ore, vultuque acquiescamus, tantam sanctitatis imaginem, et illustre speculum intueamur, ad illum omnis nostra spectet oculorum, animorumque acies inteta. Nam si nos, auditores optimi, in genua procumbentes, supplices manus tenderemus in caelum, ut Deus optimus ac maximus fortunaret academiam nostram aliquo dono ac munere singulari, et ad studiorum utilitatem, et ad omnis scholasticorum ordinis incrementum, et amplificationem maximam per aliquem Praesulem, aut Principem clarissimum, hunc Ecclesiae Pontificem, hunc Antistitem praecellentissimum, tot ornamentis, et insignibus nostrae Religionis florentem adepti, quibus exsultare gaudiis, quibus serio triumphare laetitiis debuissimus? Hunc quoniam tantum, et tam praecellentem Pontificem aspicitis, quoniam tacitis cogitationibus complectimini, et prae temporis angustiis, praetam excelsi Principis incredibili modestia, prae sua singulari, summaque virtute laudes usurpare non audemus omni honore, praedicationeque dignissimas, versetur saltem in animis vestris ripa fluminis alicujus viridissima, et amoenissima, herbis, ac floribus strata, multis alnis altissimis foliorum

vestitu jucundissimo virentibus, et omnis generis arboribus confita: in qua fructus uberes, ac praestantes, multitudine innumerabiles, insatiabili varietate distinctos percipiatis. Alluatur utraque ripa liquoribus perlucidis, et splendeti vitro clarioribus. Addite temperationem caeli, salubritatem aeris, lenitatem, et suavitatem mirificam, qua folia ventilata arborum, dum huc, et illuc agitantur, crepitu, et susurro jucundissimo demulcent aures, oblectant sensus, et animos inaudita jucunditate perfundunt, susurros hos, et sonos suavitatis mirabiles cantibus carduelium, lusciniarum, et reliquae diversitatis avicularum mirum in modum augentibus. Atque dum haec animorum oculis intuemini, venient statim vobis in mentem horti animorum jucundissimi, multis virtutibus, et ornamentis caelestibus convestiti, tanta demissione, tanta castitate, tanta caritate, tantis reliquarum virtutum fructibus uberrimis, et praestantissimis, quantos ad animorum salutem, et ad domicilia caelorum comparanda exoptare volueritis: qui divinis aquis redundantes, nullo unquam tempore non abunde suppetunt, et nunquam ab appetentibus gloriae beatorum multitudine, copiaque incredibili non percipiuntur. Cantus vero mirifice concinentes concentu beatorum, et harmonia caelesti Majestatem sempiterni Numinis mirificis laudibus tollunt in caelum: ut jam prae gaudio vix apud vos esse debeatis hoc tanto, tamque mirando bono, repentino, et inopinato Riberarum in nostras scholas adventu, hac Patriarchae illustrissimi felicissima, augustissimaque praesentia, divitiis omnibus, opibus, et ornamentis, quae in vos, in vestram academiam potuissent conferri, praestantiore. Haec quantam nobis ad dicendum materiam de tuis laudibus, Praesul dignissime, praebebant? Quam liberum, et patentem campum aperiebant? omnia mihi consulto praetereunda sunt, quibus praedixi, justis, necessariisque de causis. Praetereo igitur honores, et dignitates maximas, quas iste tantus Ecclesiae Princeps habuit, et sanctissime semper, integerrimeque ges-



fit. Omitto nobilitatem generis clarissimam, antiquam illustri-  
 strissimae familiae profapia, nobilissimos, et clarissimos, qui  
 in sua veteri, et illustri familia conquieverunt, tot Mar-  
 chiones, tot Duces, tot Principes Hispaniarum potentissi-  
 mos, et fumosis imaginibus, et honoribus maximis, et rebus  
 praecclare gestis toto terrarum orbe commédatos. Hinc Ri-  
 berae, hinc Enriqui, hinc Marchiones Mellarii, Hinc Duces  
 de Alcalá, hinc potentissimi Praefecti Castellae, hinc innu-  
 merabiles alii cum Magnatibus Hispaniarum sanguinis com-  
 munionem conjuncti, hinc agnationes, et cognationes reg-  
 norum nostrorum illustrissimae, hinc lumina, et ornamenta  
 cum aliarum provinciarum, tum Baeticae generis claritate  
 conspicua. Quantopere autem linguis, atque sermonibus  
 cunctorum hominum dignitas Pontificatus Valentini, tot  
 annos ante tanta cum utilitate animorum, et incremento ma-  
 ximo gesta celebratur? Nescio sane quomodo vel auditione  
 Pontificiae dignitatis ipsa tiara gemmis fulgentibus illumi-  
 nata, baculum ex auro purissimo factum, a summo multipli-  
 ci inflexione intortum, Crux aurea, quae elata in sublime  
 praefertur Archiepiscopo in publicum veneranda admo-  
 dum majestate prodeunte, insulae caeterae, reliquaque in-  
 signia tantae sedis amplissimae, species tanta, tantus honos,  
 et splendor oculos, et mentes hominum in sui admiratione  
 et stuporem adducunt. Nunquam non praedicabitur se-  
 des Patriarchae clarissima: et quanto consilio Romani Pon-  
 tificis, quanta providentia Majestatis aeternae delata fuerit,  
 semper Valentinarum sermones, linguaeque testabuntur. Atque  
 cum ingressus fuisti in hanc urbem Hispalensem, nullis nu-  
 tiis praemissis, quibus de tuo adventu facti certiores oppida-  
 ni, ipsi Senatores, et flos nobilitatis, Marchiones omnes,  
 et Duces tecum tanto Patriarcha sanguinis communionem co-  
 juncti obviam procederent, et agmine longo, qua ingre-  
 dereris, ad aedes usque tuas perducerent, quot, et quanta de-  
 disti tuae documenta demissionis, et rerum hujusce sae-

culi contemtionis, despicientiaeque? Nihil illis diebus nisi  
 de tuo ingressu, de gloria humana contemta, nihil nisi de  
 strepitu, ac fragore equorum, quibus vias omnes, et pla-  
 teas, qua progressiones honorificae, qua transitus futurus  
 erat, concrepare necessarium esset, spreto, nihil nisi de-  
 plausibus, et inanissimis saeculi rumusculis repudiatis, ni-  
 hil denique nisi de tanto flore nobilitatis, de tanta praestan-  
 tia, de tanta gloria splendoris humani, abjecta, et quasi pe-  
 dibus tracta, homines in suis conventiculis, et in circulis fre-  
 quentissimis loquebantur. Quod si haec tantis admiratio-  
 nibus afficiuntur, illae verae virtutes, quae semper in te tan-  
 to Patriarcha perspectae fuerunt, quae Pastoris Ecclesiae san-  
 ctissimi propriae sunt, quas ipse summo studio, et religio-  
 ne colis, et nunquam destitisti in animorum salutem con-  
 ferre, qua ubertate, et copia orationis, qua vi, et facultate  
 dicendi ulla ex parte commédari posse videbuntur? Insanus  
 essem profecto, illustrissime Patriarcha, ut tecum jam tandé  
 magis aperte ad exitum orationis festinans loquar, si vellem  
 immensum, et infinitum tuarum laudum pelagus navigare:  
 nam tanta quidem multitudine tuorum ornamentorum ob-  
 rueret, si ve ad conciones habitas in suggestis ecclesiae Valen-  
 tinae maximae, et aliarum, quae tuae ditioni, potestatique  
 subjectae, finibus Valentiae latissimis continentur, meam  
 conferrem orationem: si ve me ipsum converterem ad cu-  
 ram, et ad diligentiam a te semper adhibitam extirpandi  
 fibras, et radices flagitiorum in multorum animis inhae-  
 rentes: si ve testarer munera pietatis, et inusitatae munimen-  
 ta misericordiae, cum Valentiae, quae caput est totius  
 regni, et Antistitum sedes, domiciliumque Valentinarum,  
 commoraris: aut cum lustras oppida finitima, populos, ur-  
 bes, oppidula tuae curae, fideique commissa. Nemo ig-  
 norat, quid, et quantum fuerit in illis partibus sementis, ac-  
 messis, quae arborum putatio, et vitium sterilem, et plane,  
 nisi assidue colerentur, arescentium propter rudes, et impoli-

tos homines propter tarda, et obtusa plurimorum ingenia, propter naturam multorum ad pietatem, ad religionem absolutam non admodum accedentem, denique propter corruptam depravatamque gentem Agarenorum illas locorum sedes latissime incolentium. Atque in his locis tam magna ex parte horridis, et incultis neque sementem amissam, neque fructus interiisse, quasi non in sterili, nec infrugifera terra, sed in opimo, et fertili solo semina sparsa fuisse videantur, quis non admiretur? Ita magna Valentiae pars, hortus irriguus, et amoenus, plantis, et oleribus divinarum virtutum confitus ab eo tempore praedicatur, cum illustrissimus Patriarcha cultura animorum de multorum pectoribus extraxit vitia radicitus, et mentes hominum instituit, et informavit ad satus accipiendos caelestes, atque divinos. Itaque ipsos animorum hortos ab hoc tempore, non in sterili, ac deserto loco, sed in irriguo, atque jucundo propter humores perennes aquarum in littore viridissimo, et amoenissimo Riberarum sacris Patriarchae concionibus, divinisque adhortationibus nitidiores, et illustriores Valentia tulit, tanta amoenitate, tanta ubertate, tanto vestitu, et varietate caelesti distinctos, ut Paradisum aliquem, tot aquis caelestibus, fontibus inexhaustis, studio, et diligentia, exemplo vitae, tot monumentis apud Valentinis actionum sanctissimarum positus nos intueri plane dicere valeamus. Atque haec comitas, et affabilitas paterna, qua nos in visis satis esse potuisset ad ferros, et immanes animos molliendos, et ad illos ad mansuetudinem, et ad suavitatem Christianae vitae traducendos. Quae vero, et quanta praedicatur demissio tua? quam incredibilis humanitas, qua cunctos homines amplecteris ad te adeuntes in locis Hispalensibus, procul a sedibus tui Pontificatus distantibus, cum in majorum solo inter Principes, et Magnates generis tui clarissimos, praecellentesque verseris: ubi tot sunt plane homines tibi deditissimi, tot tuam recognoscunt, et venerantur dignitatem, tot colunt, atque suspiciunt venerantur.

randam admodum Patriarchae celsitatem, et inter hos nos ipsi profecto summopere: quos tanto beneficio afficere voluisti. Tibi academiam istam, tibi classes omnes, tibi juventutem gymnasia frequentantem, tibi nos ipsos, et totam Iesu Societatem tuis semper beneficiis obstrictam, atque hoc fausto felicique universae Reipublicae litterariae tempore magis ornatam, et cumulatam dedimus, et animis libentissimis denuo devovimus. Quando autem ab egentibus nihil praeter gratam animorum voluntatem, et preces, quas pro salute corporis, et animi adhibeant, postulandum est, ut te Deus optimus, ac Maximus multos annos ad Christianae Religionis amplificationem, salvum, et incolumem conservet, saepe tendentes manus supplices in caelum magno nos studio, summaque religione precari non desinemus.

## ORATIO IN ADVENTU DVCIS

Sidonii ad Collegium Societatis Iesu, cum

descriptione, et loco com-

muni de bonitate.

(S)



IVTVRNI desiderii, Dux excellentissime, quo nostra Societas exoptavit abhinc annos plurimos tuam inclytam excellentiam intra domesticos istius academiae parietes cunctis vehementer laetantibus aspicere, hac tua excellentissima, clarissimaque praesentia finem hodierna dies attulit: eadem occasionem, quam volumus, quamque appetivimus, si quemadmodum cupiebamus, tempus nobis opportunum ad tuam excellentiam excipiendam contigisset, non ullis nostris meritis, de eximia tua bonitate dicendi. Tantam enim dignitatem, tam eximium, et illustrem splendorē, tantam in summo conditionis amplissimae, dominatu benignitatem, tam incre-

dibile bonitatem, ac plane mirandā omnes hodierno die nō solum videre, sed etiam tacitis, et perspicuis admirationibus prosequi debemus. Duce enim Medinensi Hispaniarū Principe potentissimo nostras in scholas ingresso, et in oculis, et in ore spectatorum tanta majestate confidente, et tāta, quātam omnes intuemini, cum benignitate nostrum audiente sermonem, non solum juventutem, ad litteras, et ad virtutem excitatam, sed etiam his gymnasiis honorem, et gloriam immortalē quaesitam, et comparatam video: ut jam quamquā cognomentum, quod geris illustre Guzmaniorum, minime praedicaret nobis bonitatis hujusce magnitudinem, eam tamen praese ferret factum hodiernae liberalitatis pulcherrimū, propter praestantiam, et excellentiam suam commendandum hominum memoriae sempiternae. Quae cum longe lateque pateat, et ad omnem splendorem, et dignitatē pertineat: quā hodierna die bonitatem dicam? ex quorum illam ornamentorum genere fuisse putem? Nam video pro valvis aedium amplissimarum tanti domini, et in circuitu turrium celsissimarum, pro castellis populorum, et oppidorum suorum, denique pro peristromatibus suis, et aulaeis pretiosissimis insignia hujusmodi vetustissimis Ducum Medinensium stemmatibus distincta summum splendorem, et summam dignitatem habere. Nam ut omitam circulum ad speciem, et elegantiam venustissimum, intra cujus orbem admirabili venustate confectū insignia cernuntur admirabiliter efficta Guzmaniorum, ipsa stemmata quid nō habent pulcritudinis, jucunditatis, et varietatis admirandae? quae in speciem scuti quadrati, vario opere elaborati, medium campum caelesti colore depictum ostentant, et in illo geminos lebetes, adeo pictos, adeo venustos cū serpentibus inflexis, atque retortis, et ab una in alterā lebetum ansam productis ita visendos, spectandosque praebet, ut nihil supra? Orae autē ipsae, et ambitus universus habet in circuitu grata quadā, atque suavi vicissitudine castella, leonesque depictos, in hac formā, atque figurā

rā, ut caudis erectis, feroci vultu sese in duos pedes erigere videantur. Ipsas vero oras exornat flores albo nigroque colore distincti: qui cū quattuor sint, et bini in summa, et infima ora aduersa, et totidē a lateribus visantur objecti, specie sequuntur, et egregiā crucis similitudinē. Insigniter autē eminet Regali diademate coronata, et ipso aureo vellere, quod insigne est Magnatū Hispaniae clarissimorū, praebete specie agni pulcherrimi pendētis de collo, terminata. Ad quod istorū ornamentorū lumē praesentē bonitatē referā? quā hodierno die bonitatē ostendā? illam ne, quae nobilitatē generis antiquissimā, fumosas majorū imagines, Castella, Leones, Lebetes, Serpentes, insignia Guzmaniorū notissima ostētant? Nihil opus est de claritate familiae Guzmaniorū multa dicere: nā ut commemorare desinam, quae de Principibus suis potentissimis litterarum monumentis consignata sunt: origo familiae Ducum Medinensium illustrissima a Regibus Hispaniarum orta fuit, atque perducta ad te usque Ducem excellentissimum. Nam orta fuit stirps haec, et progenies tua clarissima a nobili Beatrice Infante celsissima, filia Enriqui hoc nomine secundi Regis Hispaniarum: quam dominus Ildesonus Guzmanius in matrimonium sibi collocavit, Regiam hanc, et inelytam sobolem per longissimam, et vetustissimam Principum maximorum seriem, ad haec usque saecula diffundens, atque propagans. Quae familia Regali stirpe procreata Comites, et Marchiones, praeterea Dynastas amplissimos, tum Duces invictissimos, denique Reges effudit Regum Hispanorum nomine ac fama celebratos. Hinc enim Reges multi Portugallenses, hinc plures etiā Castellani Reges, hinc Reginae utriusque regni praecellentissimae: quae Infantes, quae Principes, quae Reges ad Hispaniarum conservationem, et amplificationem invictissimos tulerunt. De quibus quamquam merito quidem optimo Regia, et excelsa familia Guzmaniorum gloriari potest, majore tamen jure de Principe, et auctore sanctissimi cōcionatorū ordinis

beato Dominico, quem honoris causa nomino, gloriabitur; quod talem, ac tantum virum produxerit, gloriam Guzmaniorum, decus Hispaniarum, lumē Fidei, propugnaculū Religionis, terrorem hostium, exemplar absolutae, perfectaeque sanctitatis. Unde vulgo jam illud hominū sermonibus celebratur, ut ad nobilitatem Hispanae gentis efferendam, nusquam non honorificam faciamus familiae Guzmaniorū mentionē. Itaque mos ille increbuit, atque inveteravit apud omnes nostrae nationis homines, cum quis genus suum jactet, cum majores insolenter efferat, ut hunc Vbisigothorum, et Guzmaniorum genere natū, et in lucē editum fuisse dicamus. Hodiernam ne bonitatem ad excellentiam generis nobilitatem referam? quam praesentē bonitatem appellem? illam ne, quae in robore, ac magnitudine virium, in rebus bellicis praeclare gerendis, in defendenda nostra Baetica provincia, in maxima inimicorum strage facienda, in victoriis, et in victoriarum insignibus reportandis tota posita sit, atque contineatur? Pro Deum immortalē. Tātam ne unius gentis Guzmaniorum robur, et invicta fortitudo rebus Hispaniarum afflictis, et in extremum discrimen adductis opē, et auxilium tulit? quod Maurorum copias praeteritis temporibus Baeticam invadentes propulsavimus, quod salvam et incolumem conservavimus Baeticam universam, quod nos non incidimus in manus inimicorum in miseram servitutem adducendi, quod infantem dominū Enriquium, filiū Regum nostrorum, Ducē exercitus Christiani, deturbatum jam de equo, et ejusdem equi disruptis habenis jacentem ad pedes inimicorum proterendum, atque conculcandum, et intentis jugulo telis conficiendum, interimendumque de media acie ereptum esse legimus, quod urbē hanc Hispalim principem Hispaniarum, emporium cunctarum gentium, atque nationum, Duce Rege Ferdinando in nostram habemus ditionem, potestatemque redactam, Guzmaniorum auxilia commemorata fuerunt, et commemorabuntur in perpetuum. Guzman-

maniorum sunt egregia facinora, illorum victoriae partae, illorum fortitudinis in quacunque nostrorum parte Regnorum statuta monimēta. Ita quidem quod Duces Sidonii terrificos Leones ostentant, quod jactant Serpentes horribiles, quod Castella plurima, et unum maxime, unde Princeps unius istius generis invictissimus corpus ipsum, collum erectum, faciem Regiae dignitatis expressam ostendens, similis videtur jacenti pugionem ad suum sanguinem exhauriendum, monimenta sunt fortitudinis invictae Ducum Medinensium. An vero ignorare possumus Duces Medinenses pro tā praeclaro factō, pro tanta animi magnitudine piscationem accepisse quaestuosissimam, et abundantem thynnorum in illis oris, maritimisque regionibus, quae finitimae jacent suae ditioni. Quas tam propinquas mari, sic in Africae conspectu, in Maurorum oculis, in Hispaniarum faucibus, atque aditu hos Principes tenuisse divinitus factum arbitror: ut oppida Ducū Medinensium sint speculae regnorum Hispanorum, propugnacula Mauris, et caeteris hostibus ad defendendam nostrorum imperiorum ditionem obiecta semper, et opposita: ipsi etiā Duces Medinenses propter fidelitatem, propter virtutē suā a Regib⁹ in specula positi sint, ut eorum aures, et oculi nō sentientes etiam inimicos speculentur, atque observent, et classes quoque hostium adventantes deprimant, atque submergant. Hanc ne bonitatem, quam fortitudo sibi praeripuit, ad praesentis facti gloriam, praedicationemque revocabo? quid Palladi cum Marte? quid litteris cum armis? quid scholasticis cum militibus? quid religiosi cū Ducibus? quid igitur? quid obsecro? O virtutem incredibilem. O benignitatem admirandam. O bonitatem omni laude, praedicationeque decorandā. Dicam jam tādem, quoniā attentissimis animis nostrā orationem percipitis: et quātum poterō voce contendā, ut audiat omnes, et quotquot praesentes estis, obstupescatis. Summā praecellētemque Christianae vitae ducem, ac dominam virtutem in stirpe ac sobole Ducum Medinensium

fiunt dominatam per omne tempus, et regnatem modo, florentemque nostrum in modum tuis praestantissimis factis, tuis moribus integerrimis, tui ad nos adventus Ducem, Principemque fuisse confirmabo: unde boni majores tui dicti sunt, et hoc nomine, et honore affecti propter virtutem, propter bonitatem, propter utriusque rei praestantiam in tanti generis Principibus, in majoribus, in posteris, in te uno non minorem perspectam, atque cognitam. Huic majores tui inservierunt, huic te totum tu ipse dedisti: ut quorum nomen, et sanguinem negare non poteris, eorum vestigia sequendo, facta pulcherrima imitareris. Hanc tu cum bellicis laudibus, tum comitate, et liberalitate tua, denique claritate multarum, maximarumque virtutum adeo cumulasti: ut jam quamquam nomine ditionis amplissimae, cognomento Guzmaniorum illustrissimo, ipso aureo agniculo, Magnatum insigni de collo pedetere homines non agnoscerent, magnitudine tam immensae bonitatis Guzmanium dicerent, et praedicarent mortales. Quo cognomento quid clarius esse potest, si cum cognomento illustria, praeclaraque facta convenient? quid illustrius ad veram, et solidam gloriam comparandam? non est istud cognomentum, quod Scipiones ab Africa devicta, quod Fabii a gloria rerum praeclare gestarum, quod Capitolini ab arce Capitolina Gallorum ascensu liberata, quod Torquati a torque de collo Ducis detracto, quod alii Duces, et Imperatores a bellicae disciplinae titulis, et insignibus, captis aliquot Provinciis, domitis exteris gentibus atque nationibus, potentissimis Regibus bello subactis, sua fortitudine sibi compararunt: quorum memoriam nisi litterarum lumina accendisset, idem, qui corpora, tumulus obruisset: sed quo Christiana virtus recte factis immortalis saeculorum omnium gloriam consequetur. Quo ex titulis Heroum Christi Iesu clarissimorum, ex cognominibus divinae Majestatis immortalibus nullum majus potest esse, neque reperiri magnificentius. Quae enim major laus tribuetur beato Stephano sacrarum litterarum monumentis

con


consignata, quam illum virum bonum esse, atque bonitatis praestantia praecellentem. Iam vero Paulus ad labores omnes et difficultates superandas, ad vim omnem, et contentionem corporum, et animorum adhibendam, ut per viam virtutis admirabili cum celeritate contendant incolae, et habitatores Corinthi, quam affat odoris suavitatem? illam, quae affatur ex odore Christi Iesu: quem illos homines, et verbis, et actionibus suis spirare volebat, et affare jucundissime. O summae virtutes, et infinitae Dei immortalis. Deus ipse, summus ille caelorum opifex, fons perennis, et inexhaustus virtutum omnium, auctor totius sanctitatis, atque perfectionis, bonus a Patribus divinis, bonus a sacris Evangelistis, bonus a sanctis Doctoribus, bonus ab omni genere hominum praedicatur, et hoc ille vult, et gaudet nomine, et honore affici: ut cum bonum dixerimus, ad infinitatem suarum virtutum nulla accessio fieri posse videatur, cum cunctis virtutibus, et ornamentis caelestibus una bonitate contentis. Sed finis sit, quamquam in hac materia finis esse non potest: atque haec summa sit orationis nostrae. Quoniam monumenta Dei immortalis una bonitate maxime excellunt, et illum cognomento bonitatis, quasi praecipuo quodam honore affectum videmus, quos ejusdem bonitatis praestantia similiter ornatos viderimus, eosdem praecipuis quibusdam bonis, et amplissimis praemiis dignissimos judicemus. Quam laudem, Dux excellentissime, cum tu, cum majores tui sine ulla clarissimarum offensione familiarum, cumulo semper maximarum virtutum accedente praeripere videamini, hanc tuis, et majorum tuorum maximis, et innumerabilibus gratulationibus antepones. Haec quidem tanta est, ut nulla unquam allatura finem aeternitas videatur: sed quo magis tempora praeterierint, et aetates successerint aetatibus, eo magis tua, et majorum tuorum praestans, et excellens bonitas efflorescet. Possumus ante oculos nostros statuere, et tacitis complecti cogitationibus omnes hominum illustrissi-

Ppp 2 mo

morum, omnes Magnatum Hispaniarum, Ducumque potētissimorum, omnes Principum celsissimorū familias tui generis monumentis, et Principibus potentissimis, neque nobilitate generis, neque splendore titulorum, neque imaginum antiquitate, neque ullo genere laudis potuisse praeponi. Quae quidē nisi ita magna esse fatear, ut ea nullius oratoris facultas adumbrare possit, amens sim. Sed tamen monumenta bonitatis majora sunt: nam illustrissimarum quaecūque claritudo familiarum praesentibus Regum imaginibus, et sublimibus Imperatorum aquilis, inter diademata gemmis illuminata clarissimis, inter sceptrā ex auro purissimo facta, inter Imperatoriam Majestatem tot urbium, tot populorū, tot provinciarum, tot regnorum multitudine florentē, tot Marchionum, tot Ducum, tot Magnatum, tot Principum clarissimorum flore cohonestatam obruitur, et quodāmodo opprimitur. Iam vero bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahēre Ducibus, cōmunicare cum militibus, ne propriae videantur Imperatorum. At vero hujusce laudis, quam sunt majores tui consequuti, totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est Ducum Medinensium. Nihil sibi ex ista laude Manriqui, nihil Enriqui, nihil caeterae clarae, illustresque familiae praeripiunt. Quinetiam illa multarum, maximarumque virtutū deploratrix invidia nihil habet, quod in isto genere laudis de familia Ducum Medinensium corrodāt, atque discerpat. Gesserunt majores tui, Dux praestantissime, res magnitudine praestabiles, novitate primas, ipso genere singulares: sed tamē eas res gesserunt, quas Caesares, quas Pompeji, quas Scipiones, quas reliqui Duces, atque Imperatores invicta fortitudine praestiterunt. Veruntamen bonitatem colere, bonitatis actiones suscipere, bonitate totam clarā, et illustrem reddere posteritatem, ut qui tāti generis ac familiae auctores fuerint, qui bonitatem hanc conservaverint, tu qui eandem retinueris, omnes boni dicantur, atque hoc nomine, et honore affi-

ficiantur, haec quia Duces Medinenses gesserunt, nō jā eos cum Scipionibus, cum Pompejis solum comparabo, sed cum Heroibus Christianae Religionis ad veram, et solidam caelorum gloriam aspirantibus, et enixe contendentibus. Haec, haec inquam est gloria appellanda, quae vigebit saeculorum omnium memoria sempiterna. In quā illi beatissimorum civium coetus gloriosissimi nunquam intueri desinent: quae in gloriam beatorum immortalem respicit. Quae cū Deum habeat auctorem, principem bonorum omnium, in illū omnes cogitationes, in illū verba, in illum omnes nostras actiones conferre debemus. Ad illum cum pervenerimus, cum in illius oculis, in illius ore, aspectuque acquieverimus, nihil est quod expetamus amplius, omnibus bonorum copiis circumfluētes, aeternis gaudiis, voluptatibusque solidis, ac verissimis redundantes. Hujusce boni causa tot virgines integritatem corporis conservarunt, cum carne bellum acerrimū, assiduumque gerentes: innumerabiles martyres exquisitis suppliciorum generibus excruciatam vitam cum sanguine profuderunt. Eiusdem denique felicitatis gratia consequendae caeteri Heroes clarissimi nostrae Religionis bonis se abdicantes, et remittentes nuntiū saeculo huic deterrimo, in omni semper contentione corporum, animorumque vixerunt. Atque cum hoc genere virtutis, hac praestantia tantae bonitatis equites militiae Christianae florētissimos imitari volueris Dux excellentissime, parietes ipsi gestire visi sunt, quod illa, quae sit Religionis, quae isti loci, quae Assertoris nostri propria bonitas adventus tui splendore tantam gymnasiis, ac sedibus nostris lucem attulerit. Interim tu, Dux praecellentissime, gaude tuo isto tam excellenti bono. fruere bonitate tanta. noli in eiusdem bonitatis operibus faciundis defatigari. Cum academiam hanc, cum coetus omnes Reip. litterariae, tum universam Iesu Societatem tuis, et majorum tuorum semper beneficiis devinctam majoribus obstringe bonitatis tuae vinculis in posterum: ut omnes, quod facimus

Deum nunquam precari desinamus, ut tuum istum conser-  
vare velit, et indies, magis ac magis amplissimum fortuna-  
re dominatū. Atque illū equidē minime dubita, Dux excel-  
lentissime, si qua coepisti bonitatis praestātia, ad exitū usque  
vitae tuae perseveraveris, Deum nō amplificaturū esse solū,  
sed in altissimis caelorum sedib⁹ tibi ipsi inter Principes, et He-  
roas caelestes principatū tributurū esse, dominationemque  
sempiternam.



## DEMONSTRATIONIS

## Liber Septimus.

ORATIO IN LAUDEM BEATI  
Thomae Cantuariensis.

**A**VDITA vobis fuerunt anno praete-  
rito. P. G. in beati Thomae sacrarū fe-  
riarum instauratione, si bene recorda-  
mini, vitae magna, praeclaraque orna-  
mēta, sed de morte gloriosissima Mar-  
tyris exitu terminata pauca quidē ver-  
ba facta fuerunt: siquidem ut suspicari  
potuistis, in praesentem diei celebra-  
tem de industria discessum e vita felicissimum rejiciendum,  
reservandumque curavit orator. Factum est, ut vidistis, et  
maxima quidem, justissimaque de causa. Nam cum mag-  
nam orationis partē praecoccupassent actiones vitae sanctis-  
sima, mors necessario breviter tractanda fuerat: nisi primū  
nos de tanti celebritate loci Latine dicentes novo pla-  
ne, et inusitato more Hispaniarū, quos maxime benevolos,  
et propitios habere studebam⁹, viros splēdidissimos, et orna-  
tissimos ipsius orationis longitudine voluissemus ab aliena-

re. Deinde quia si in medio cursu magnam praecidit orator ornamentorum partem, propter magnitudinem, et multitudinem rerum egregie gestarum, in morte commédanda fortitudinis, et constantiae partes jejune quidem, et aride, multa praeteriēs, multa vestris animis, memoriaeque commendans, cum auditorum fuerat reprehensione laudaturus. Accedit illa quoque causa, quod quae praecipuam laudem in aliqua persona honoratissima sibi vendicat, ea res perse tractari solet, et ab omnibus avidius expectari propter praestantiā, et magnitudinem suam. Quod quia fieri non poterat nisi praesentis diei luce fausta, felicique redeūte, feriae profecto praesentes, ut vestros animos expleremus, et justum, ac debitum beatissimo Thomae officium praestaremus, a nobis fuerant expectadae. Audietis igitur de genere mortis, de laurea Martyris consequuta tanto cum robore, et magnitudine animi, quantam admirabimini, et mirandum in modum obstupescetis. Taceamus igitur conceptionē, et natalitia beati Thomae, in quibus illustria signa visa fuerunt, et observata per parentes, per homines illius aetatis, quae futuram tanti Principis claritatem praesagiebant. Omittamus nobilitatem generis, parentum splendorem, opes, et divitias, gratiam, auctoritatem, honores amplissimos, et quod caput est, virtutes maximas, et praestantissimas. Relinquamus Londinū, florētissimam, potentissimamque civitatem, principē totius Regni, Regum Angliae sedem, et domicilium clarissimum. Praetereamus bonam indolem, et ingenium, cognitionem litterarum, et ad omne virtutis, honestatisque studium propensionem naturalem, gratiam apud Reges, dignitatem Cancellarii, tantum nomen, tantam dignitatem Archiepiscopi Cantuariensis, Principis, et maximi totius Angliae Pontificum. Missum faciamus boni Pastoris officium industria, et alacritate mirabili factum, et a peccatis abstractos, in gratia Dei reventos mortalium animos. Mittamus munera caritatis, officia pietatis, et exercitationes misericordiae, patientiae mag-

nitudinē, demissionis praestantiā, vexationē, afflictationem. que corporis usitatam. Non ponamus in oratione animū offensum Regi ad defendēdā, tuendamque Romanae Ecclesiae libertatē, et ad dignitatem Romani Pontificis salvam, incolumēque cōservādā. Trāseamus silētio hisce temporibus habitas cū Rege contentiones, accepta mandata, largita respōsa tanta cum animi magnitudine, atque constantia. Denique fileamus discessum ab Anglia sanctissimi Thomae inimicorū furori cedentis, et in exiliū abeuntis necessariū, peregrinationē itinerum, tot aditas terrarū partes, et in omnibus pericula vitae subeunda necessario, modo in Galliam ingressum, modo in urbem Romā introitū, et egressum, spoliationes, et everfiones suorum, tot ignominias viris illatas familia natis clarissima, illustrissimaque Britānorū. Hanc equidē rerū sylvam, et segetem abundantem si nostra percurrere debuisset oratio, difficile nōbis esset ad ultimam orationis partem, id est ad mortē Martyris ostendēdā pervenire. Etenim in singulis ejusmodi materies erat, in quibus horas multas consumere necessariū esset oratorē: atque id tēporis adumbrasse solū, non expressisse videremur formā aliquam virtutū suarum nitidā, et illustrē. Hanc enim vitā mihi, seriemque rerum percurrenti quam materiā daret in tantis honoribus, et dignitatibus sine ulla cujusquā offensione cōstās, perpetuaque progressio? quid meā orationē velis tam secundis navigantē magis propelleret, et proveheret, cujus cursus ad Angliae commoditates, et privatas, et publicas Thomā incumbentē ostenderet? Laudarem Pontificiā dignitatem, et a beato Thoma Ecclesiae fructus allatos, et utilitates maximas. introducirē inimicos suis sermonibus multū de Thomae virtute detrahente conantes, incensum, et inflammatū iracundia Regem, Thomā perferentem, et sustentē fortiter, et patienter injurias illatas. Ostenderem discedentem ab Anglia sine comitatu solū Pontificē, et similé fugientis nocturno tēpore per loca devia, magno cū periculo accelerantem, et ad-



volantem Romam cum Romano Pontifice colloquutum. Producere propinquos, patriis bonis everfos, ab Anglia pul-  
 sos, et ejectos magno cum dedecore, et ignominia. Quae  
 quidem quoniam propter multitudinem suam praesenti-  
 bus feriis memoria mortis excludit, ut inde proficiscatur  
 mortis obitae praedicatio, unde propinquior ad orationis  
 materiam institutam patet accessus, causa quae fuerit occide-  
 di Thomae, quoniam saepe audivistis, nunc quid agant, et  
 moliantur adversarii, considerate. Cum illi verbo Regis pro  
 mandato abuterentur, nonne vobis haec, quae saepissime  
 legistis, cernere oculis videmini? non viros aulae Regiae non-  
 nullos? non inimicos Thomae proficiscentes ab urbe Lon-  
 dino? non itinera facta? non progressiones plurimas? non in-  
 citatas celeritates, et cursus incredibiles, ut citius Caturariam  
 pervenirent? non in urbem introitum? in aedem sacram ac-  
 cessum? non versantur ante oculos loricati carnifices, gladiis  
 accincti, ferru, et crudelitatem spirantes? non adest ille Guil-  
 lelmus Thracius Dux, et Princeps illius cohortis sacrilegae,  
 tanquam alter Iudas ministros impietatis incitans, et in-  
 flammas? non illi dissonis clamoribus urbem commovent?  
 non in templum invadunt? non deposcunt, et efflagitant ad  
 mortem Pontificem Thomam? non id temporis, cum ves-  
 pertinae preces praesidente Pontifice persolvebantur? quid  
 agerent sacerdotes? quid canonici Pastoris defendendi cu-  
 pidissimi? Videte illos necessario preces divinas intermittē-  
 tes, ad valvas celeriter concurrentes ecclesiae opponere se-  
 se contra conatus, et impetus hostiles, concludere velle val-  
 vas, denique omnia conari, ut pestem ultimam a suo Pontifi-  
 ce averterent. Quid agit Thomas? qua fuit semper, et erat a-  
 nimi magnitudine praeditus, qua Pontificis auctoritate, pro-  
 hibet ecclesiam in more defendi castrorum. non vult opportuni  
 amittere defendendae libertatis Romanae tempus, et occasione ob-  
 blatam. Itaque in tanta turba, et in illis undis, ac fluctibus maximis  
 pergit obviam procedere vociferantibus, et clamantibus crude-  
 lita-

litatis detestandae satellitibus offerre iugum, ac libens dare pro  
 Matris Ecclesiae dignitate tuenda. Non illud obsecro ex vestris  
 mentibus abire patiamini. Cernite mentis oculis in genua pro-  
 eubentem, et in hunc modum sanctissime, religiosissimeque precare  
 Deum ipsum, Christum Iesum, Virginem Mariam, patronos ec-  
 clesiae, et maxime beatum Dionysium implorate, atque obtestate.  
 Nunc te oro Deus optime, maxime, cujus divinam potentiam, et  
 maiestatem pulchritudo ipsa caelorum, terrarum sola, aeris circumfusi  
 regio, universa maria, mundi totius elegans, et magnifica fabri-  
 catio praedicat, atque testatur, et homines ipsi, et divinae Me-  
 tes terra, caeloque venerantur, atque suspiciunt, in obscuris in-  
 ferorum sedibus nequissimi spiritus exhorret, ac reformidant.  
 Teque Iesu mansuetissime, vindex humanae libertatis, amissae  
 nostrae dignitatis assertor, qui sanctissimo latere tuo nata, et  
 profectam reliquisti sponsam dulcissimam Ecclesiam, sanctissimis fun-  
 datam, atque constitutam Sacramentis, doctrina augeam, conservadam  
 que caelesti, et uno tuae Maiestatis Vicario Pontifice Romano  
 nitente, consistenteque, tot Apostolorum, tot Martyrum ornatam, flore  
 teque; trophaeis: qui omnis ordinis, dignitatis Heroum caelestium  
 honoribus habes clarissimam, et splendidissimam. Teque etiam Vir-  
 go Maria, Parens tanti Domini dignissima, per fugium generis  
 humani maximum in nostris periculis, et singulare praesidium,  
 Princeps beatorum, janua caelorum: cui multa delubra, multas  
 aras sanctissimas, religiosissimasque; exstruximus, et ornavimus  
 et sacris tibi praestitis honoribus quotidie tua celsitatem coho-  
 nestamus, et ornamus in ecclesia Principe ditionis Anglica-  
 nae Caturariensi. Etiam te sancte Dionysi, tuis maximis meritis, et  
 immortalibus in hac urbem exstantibus beneficiis adoptate,  
 maxime, dignissimeque Patrone. Vos denique caeteri Patroni  
 nostrae ecclesiae, etiam Angliae universae divi, divaeque omnes,  
 quae ex Anglicano solo in beatorum aulam excessistis, et nunc  
 arcem tantam, et Regiam incolitis caelorum, vos omnes im-  
 ploro, atque testor. Adeste mihi pro Matre indulgentissima,  
 pro Romana sede tuenda, pro Pontificis tanti, et Vicarii Ie-

su Christi dignitate tuenda, mortem cum sanguine profundenti. Non hanc solum vitam, non unum, quem habeo, dumtaxat spiritum exhauriendum tradā: sed mille mortes crudelissimas, et acerbissimas Christi Iesu, et ejus in terris Vicarii Romani Pontificis tuendi causa libens oppeterem: dummodo mea morte libertas Romanae sedis, et ipsius dignitas augustissima pateat, et cognita sit hominibus, eam innuere, et labefactare conātibus. Nihil amplius Thomas. Unde liquido constare potest nostrae Fidei cultoribus, quae fuerit beato Pontifici causa mortis pro Religione libēter oppetendae. Quae religione precatus fuerat sanctos, sanctasque omnes, eadē genibus flexis exspectat ictus aduersariorū. Nihil astantium ardorem carnificum, nihil fulgorem gladiatorū micantium, nihil intentus brachiorum, et jam jam in caput bipennis aciem immittendam exhorret, caput offert, jugulū dedit: singula momenta mille beato Pontifici videbantur horae, dum quod omnium felicissimū optabat, mortem obeūdi pro religione tempus nō adesse cernebat. Dicam Senatores? horret, et fugit animus inauditam refricare carnificum crudelitatem: sed quoniam huc provec̄ta fuit oratio, prodeat jam tandem digna Pontifice praecellentissimo mors gloriosissima, et ego mittam in ejusdem sacrificio anniversario tam sacro, tamque solenni vocem ab auditoribus exspectatā. Occubuit, occubuit Beatus Thomas, et vitā pro Religione profudit. Quo mortis genere? ictu capiti crudeliter infixo: quid deinde? cerebrū toto fuit pavimēto sparsum, manabat multo sanguine Archiepiscopus, jacebat humi flumine sāguinis imbutus. O caelum, o terras, o Maria. nō sublatū e terris Solem, non terram in ingentem hiatum desedisse, non devoratos patefactis imis terrarum faucibus tetros, et importunos tanti sacrilegii principes, et auctores credibile sit. Caesus est ferro Pastor vigilantissimus, decus Angliae, lumen Fidei, ornamentum Religionis, propugnaculum Romanae sedis, maximum Reip. Christianae firmamentum, terror hostium Fidei

dei deterrimorum. Quo se recipient Cantuariensis ecclesiae ministri? quo boni Christianae fidei cultores? ad alios Angliae Pontifices? at hujus similem non habent, neque videbunt unquam Anglicani? Ad propinquos ne Thomae, ut similis tanti Pontificis aliquis reperiat? at nunc squalidi, sordidatique ejiciuntur ex populis, ex civitatibus, bonis omnibus, et patriis facultatibus deturbati. ad Principes fortasse saeculi nonnullos Anglicanos? at isti contra Regem hac tēpestate nec se commovere audebunt. ad ipsum Regem adibunt, ut doceant de crudelitate, de nefariorum impietate satellitum? nihil id temporis loci erat. Quid igitur reliquum? moerere poterunt, gemere, lamentari, lugere Pastorem ereptum, illud aspicere spectaculum, quod nec ulla unquā in barbaria tam lugubre, tam miserum aspiceretur. Credibile ne est in tēplum invadere mortales, Christianae Religionis alumnos, Fidei notatos et ornatos insignibus? in templum inquam? in locum sacrum, et omnium maximum, et celeberrimum omnium Cantuariae, et Angliae totius augustissimum sanctissimum, religiosissimumque templum. At quo modo? armatos homines, et gladiis accinctos, et sāctissimi sanguinis profundendi rabie fures. Qui locus pietatis, et Religionis erat, is sicariorum, et latronum redundabit nequissimorum multitudo? ubi sacra fiunt, et preces divinae adhibētur, ibi caedes fient, et sacrilegia suscipientur? ubi placatur Numen divinum, ibi tantopere violabitur, et offendetur divina Majestas? quo conservādae vitae gratia nocentes confugiunt, in eo loco innocentes trucidabuntur? unde homicidas abstrahi nefarium erat, inde sanctissimi viri non extracti, sed tēpli parietibus inclusi conficiuntur? in templo? in templo inquam? interruptis vespertinis precibus, intermisso rerū divinarum cantu, jure religionis violato, interturbatis, et oppressis ecclesiae ministris, ante aras ipsas, inspicientibus divinis, et imaginibus de suis sacris pulvinaribus, cernēte Virgine Maria, in sui ipsius conspectu simulacri, ante aram maxi-

nam, prope in ipso sacrario loco, inspectante Iesu Christo de suo tabernaculo cellisimo, religiosissimoque occidetur Patrens communis Cantuariensium? et Pastor ecclesiae? et cerebrum eiusdem discisso capite spargetur? qui tiara Pontificatus antea fulgenti collucebat, et illustrabat Solis splendore clarior sedens Pontificiam, inter tot, et tanta lumina, et ornamenta suae ecclesiae tanta cum auctoritate sedens? qui illucebat ecclesiae, et quibuscunque gentibus, in sacrificiis solennibus, in sacris supplicationibus, in ordinibus celebrandis, in muneribus maximis, et in omni honore, atque dignitate ecclesiae? qui principatum inter omnes Angliae Pontifices tenebat? qui referebat personam Iesu Christi, et dignitatem Pastoris tanti cellisimam? quem tiara fulgentem, si Rex aspexisset praecedente Cruce, venerari debuisset splendore suorum oculorum aciem perstringente, istius caput invadere, in illud securim intendere, immittere crudeliter, et vi brachiorum discindere vos ausi fuistis? et in loci Deo sacrati tectis ipsis, atque adeo intra parietes religiosissimos? si vos nihil auctoritas Thomae, si nihil tiarae fulgor, et dignitas, nihil sanctitas, et religio summa commovere potuerunt? ne vos altaria religiosissima, ne arae sanctissimae, ne simulacra sanctorum, ne Virgo Maria, et Christus Iesus commoverent? O crudelitatem immanem. O feritatem inauditam. Expertes Fidei suos Deos respexerunt ex ligno, aut ex ebore factos. Veteres poenas simularunt ob idolorum violata templa saepissime Deos ipsos ab auctoribus scelerum expetivisse. Quid dicam de Pompejo, qui tot urbium, tot provinciarum, tot Regnorum victoriis, et trophaeis ornatus ab illo die, cum templum diripuit Salomonis, nunquam non infeliciter pugnavit? Quid referam, quemadmodum emptores, atque venditores arrepto flagello de templo Christus ejiciens dissipavit, et evertit metas numulariorum? et vestram crudelitatem, vestra sacrilegia perferet potentissimus caelorum Dominus? non sanctum ulciscetur virum? non in vos? non in Regem supplicia statuet severissima? Recordamini poenas de Baltasare propter

vasa

vasa templi violata sumptas, et cum vas istud gloriae, dignitatis, sanctimoniae, virtutum omnium delectum ab immortali Deo consideraveritis, non minus quam Baltasarus, ore, vultu, animo conciditis, totis artibus, atque membris contremiscetis. Sed quid immoror? non audiunt, Patres, meam orationem scelerati homines, aures occluserunt divinis adorationibus. Neque id mirum cuiquam vestrum videri debet: nam qui a Deo derelicti, destituti que sunt, his, et multo gravioribus se flagitiis obstringent. Relicto igitur in ecclesia corpore sanctissimo in Pontificis aedes se proripiunt homines scelerati, indignissimis modis tractant ministros, ipsi amplissimae suppellectilis, bonorum omnium, quae reperta sunt, sunt domini. In vas pretiosissimis, in auro, in argento apertissime, impudenterque praedantur, sanguinis comunione cum beato Thoma conjunctos, nudos ejiciunt domibus suis, atque focis patriis praecipites exturbant, omnibus dedecoris, et ignominiae maculis notando. Quid plura? mittunt illi in exilium sordidatos luctu, moerore perditos: quod Cantuariensibus, usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletu, gemituque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur, mors Pontificis beatissimi Thomae crudelissima, propinquorum illius egestas indignissima, quibus de bonis suis amplissimis praedones, et latrones isti nefarii, neque nummulum ad sumtus itineris reliquerunt, bonorum direptio, flagitiosa possessio, administratorum injuria, violatum templum, et nondum Pontificis corpus sepulturae mandatum. Auxit etiam fletus, et lacrymas Cantuariensium aspectus corporis beatissimi Thomae miserandus: quem cum in sepulchrum inferendum vestibus suis nudassent, quid putatis aspexisse mortales, qui praesentes erant huic spectaculo miserimo? non vestes profecto sericas, non thoracem eodem filo intertextum, non purpuram pretiosam, atque fulgentem, non subuculam ex lino tenuissimo confectam, sed calicium asperum ex setis diris admodum intertextum, et vehementer carnes ipsas non cruciantibus solum, et exul-

Qqq 4 ce

cerantibus, sed sanguinem, et saniam plurimam exprimentibus, qua manabat corpus sanctissimum, et lacunis depressis redundabat erumpente ingenti vi multitudineque vermiculorum, quibus exedebatur, et paulatim absumebantur carnes viri sanctissimi. Cum autem cilicium infixum fuisset, et impressum penitus in corpore viri clarissimi, et ad tollendum, avellendumque vim, et contentionem adhiberent ministri, discerpebantur carnes, avellebantur frustra corporis, et cum cilicio trahebatur cutis inhaerens, et mirandum in modum infixum: quae sic infederat, et inhaeserat in multis cilicii partibus, ut quasi nullum sensum habere videretur Thomas, nunquam infuetus patiendi. Sic ad omnes corporis cruciatus, et acerbitates omnis generis afflictationum intolerabiles obduruerat vir sanctissimus usu jam, et diuturna consuetudine dolorum. Quo aspectu, simul et redintegratione vitae sanctissimae affecti mirum in modum spectatores lacrymas tenere non potuerunt: quae sponte suis profluebant oculis. Mittere omnes non desistebant voces plenas doloris, et miserationis, conqueri fortunam adversam, flere, lamentari, testari sanctos omnes, et Deum immortalem, implorare divinam iustitiam, deprecari, et expetere poenas a sceleratissimis hominibus. Ita parietes contracti moestitia videbantur, horridum ac moerens templum, mutus, et elinguis chorus. Imagines, ac simulachra non vim suam ostendisse, non Christum Iesum de sacrario scelus statim ultum fuisse, non interfectores morte confecisse repetina nemo non mirabatur admodum. metuebant omnes moram illam, atque procrastinationem in gravem totius Angliae perniciem, et vastitatem redundaturam. Evenit id, Patres, ut timebant homines. Ecce enim vix confecto Pontifice impedit gravissima supplicia Angliae, imminet bella crudelia, et exitiosa. Recordamini dissensionem inter Regem, et filium, exercitus ex diversis gentibus constatos, Reges potentissimos eius regni finibus exeuntes, et in Angliae perniciem, et vastitatem irruentes, moestum, et afflictum Regem,

et

et periculis circumventum maximis, in somnis formas mentis oculis obversantes, euntem, ac properantem Cantuariam expiatum, et elutum maculas propter occisum Pontificem Thomam. Ecce post beati Thomae mortem repente vidit Anglia filium Regis a patre suo vehementer dissidere, magnas inter utrumque contentiones esse, Proceres in duas partes dividi, Principi filio favere plurimos, et a patre deficere non paucos Angliae Principes, ad arma, ad arma concurrere utrumque, delectus haberi, conscribi milites, tympanis horrificis cunctas personare civitates: neque jam quidquam esse propius, quam ut collatis signis utraque parentis, et filii acies telis, et ferro concurreret. Omnia quasi civilium armorum ardore deflagrabant, urbibus ipsis, atque adeo intra moenia civitatum homines opprimebantur, et contrucidabantur. impune factiosi bacchabantur in caede inimicorum exultate plurimum audacia, ferocitateque triumphante cujuscunque factionis: illi, ut filium sibi conciliarent, isti, ut parentis gratiam retinerent, nihil non in regnorum extremam perniciem moliebantur. Interea quod accidere saepe solet, ut hostes aucupentur tempus, et ad bella suscipienda praeclaras occasiones oblatas nunquam e manibus elabi patiantur, inimici exercitus magnos, et omni genere copiarum abundantes in Angliam perducunt. Imminent huic imperio Reges potentissimi, inimicissimi que nominis Anglicani, propinqui regno, finitimi civitatibus, quemcunque hominem aditu prohibentes, et comatu omni publico, et privato regnum: assidua vehementique obsidione, nobilissimas, et opulentissimas regni civitates opprimunt, in agrorum depopulatione, in vastatione pagorum, in direptione populorum, in capiendis hominibus, in vexandis, et occidendis, in omni divino, et humano jure violando nunquam defatigati. Ubique igitur, foris, et intus, ruri, domique dissidentibus parente, filioque, hostibus e suorum finibus regnorum exeuntibus, et in regis oculis, in Angliae totius luce versantibus, videbantur signa patriis, et hostilibus etiam

R r r in-

insignibus distincta, clamores militum, crepitus armorum, hinnitus equorum, tubarum sonitus audiebantur. Praelia committebantur, aliquot excursions fiebant, multi adducebantur in servitutum, aedes partim direptione, partim incendio vastabantur: vis denique, et furor armorum horrificus, hostium innumerabili multitudine, tantaque conjuncta principum potentissimorum armata manu parenti miserrimo Regi finem videbatur allaturus esse regnandi. Quid ageret his difficultatibus affectus, istiusmodi Rex periculis circumventus, stimulante praesertim, fodicanteque conscientia, et animo minitante poenas, et statuente jam jam praesentes propter caedem beati Thomae factam, et ab immortali Deo Regiae crudelitatis, et impietatis expetendas? viderunt Anglicani dissensiones civiles. viderunt dissidia inter patrem, et filium. viderunt bella Regum exterorum in patriam concitata. Haec, credo, saepe mentem Regis vexaret cogitatio, haec angeret, et excrucietur sollicitudo: quod eventu comprobatum est. Semel enim Regi vel dormienti, vel in Regni cogitatione versanti visa est species admirabilis nuntii, arbitrator, caelestis, qui causam dissensionum, et bellorum in se principem, et auctorem mortis illatae Pontifici Cantuariensi conferebat. Visus est etiam audire vocem, aut cernere speciem aliquam, qua de causa labem illam tanti sceleris expiari necessarium erat. Rem igitur minime differendam amplius, non magis ducendum tempus Rex Anglorum deliberavit. Itaque constituit adire beati Thomae sepulchrum. Proficiscitur difficillimis temporibus, bellis Anglia tumultuante periculosissimis, nondum reconciliato filio, Rege cum copiis imminente regno. Tandem omni festinatione currens, et advolans Cantuariam pervenit: longo autem intervallo a templo maximo, in quo corpus Thomae sanctissimi sepultum erat, sese effundente populo universo, et omnium ordinis, et aetatis viris, et mulieribus undique concurrentibus ad spectaculum, quod fama dissiparat Regis poenitentis, et eluentis crudelitatem

tatem mortis allatae Thomae, progreditur in sepulchrum, in habitum, atque figuram hominis moerentis, et acerbissime lugentis, vestitu communi, atroque, nudatis pedibus, desipientis terram, nec audentis oculos vel paululum tollere: ut ipso aspectu, atque forma peccatorem aliquem dolore, ac moerore maximo confectum, te diceres intueri, suspirantem, gementem, prae dolore fundentem lacrymarum vim ingentem, quae ex oculis cadebant Regis tam vehementer affecti, et totum os, et barbam opplebant. Non illum viarum asperitas, non itineris longitudo, non concursus, et frequentia mortalium, non effusiones urbium, et populorum, non Regum teneritudo, non mollitudo ab itinere suscipiendo, conficiendoque retardavit. Ingressus in templum, in terram se abiciens pronus, quam demisse potuit, et humiliter Crucem adorat. Quid deinde Regem fecisse dicam? quid vos expectatis, auditores? ut lacrymis respergat sepulchrum Archiepiscopi? ut se peccasse fateatur? veniam delicti petat? et ad divinam misericordiam confugiat, quae non vult peccatoris interitum, sed ut ad se redeat, et reconcilietur tantae Majestati? O divinam bonitatem. O sapientiam caelestem. O mirandam divinorum consiliorum rationem. Ita ne Deus immortalis ex malis, ex peccatis ipsis tantum hominibus boni comparare solet, et tot fructus, et utilitates in salutem animorum conferre. Fuerunt Reges alii, multi terrarum Principes exstiterunt, non pauci Imperatores, quos ita scelerum in Majestatem divinam admissorum poenituit, ut ipsimet a seipsis poenam propter delicta publice commissam publicam expetierint: sed quem graviorum, aut vehementiorum, atque Regem hunc suscepisse, aut legimus, aut audivimus unquam? Memorabilis fuit poena Theodosii, qui stragem Thessalonicae factam eluit obtemperando Pontifici Ambrosio: et quas Praesul imposuerat poenas, libens suscepit Imperator, atque persolvit. Non minus admirabilis fuit Regis cujusdam ejusdem Angliae poena, qui cum Pontificem lacepsisset, verbis violasset, quod Regiam Majestatem reprehenderat, et ut ipse dicebat

libere nimium, et audacter: is tanto fuit postea sensu Rex, et animi dolore commotus, ut rediens a venatione cū suis Proceribus, et Magnatibus aulicis, tanto Principum clarissimorum inspectate coetu delecto ad manus, et ad pedes Pótificis osculandos accesserit in genua procúbens, et una supplici, demissaque obsecratione veniam errati postulans. Sed ut alios Reges omittam, Theodosius ingredi limina templi, os suum paene mortuorum sanguine respersum ostendere Pontifici non verecundabatur, sed jussu Pótificis poenam suscepit, atque luit, et antequā susciperet, et perferret, verbis cū Theodosio plurimis decertavit: et quidem (ut quod sentio dicam) si quidquam de sua severitate remisisset Ambrosius, poenarū nihil Theodosius suscepturus esse videbatur. Atque poena, quam tulit, quid habet gravitatis, quid admirationis, quid tantopere commendandae demissionis, et exempli singularis ad poenam Regis istius Enriquiū tanta volūtate susceptā, atque persolutam? Sileamus de poena supra nominati Regis, et de demissione Angliae monimētis testata, qui dumtaxat ad oscula manuum, et pedum Pontificis, ad paucula verba, et officiosa progressus fuit: at Rex iste vestitum mutavit, et nudavit pedes, et in habitum quasi poenitētis per vias publicas inspectante populo, concurrente multitudine istud, et plus poenarum, quam commemoravi, sponte dedit, et egregia voluntate. Audite, audite quaeso reliquam Regis hujusce poenā quam idem ipse luit in ecclesia. Atque praetereo preces in ipso aditu, et introitu templi adhibitas. Taceo singularē, et admirandam demissionem. Praetereo corporis ad terram usque abjecti, prostratique magnā submissionē. Missam facio vim lacrymarum ingentem profusam, sensum, et dolorem habitum. Haec cum signa sint vere, et ex animo satisfacere voluisse Regem, ac contendisse vehementer, illa cujusmodi fuerūt, cum in locum illum ingrederetur, in quo corpus sepulturae mādaturum fuerat beati Tomae? Sic legimus affectum aspectu sepulturae, et commotum recordatione caedis Enriquiū,

ut

ut prae singultibus, prae sensu vox intercluderetur, et lacrymas tenere non posset, quarum vim maximam ille profundeabat. Collacrumabat Rex, et ita collacrumabat, ut oculi forte profluerēt lacrymarū genā utranque praeterlabentium. Locus ille lacrymarū flumine madebat, madebat pavimētū, et os ipsum, et barba Regis aqua videbātur manare plurima. Iacuit in sepulchro oculis, et ore inhaerente per multū tēpus, ad illud usque longum intervallum, cum verbū aliquod potuit proloqui: tum ut potuit interruptis verbis, et stebilibus modis, audiente multitudine, praesentibus Episcopis, summa cum religione, tensis manibus, oculis prae pudore in terram defixis, et vim ingentem lacrymarum profundentibus, totis artibus, atque membris contremiscens confessionem pronuntiavit generalē. Hac absoluta, cum ad corporis loculum accessisset, quid illum putatis profudisse lacrymarum? quantopere lamentatum fuisse? quas misisse voces plenas doloris, et acerbitatis? quos ex fletu Regis miserabili factos animorū motus? quam intēta voce, ut audiretur ab omnibus, reū praedicat se se, veniamque precatus est, quod tanta cum acerbitate, tanto cum odio, cum iracundia, cum pertinacia virū Dei sanctissimum infectatus fuerit: quod verbum proloquutus, vocem miserit, qua pro mandatis abusi occisores vitā, et spiritū hauserunt Archiepiscopo optimo, sanctissimo, religiosissimoque. Quem noluisse confectum, non sic videri necatum, ipse sibi satis conscius erat. Quid amplius vultis? quid exspectatis auditores? Exemplar habetis, doloris, et execrationis peccatorum, speculum hominis vere lugentis peccatū in Dei majestatem admissum, clarum, et illustre. Sed de praevilegiis quaeretis, de praerogativis ecclesiae Cantuariensi sublati: non veteres dūtaxat reddidit, sed multo majores addidit, et ampliores Regii cōfirmatas auctoritate Chirographi. Quid quod donis cumulavit, et amplissimis affecit muneribus ecclesiam Cātuariensem? redditus de suo aerario, de pecuniis Regiis cumulando, et augendo, locupletiolem reddidit,

R r r 3

et

et illustriorem? Nihil ad hanc Regis demissionem, nihil ad hanc poenitendi rationem addendū fortasse videbatur. Persequar reliqua plena admirationis, quae nunquam non dicā Regem, sed neque privatum hominem facturū esse quisquā in animum sibi induceret. Miramur Acaz, cum in conspectu Domini se abjicientem, atque demittentem, et veniā petentem peccatorum audimus. Miramur etiam, cū Davidem Regem collacrumantem dies, et noctes recordamur: cum hos, et alios, quos silentio praeterit oratio, cilicio amictos, et multo cinere aspersos ad implorandam divini Numinis opem sacra litterarū monimēta testātur. Sed quid facti, quod narra- bo, simile ulla unquā saeculorū memoria visū, aut aliquo de Rege praedicatum est, ut in ipso templo, in oculis, et aspectu mortaliū seipsum vestibus nudaverit, et patefecerit carnes, illas inquā carnes, Regio more, maximis in deliciis, in maxi- ma suavitate, et affluentia voluptatū, molliter ac blande tra- ctatas, linum tenuissimū, et nive candidius indulgenter gere- re semper assuetas? cum ex fuisset prius vestitus, et cultus pre- tiosissimos, et sericos, auri splendore, purpurae fulgore nitentes, plusquam nardū, plusquam Afsyrios odores, omnes un- guentorum suavitates, quacunq̄ pedem poneret, spirantes afflatu suavissimo? quorsum quaerētis? ut ciliciū, ut saccū as- perū indueret? ut rigenti fune corpus constringeret acerrime? Altius ascēdit cogitatio Regis celsissimi, tollitur gradibus suis ad flagellorū Domini memoriā recordationēque sāctis- simā: quē pro peccatis, et sceleribus hominū recordatus cae- sum innumeris plagis, et vulnerib⁹ cōcisum, se cōtinuo Prae- sulibus tot ecclesiarū, et religiosi hominib⁹ caedēdū, flagel- landūque commisit. Exhorrere, Patres, tremere magis sacer- dotes, vix apud se esse religiosi hoc miserando, luctuosoque spectaculo, recusare cuncti, avertere oculos, cōtrahere seip- sos, dicere rē novā, et inusitatā, sed imperio Regis coacti pri- mū accedere Pontifices, expedire virgas, ictus in corpus infi- gere, his discedētibus novi recentisque succedere religiosi, qui

qui nō pauci fuerunt: omisis enim Pōtificibus, qui multi cō- venerunt ad praesentis facti testificationē, octoginta viri re- ligiosi fuerūt, quorū a manibus nullis abfuere virgae, cū etl virgas in corpore Regis excercuerūt, et ictus in fixerunt, li- voribus terga operientes Regias. Actus jā iste videbatur ex- trem⁹ ad luctuosam, et miserabilē tragoediā absolvēdā, quae spectatorū lacrymis terminata motus fecit in mortaliū ani- mis maximos. Iā jā discessurus videbatur Rex, et reditur⁹ ad acquiescēdū in Regiā, cū omnes jubet discedere, singulos in suas aedes abire, ille manet in tēplo sol⁹ cū solo Thoma, pro- ximus sepulturae, et ut venerat nudatis pedibus, totū vespe- rū, et totam noctē, moerens, ac lugēs admissum peccatū, sa- cris in precib⁹ exegit. Itaque nudā, et gelidā humū pro lecto pulcerrime, magnificentissimeque strato, sepulchrū, pro pul- vinis pluma mollissima infertis, spoliationē ipsam pro con- chyliatis peristromatibus, angustias sepulchri pro Regiarum aedium elegantia, atque magnificentia, solitudinem pro multitudine Procerum, et Principum aulicorum, denique vi- giliis pro suavitate somni delegit. Quam totam noctem pre- cantem, orantem, collacrumantem quis audiret, quis accipe- ret sermones cum Thoma, cum divis, cum Virgine Maria, cum Christo Iesu habitos. Vbi vos aulae caelestis Heroes? ubi Spiritus divini? ubi caelites omnes? et agmina beato- rum? quibus spectaculum illud oculis intuebamini? qui- bus gaudiis exultabatis, intuentes vagam antea, et erran- tem ovem in ovile Iesu Christi redeuntem? Quam gratum fuerit, quam jucundum, et acceptum Regis poenitentis spectaculum, declararunt tempora consequuta: nam ab il- lo puncto temporis, ab ipso momento, cum se Rex Christo Iesu reconciliavit, res imperii meliore loco visae sunt. Quo die Cātuariam ingressus est Rex Enriquijs, Comes Fládriae, qui maximas aedificarat, ornatque classes, exercitusque per magnos, quibuscunq̄ ex gentibus potuit, comparaverat, ut cum a Rege Scotiae, et a filio, civilibus dissensionibus,

nondum sedatis, a suis scilicet, et a diversis hostibus, et Principibus potētissimis Anglia premeretur, ipse suis copiis conata perficeret: nec sperantibus, nec opinātibus Anglis, quia propter temporum difficultates, et angustias id fieri posse nō videbatur, et obsidionē solvit, et copias reduxit in Flandriā. Quod autem a Rege maxime desiderari, et obtineri poterat, quod Pompejo contra Regem Ponti, quod Mario contra Iugurthā, quod AEmilio cōtra Persen, quod Carolo Imperatori contra Gallos bella gerenti, id Enriquo contra Regem Scotiae signa ducenti, ut Regem captum, et comprehensum, et ad se deductum aspiceret, et in sua potestate Rex felicissimus Regē haberet, accidit. Id denique contigit, ut quemadmodum militiae, domi quoque secūdae res haberentur: nam cū pietate Christiana, cum iustitia, cum Religione delectis, et exinctis bellis civilibus, et externis respirare coepit Anglia, et emergere e fluctib⁹ miserrimae vastationis, desperatas, ac prope perditas res Anglorum, quas impietas affixerat, ac perdiderat, restituēte de caelorum sedibus mortuo Thoma Pontifice Cātuariensi. Ille, ille inquā ex beatorū domiciliis modo nostrā videt Angliā squalidā, et deformē, et magnam partem suorum haereseos incendiis deflagrantem, filios plurimos, vos inquam fratres amantissimos, et vestri laboris cōsortes unius Elisabethae deterrimae crudelitate a suo sinu, gremioque divulsos, exsules, et extorres a patriis sedibus, bonis omnibus, et facultatibus everfos, a cognatis, a fratrib⁹, a parentibus abstractos: et quoniam Christi Iesu veram, solidamque doctrinam, sacramque solum colendam Christianae Fidei Religionem retinetis, simulatione violatae Regiae maiestatis humanae, proscriptos, et praedicatos omnibus Anglici regni populis, et civitatibus, tanquam proditores imperii, reos laesae maiestatis, et vos edictis temerariis, et insolentibus, immortalī Deo, cunctis caelitibus infestissima bellua quotidie insectatur; atque proscindit. Nihil vestra, fratres amantissimi, ejecti patriis sedibus, per terras, per maria con-

confugeritis in Hispaniam, et in Italiam appuleritis. In urbibus potentissimis, et totius terrarum orbis principibus, in urbe Vallisoletana, et Hispalensi vos unū Regū, et alterū Ecclesiae caput Romae, duo terrarū lumina clarissima, Catholicus Hispaniarum Rex, et Vicarius Christi Iesu Pontifex Romanus exceperunt, et tuebūtur, atque defendent. Ut enim omitam Regiae Maiestatis liberalitate fundatum, et suis redditibus constitutum, et egregie stabilitum ad vos alēdos Vallisoleti collegium, ut praeteream in Flādriae sedibus alterum ab eodem Catholico Rege liberalissime constitutum seminarium, unde, quoniam illud oppidum Angliae finitimum est, et paucas intra horas in illud venire potestis, litteris Latinis, et Graecis egregie imbuti trāseat in Hispaniam: an Hispalense tacebimus collegium, cuius intra domesticos parietes vos adolescentes tam egregia indole, tāto animo, tanta virtute, tanta spe versamini? Cum vos auctoritate sua Hispalensibus Regia Philippi potentissimi Maiestas commédaverit, cum alēdos, sustinendosque tot hominum Christianorum, et liberalissimorum pecuniis per litteras, per nuntios mandaverit, neque liberalius, neque indulgentius, quam fecit, et facit, vos omnes, tantam adolescentum multitudinem cōplecti potest civitas Hispalensis. Quid commemorem privatorum in vos animum, et egregiam voluntatem? quid locupletum, et illustrium virorum misericordiam vobis tanta cum voluntate tributam? quid mercatorum erogatas passim pecunias ad collegii sumtus, et expensas annuas? quid Senatus opulentissimi redditus, et in singulos annos praefinitos? quid vos tam liberaliter exceptos? tā honorifice tractatos? quid vestri collegii provehēdi causa Senatores auctoritate publica delectos? quid illorum in vestram domū itionem, quid reditionem, quid advētus statis tēporibus vestris rebus cōsulēdi gratia praestitutos ostēdam? quid proferā canonicorū ecclesiae benignitatem, et munificentiam in collegas Anglicanos omni laude commendandam? quid ostendam multitudi-



nis in vobis, locupletum, illustrium virorum oculos, et ora con-  
 jecta? Cum domo exitis, cum academiam, cum ecclesiam, cum  
 aliquem locum aditis, cum longo agmine, modestia, quae ve-  
 stram vitam egregie, sancteque constitutam decet, bini loca  
 transitis celebriora, quacunque progredimini, nemo est, qui  
 vos non laudet, qui honorifica mentione non prosequatur,  
 qui virtutis florem, qui decus honestatis, qui seminariū Mar-  
 tyrum non appellet, qui non sumtus ad vos alendos, omnē  
 pecuniam recte collatam non dicat, qui suas fortunas, seip-  
 sos, suam vitam non libens, et sanguinem, si opus fuerit, jure  
 dandum non censeat. Pontifices diversarum Baeticae totius  
 ecclesiarum litteris Regiae Majestatis, et vestrae virtutis ce-  
 lebritate commoti vos vestraeque res summo amore complectū-  
 tur: in suae fortunae magnificentia, in tanto dignitatis gra-  
 du collocati vestrum omnium nunquam obliviscuntur. Om-  
 nium vero maxime Censores sacrae Religionis sanctissi-  
 mi collegium Anglicanum recordantur, et vos alumnos,  
 tantae sodalitatis studiis omnibus, et officiis prosequuntur.  
 Quis unquam Pontifex Ecclesiae, quis Comes? quis Marchio?  
 quis etiam Dux, et Princeps Hispaniarum Hispalim venit, qui  
 vos non invisere studeat, et summa caritate complecti? cum  
 invisit, quantam vobiscum colloquens in vultu hilaritatem  
 ostendit? in sermone benignitatem? in dando largitatem? saepe  
 Principibus istiusmodi loquentibus, et inter vos versanti-  
 bus cadunt ex oculis lacrymae, ut dubitare debeat nemo, quin  
 vos in animis, in visceribus gerat omnes: quoniam ex his, quae  
 vulgo dantur, non dant solū, sed summa praecipue totius be-  
 nignitatis, et amoris signa clarissima. Atque ut concludam par-  
 tem hanc, quoniam ad orationis exitum festino, quod tempus melius  
 insumtum putat Archiepiscopus Hispalensis, atque claris-  
 simus Ecclesiae Christianae Princeps, quam cum purpurā, et  
 galeriū suum, cum tantam Cardinalis dignitatem ad vos augēdos,  
 decorandosque confert. Equidem pro parente uno, pro do-  
 mo, quam quisque vestrum reliquit Christianae Fidei retinen-  
 dae

dae causa, tot domos, perugia tutissima, tot parentes, et om-  
 nes claros, et illustres, Principes terrarum potētissimos repe-  
 risse gloriari potestis: quae non aliunde proficisci quidem existi-  
 mare debetis, quam quod vos intueantur, tanquam Martyrum  
 imitatores, et sanguinis profundēdi pro Religione cupidos.  
 Vident enim ex collegio Themensi, videt ex seminario Ro-  
 mano amplius centū et Triginta juvenes profudisse sangui-  
 nē in Anglia pro Christiana Religione: ex quibus cum exē-  
 pla petere possitis fortitudinis, et constantiae, tum ex parente  
 praecipue patriae vestrae Thoma beatissimo vobis ad imi-  
 tandum hodierno die proposito petetis. Quidquid vos reli-  
 quistis, quidquid passi fuistis, et patiemini vestrorum studio-  
 rum curriculo confecto redeuntes in Angliam, adivit, susce-  
 pit, sustinuit, et pertulit Thomas invictissimus. Patriam reli-  
 quistis, ab ea fuit per ignominiam ejectus beatus Thomas. Pa-  
 trias opes contempsistis, easdem, et multo ampliores amisit Tho-  
 mas. parentum complexum, amicorum consuetudinem, convictum, et so-  
 cietatem Anglorum repudiastis, his omnibus privatus fuit Tho-  
 mas. Multi vestrum utrunque parentem, alii patrem, alii matrem, alii  
 fratres suos, aut exsules, aut in carcere coniectos, aut in foro  
 publico vita privatos commemorabitis. De vestris necessa-  
 riis quem non extorrem, et bonis, et honoribus spoliatum  
 afferetis? unum restat adhuc, ut vitam, et sanguinem cum bea-  
 to Thoma profundatis. Ad hunc vos finem peregrinationes  
 vestrae, vestra itinera, vestrae navigationes, institutae vitae ra-  
 tio, haec seminaria, coetus, et sodalitia sanguinis profundēdi  
 jure optimo appellanda adhortantur, excitant, et inflam-  
 mant, neque cogitare dies, et noctes nisi de morte oppetenda  
 pro Christiana Religione desinent. Magnū est vobis certamen  
 propositum, magni suscipiendi labores, multae devorandae  
 molestiae, pericula subeunda gravissima, mors tandem op-  
 petenda. Non nego, sed magna vos manent, et immortalia  
 beatorum praemia, laureae Martyrum invictissimorum  
 aeternae, et ipsum beatissimi Thomae diadema sempiter-

num, et in omnem saeculorum memoriam, cum Martyribus vestri laboris consortibus, cum Laurentiis, cum Sebastianis futura societas immortalis. Ad hunc Athletam Christi Iesu fortissimum, ad Pastorem ecclesiae Cantuariensis clarissimū, ad Patronum a vobis hujusce collegii adoptatū beatū Thomam supplices manus tendamus, eundem apud Deum preces adhibiturum oremus, et obsecremus. Beatissime Thoma, qui jam Dei aspectu perfrueris sempiterno, et Deum auctorem immortalis vitae felix, et gloriosus intueris, et aspicere nūquam defines in perpetuum, cujus diem festum recolimus, et instauramus, quibus modis possumus, virium nostrarum imbecillitate, si tuam vitam imitamur, si volumus, et avemus vestigia tuarum virtutum sequi, si patientiae, si fortitudinis fructus ferre praestantissimos, tuis precibus opem ferto iis, quos reliquisse patriam, parentes, fortunas exemplo tuo cernis. Ab immortali Deo robur, et patientiam, et constantiam tuis alumnis impetra. Fac vim, et praestantiam divini Numinis tuis meritis, et obsecratione nostris animis adesse. Fac nos eisdem nullo unquam tempore proposito, institutoque vitae cōsilio desistere. Fac denique nos pro Religione Christiana in patrias sedes revocanda telis inimicorum cervices offerre libentissime: sic patriae, et huic principi terrarum Hispalensi florentissimo, potentissimoque Senatui pro suis in nos immortalibus meritis preces ad tantae Reip. conservationem, et amplificationem fundentes justam ac debitam gratiam persolvemus.



ORA-

ORATIO IN COLLEGIO DIVI ER-  
menegildi Societatis IESV, pro tanta aca-  
demia virtuti, et bonis artibus ex-  
tructa ad Senatores Hispa-  
lenses habita.

(\$)



VO D erat optandum maxime, Prae-  
tor, et Senatores Illustrissimi, et quod  
unum ad gloriam urbis Hispalensis, et  
ad honorem vestri ordinis immorta-  
lem augendum spectabat: id cum libe-  
ralitate tāti Senatus, tum Divi Erme-  
negildi beneficio plane divino confe-  
ctum, licet non absolutum, atque per-  
fectum felici praesentis diei celebritate videtis. Ingre-  
dimur enim jam, quod felix, faustumque sit in scholas recētiores, et  
in hujusce Reip. litterariae, quam vestris sumtibus excitan-  
dam decrevistis, orbis gentium augustissima, frequentissima-  
que musaea: quae non modo ad politiores litteras, et disci-  
plinas, sed etiam ad bonos mores, et virtutes, quarum socie-  
tate continentur, et florent gubernacula Rerum publicarum  
tradendas, atque percipiendas, juvenum optimorum, et no-  
bilissimorum concursū celebrata mirabimur, et obstupesce-  
mus in posterum. Quod cū ab hinc annos plurimos optimus  
quisque semper optaverit, et nos a Deo optimo, et maximo,  
pro nostrae Societatis instituto, veterique more recepto ju-  
ventutis instituēdae precati fuerimus: res autem exitum, quē  
sperare potuissemus, felicē, et optatū habuerint, quid agam?  
unde nam potissimum exordiar? quorum, aut cujus partes  
in oratione suscipiam? Senatus ne Hispalensis, qui tantū hoc  
tempore beneficium tribuerit? an illorum qui acceperūt? vel  
divi Ermenegildi, qui suis maximis, et immortalibus jā pri-  
dem.

Sff 3

dem meritis, quod incolae, et habitatores Hispaniarum, et maxime principes Baeticae Provinciae, quales haberi debent Senatores Hispalenses persolvere debuerunt, id in nobilissima Hispaniarum civitate, quae caput erat sui regni, sedes, et domicilium tantae Majestatis impetravit. O diem felicissimum, et omni laude, praedicatione, litteris, monumentis que decorandum, in quo confessus iste frequentissimus, et omnis generis, ordinis, et aetatis juvenum, et virorum circumfusa multitudo confluit ad opus hujusce Reipub. litterariae magnificentissimum spectandum, post conditam urbem Hispalim, nunquam antea simili specie, neque magnificentia perceptum, dignum amplitudine tantae civitatis, dignum splendore Senatorum Hispalensium, dignum praestantia litterarum, et existimatione virtutis, dignum denique meritis, et honore Martyris invictissimi, tot annos jam inde a sanguine suo pro Religione profuso Patroni per Hispalenses adoptati. Nunquam equidem splendidissimi homines Hispalenses, flos, et decus Hispaniarum persuadere sibi debent inter monumenta suae civitatis praestantissima ullum, aut utilitati filiorum opportunius, aut honorificentius ad posterorum recordationem sempiternam, aut quod magis divinae Majestati, illi summo, praepotentique caelorum opifici gratum esse potuerit, existisse, atque praefens virtutis, et litterarum domicilium. Est enim amplissimum, cum lustraveritis urbem Hispalim, vias omnes, et plateas, et loca celebriora civitatis obieritis, quocumque vestros oculos convertatis, videre Senatus Hispalensis sumtibus, et expensis monumenta statuta, quae moderatores Reip. vigilantissimos, divitias hujusce civitatis maximas, potestatem, et dominationem amplissimam neminem unquam vestrum oblivisci desinent: sed horum partem non exiguas delectationes, et amoenitates corporis, magnam opes, et fortunae Hispalensium, maximam negotiationes plurimae, mercaturae quaesuosissimae, tributa Regum, et vectigalia sibi vindicabunt. Illa vero pars propria hominis, propria a-

nimi, quae genus hominum a brutis animantibus disjungens cum Deo nos agnatione caelesti devincit, mentis scilicet intelligentia, quae Dei notitiam habere debet, ut illum homo verissimo semper pietatis, et religionis cultu suspiciat, et veneretur, Palladis, quod deerat, et desiderabatur adhuc monumentorum Hispalensium sortita fuit decus, et ornamentum amplissimum: ut nihil jam ad absolutionem, quam vel Hispalenses in patria sua, vel alienigenae in tanta civitate desiderare possint, reliquum esse videatur. Quare primum mihi de magnitudine beneficii, deinde de civitatis amplitudine, tum de principe, et auctore tantae liberalitatis divo Ermenegildo, cui opus istud, et academiam praecellentissimam referre debemus acceptam, denique de gymnasiolorum, ac tanti aedificii magnificentia, et de nostrorum sociorum ad gratiam referendam voluntate paratissima videtur esse dicendum. Genus beneficii est ejusmodi, quod maxime civitatem Hispalensem decorare, et illustrare videtur. In quo ostenditur populi Hispalensis amplitudo, quae a majoribus cum magna in rebus omnibus, tum summa in re litteraria tradita est. Ostenditur desiderium insatiabile suspiciendae virtutis, pro qua boni moderatores Reipublicarum omnes excipere labores, atque perferre debent. Ostenduntur decora, et ornamenta bene moratae, beneque constitutae civitatis, quibus detractis, et civium ornamenta, et praesidia civitatis frustra requirentur. Ostenduntur commoda salutis animorum, quibus est, et a Senatoribus, et a magistratibus Reip. consulendum. Et quoniam praeter reliquas civitates monumentorum gloria praecellentes fuistis, danda equidem opera aliquo tempore a vobis fuit omnibus, vehementer incumbentibus ad hujusce rei studium, ut quod fecistis opus magnificentissimum ad juventutis institutionem faceretis. Ita Hispalis vestra civitas est, ut moenibus ipsis, intra moenia populetum jucundissimum, et amenissimum multis alnis, et varii generis arboribus constitum fuerit

rit ad aquas perlucidas, atque perennes, quae ex fontibus, quibus sunt in primo, medio, et ultimo populeto deducuntur, atque derivantur. Totum per vias longe, lateque patentes, et ex utraque parte, et multitudine arborum interclusas, atque inter vestitus arborum, inter crepitus foliorum, quae Zephyro flante lenissimo huc, et illuc ventilantur, inter liquores perlucidos fontium, inter cantus avium suavissimos demisso, sublimi, recto, transversoque volatu medium aera praetervagantium illustrare possumus. Illud omni anni tempore, maxime verno, et aestivo ad auram captandam horum venientium, et aliorum redeuntium, et in eadem amoenitate vagantium concursu celebratur. Maxime etiam illud strepitu equorum, fragore leaeticarum, quibus mulieres honestissimae vehuntur, ubique concrepantium personat. Cum totum ab aditu ad exitum usque, quam latum, longumque sit, oculis hominum prospiciatur, tum in ipso statim ingressu habet speciem eximia columnis Herculis quam altissimis, in quarum una Caesaris, in altera ejusdem Herculis effigies cernitur. Atque haec ad corporis delectationem. Ad annuos ipsius corporis victus horreum omnis generis frumento refertissimum habent Hispanenses multis granariis exstructum, et aedificatum: ut sive in ubertate, et vilitate maxima, sive in inopia, et caritate rei frumentariae copia nunquam desit ad alendam, et sustentandam urbem necessaria. Atque istud in hoc granario mirabile videri debet, quod granorum, quae in terram deciderunt inter frumentum metendum, et lapidibus ipsis, atque adeo inter lapides abstrusa relinquuntur post versam, atque purgatam terram, ad mille fere nummos aureos annua locatio pervenerit. Quoniam vero locupletissima civitatum omnium habetur Hispanensis, et plane auro, argento, divitiis omnibus locupletata Indiae instar ab alienigenis, et Hispanis, a propinquis et disjunctissimis celebratur, quoniam merces convehuntur, et onera omnis generis, et varietatis rerum, quae venales Hispaniam invehuntur, ut portoria Hispaniarum Regi debita persoluntur.

sistentur? quoniam aurum, et argentum factum, et infectum, tanta vis, et copia gemmarum, lapidum pretiosissimorum, multitudo laminarum ex auro, vel argenteo, quibus duae classes quotannis, et aliis rebus pretiosissimis onustae in portus Hispalenses appulerunt, comportantur? ubinam pecuniae cuduntur? ubi nummi, vel aurei, vel argentei, quos propter multitudinem suam, et acervos molis immensae constructos non numerari, sed appendi mos est, obsignantur? An vero ignorare possumus, nisi hospites velim esse, et ut nostrae peregrinetur aures in scientia, communique cognitione civitatis, domum esse eudendae monetae, et obsignandae multis sumptibus exstructam? inde quae fit comportatio nummorum auri, et argenti obsignati in Basilicam Indici commercii? Quoniam autem merces multarum, et diversarum rerum partim involutae, partim detectae Hispaniam inferuntur, ut earum, pro ratione onerum portoria Regi pendantur, Telonium aedificatum his capiendis, et continendis mercibus ad legitimum usque tempus non aspiciamus? Restant, quae ab hinc annos aliquot aedificari coepta sunt Atria Mercatoria ex lapide facta politissima, quo mercatores locupletissimi conveniunt, ut agant de negotiis, de pactis, de conditionibus suis? de omni denique re, quae venerit in mercaturam, et partes habeat proprias mercatorum. Atque hic omitto Curiam vestri Senatus ad conventus Reip. Hispanensis agendos. Taceo aedes Consilii Regii, in quibus judicia exercentur severissima. Praetereo, quae celebrantur, rerum publicarum, et negotiorum urbanorum aedes alias nulli non generi hominum notissimas. Quidnam hic aliquis vestrum inter haec opera magnificentissima desiderabit? aedem sapientiae. Quidnam requirere fortasse poterit? publicum Palladis domicilium. Quid denique, quod inter hos sumtus, et expensas necessarium abesse videatur ad hujusce civitatis absolutionem? virtutis, et litterarum tabernacula. Pulcre quidem responsum, ac sapienter. Nam ut ratiocinari potuissemus, cum homo corpore, et animo constet, il-

lud commune nobis est cum brutis animantibus, ac propterea infirmum, et imbecille, tanquam ex limo, et argilla factum: animus rationis particeps ad divinam similitudinem factus, tribus donis, et muneribus memoriae, voluntatis, et intelligētia ornatus. Opes, et divitiae, quas habuerimus, fluxae sunt, atque caducae, quae cum auctae nimium, et accumulatae fuerint, ut omnibus bonorum copiis circūfluamus, de corporis hospitio decedentes, nihil illarum nobiscum efferemus in illam, quae nos manet, incognitam, et nunquā visam regionem: virtutes autem, quas coluerimus, et fuerimus adepti, socias, et comites habebimus itineris, et discessus animorum e corporibus: quibus si in ipsa profectioe caruerimus, o nos miseros, et infelices, o calamitosos, et aerumnosos homines, quos non nasci satius esset, quam mori miseros in miseriam aeternam, et in cruciatus inferorum sempiternos, nūquam oculos, neque os Dei sanctissimū aspecturos. Quid ergo? negligenter rem hāc gessisse Senatores civitatis hujusce dicemus? minime vero: qui omnibus suis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis, atque factis, nihil magis, quam hujusce civitatis amplificationē quaerunt. Vbi ergo hujusmodi scholae litterariae? Duae sunt academiae Hispali. Atque illae nō sunt hujusce Senatus sumtibus aedificatae. Quid mea, quid vestra, satis eas fuisse dicētis. Satis quidem, si in illis minores artes, et facultates traderētur. At harum artium, et facultatum plusquam decem, et sex officinas fuisse senes commemorare potuissent. Illae privatorū fuere praeceptorū, quibus ut quaestus uberrimus fuisset, aut exiguus, aut illi clauderent, aut aperiebant ludos politiorum litterarū. Quaero igitur, ubi sunt publica civitatis musaeae? contenta fuit fortasse civitas illis studiorum domiciliis, quae sibi praeteritis temporibus contigerant. An quidquam minus credibile, quā quod oppida minus splendida, quod populi mediocres, quod rustici decuriones faciunt, ut quidquid possint, in stipendia harum facultatum cōferant, id Senatores Hispalēses suae Reip.

nimum amantes minime fecisse videantur? Fuit ista semper amplitudo Hispalensis, et divinitus suis rebus adjuncta fortuna, ne propter amplitudinem, et divitias maximas praeceptores hujusmodi desiderarētur. At scholastici, quod collibitū fuerit, facient. Quamobrem? quasi vero difficile sit intelligere, ubi metus absit, et disciplina, quam immoderata libertas, et infinita semper fuerit scholasticorū licentia. Meliora quaeso: nam ipsi scholastici disciplina praeceptorum suorū in officio continebuntur. Nihil horum illis propositum fuit, qui postquā praelegissent, suo satis fecisse muneri, et officio praeceptoris arbitrabantur: et quamquam vellent abitu scholasticorum ad aliorum gymnasia id minime facere potuissent. Quid igitur causae dari potuit, vel oblivionis? vel morae? quia cum saepe dies huic rei praedictus fuisset, nunquam tamen ille adesse visus est? Quid aliud est hoc dicere, quam accusare Senatores? quam culpam in illos conferre, qui nullam culpam contraxerint, qui minima suspicione vacaverint? De minimis rebus, de decretis aliis, de aliis sumtibus ad Rempublicam litterariam, et ad officinam virtutis licet hoc cōjicere. Nondum ergo tempus maturum fuit, et maturitas hujusce rei faciundae in sociorum Iesu tempus cecidit, in eos homines, qui de officio, et instituto suae Religionis munus hujusmodi praestare potuissent. quibus id negotii Romani Pontifices dedissent, ut instituendae juventuti necessariam operam navarent. quos idem divus Ermenegildus suo apud Deum patrocinio adjuvaret. quos idem vellet, atque deligeret administratos vineae colendae, quam ille suo sanguine coluerat, et in eum suis precibus, quem res Hispalenses habent, statum civitatem adduxisset. Vt igitur intelligatis, quam vestrum beneficium praeclare positum fuerit, et ad universam Rempub. pertineat, antiquissimum est, quod dicam, et a primis urbium florentissimarum cunabulis, et quasi fundamētis jactis usurpatum. Cum homines initio sparsi, ac dissipati per montes, et sylvas

sine legibus, sine imperio, more brutorum animantium varentur, neque ratione animi quidquam, sed pleraque corporis viribus administraret, primi illi populorum, et urbium plurimarum conditores, post coactam multitudinem, et ab agresti, immanique vita ad humanum cultum, civilemque tractam, non tam urbes moenibus sepire fortissimis, et aedificiis maximis, et amplissimis illustrare voluerunt, quam publica sapientiae musaeae exstruere, quae scholae fuissent cultus, et humanitatis urbanae, officinae bonarum litterarum, sacra totius honestatis, atque pudoris: sine quibus frustra jacta fuisse civitatis fundamenta videbantur, frustra multitudinem in officio contineri, frustra Rempublicam ad aliquam laudem, et honoris amplitudinem aspirare posse credebant. Repetamus, si placet, Athenas bonarum artium inventrices, unde omnis cognitio bonarum artium, et scientiarum ad alias gentes atque nationes profluxisse dicebatur. Quandiu floruit illa tanta academia, tandiu res Atheniensium steterunt. Atheniensibus non inferiores Aegyptii fuerunt: quorum ut alia omittamus loca, Alexandriae, quae caput erat Aegypti, academiā fuisse cognovimus. Aegyptios, et Athenienses Romani multos post annos consequuti academias liberalissimis studiis, et exquisitissimis praeceptoribus affluentes jactabant. Erat Italia plena bonarum artium, atque disciplinarum: atque haec studia in Latium vehementius colebantur, quam tunc Graecis in oppidis. Nostra autem aetate nostris in Regnis, alienis in imperiis, vulgo jactantur Complutenses, Salmanticenses, Parisienses academiae, et aliae multae, quae sparsae sunt, atque diffusae per omnes gentes, atque nationes: ut nulla fere gens fuerit, neque tam barbara, et immanis, neque tanta humanitate culta, neque tam imbecillis, et infirma, neque tantis viribus munita, neque tam inops, et indigens, neque tam locuples, et copiosa, neque tot praesidiis destituta, neque tot honoribus, et ornamentis redundans, quae non publicis se studiis duce dumtaxat natura muniverit, atque illustraverit. Quod

si

si ad augendas opes, et divitias Telonium, et aedes supra nominatae exstruuntur, ad animorum cultum, et ornatum tabernacula studiorum non collocabuntur? ad corporum delectationes, et iucunditates conferentur amoenissima populeta, ad animos, et mentes reficiendas viridaria divinis arboribus constituta non appetentur? Possessiones civitatis, opima praedia, redditus maximi, tributa Regum, et vectigalia procurari tantopere solent, divitias vero animorum, opes veras, et solidas caelorum, omnibus tributis, et vectigalibus immodicis praestantiores nos socordes, et ignavi rejiciemus? ut publica sint pascua decernent civitatum Senatores ad pastus brutorum animantium communes, ut pastus virtutum, et litterarum capeffantur, academiae deerunt, pascua animorum uberrima? Quid? armamentaria in bene constitutis civitatibus nunquam desiderabuntur, ut repetitis in tumultibus, in motu bellorum, in perturbatione civitatis arma sint in promptu, ut oppidani galeis capita, loricis pectora, et caeteris armis fulgentibus corpora munite possint, et cum ad arma conclamatum fuerit, puncto temporis gladiis accincti, cum scuto in una manu, in altera cum telo hostibus occurrant, et illorum impetus a moenibus, ab aris, a templis propulsent, in tot Daemonis insidiis, in tanta morum corruptela, in colluvione scelerum, et flagitiorum omnium, non ex academiis gladios educemus? non afferemus tela? non arma ad belluas peccatorum immanes conficiendas? Ad arma, ad arma clamat divina sapientia, Filius Patris aeterni Christus Iesus ex arce suae recentioris academiae. Quousque tandem parentes filiis vestris indulgere desinetis? quandiu vos sobolem, et progeniem vestram perditum ire cessabitis? quem ad finem sese filiorum effraenata jactabit impudentia? nihil ne vos praesidium istud sapientiae, nihil recordatio divi Ermenegildi, qui academiā hanc suis precibus impetravit, nihil liberalitas in remunerando Senatorum Hispanensium, nihil illorum, quibus adolescentes committuntur, cura, vigilantiaque movebunt? patere virtutum, et litterarum ta-

T t t 3

ber:

bernacula non videtis? constringendas divinis legibus, praeceptis, consiliis, et adhortationibus pravas puerorū affectiones, ressecandas libidines, coercendam audaciā, et male vivendi praecipitem, et intolerandam licentiam comprimendam? Quid dies, et noctes possint agere, ubi esse, quibus cum pacifici, quas coire societates, et quibus de rebus, quā turpibus, quā nefariis, neminē vestrū ignorare clarius luce meridiana constat. O tempora. O mores. Homines haec intelligūt, parentes vident, filii autem faciunt, faciūt, imo vero in turpissimis rebus, frequentissima celebritate, clarissima luce versantur: vos vero parētes optimi satisfacere Reipub. hominibus, et Deo putatis, si illorum libidines, et impuritates nō comprimatis? Haec est vestra disciplina? sic vos instituitis filios vestros? ob hanc causam vobis filios Deus optimus atque maximus dedit, ut illi in sceleribus, atque flagitiis teneram aetatem collocarent? et hanc vos vitam, atque hos perditos mores dissimuletis? Ad virtutis rationem, ad alium gyrum, et formam filios deducendos, atque dirigendos a puerili aetate decernite, nisi belluas quasdam, plusquā Chimaeras, plusquam Harpyias ad rerum publicarum perniciē, et vastitatem ultimam alere volueritis. Accepimus monstrum immane Chimaeram ex capra, ex leone, ex serpente conflatum, ad quam interimendam consilio fuit opus, et virtute Bellerophontis invictissimi. Fabulae sunt istae, et delirationes poētarū. sunt equidē: sed in quibus mores effictos, et imaginem quotidianae vitae insigniter expressam aspiciamus. Quam negare non potestis, recordamini bestiam in Apocalypsi descriptam, horridam, et immanem, septem capitibus eminentem, in qua mulier perditā, atque proffigatā insidet: atque illa reticulis aureis ornata, hilaritate frontis, venustate oculorum, pulcritudine oris, purpura fulgenti collucens, vas ex auro purissimo factum, ad aspectum oculorum venustissimum una manu tenet, intus veneni virus acerbissimum continens. Non illam pocula ministrare circumstantibus aspici-

citis

citis? non omnes bibere, et haurire sicienter? non denique jacere multitudinem ad meretricis pedes sui ipsius minime compotem, totam ebriam, sine sensu, sine mente, quam haupta pocula eripuerunt? Bestia illa teterrima, quam Deus avertat, Daemon est improbissimus, perennis humani generis inimicus. capita, vitia sunt capitalia, fraudes, atque fallaciae Daemonis, ad quas depellendas, nisi sapientia caelestis opem tulerit, quid hominibus, vel scholasticis adolescentibus miseris fiet? quid illis spolatus? quid perditius esse poterit? Testis esse poterit Flandria, quam sapientia de suis finibus ejecta ipse Philippus Rex noster Hispaniarum potentissimus tot annos jam ante, et adhuc bellorum ardore flagrantem exercitu omni copiarum genere abundanti pacandam curavit. Testis Germania, quae tot ascitis haereticorum dogmatibus ipsa se suis erroribus, et falsis opinionibus a sapientia longe disjunctis discerpit, atque dilaniavit. Testis Anglia, quae eadem solida sapientia exterminata, in tantis sordibus, et squalore jacet, bellum Ecclesiae funestum, et exitiale, et omni scelere, et odio imbutum faciens. Testis Gallia, quae haereticorum stultissimorum, a sapientia vera alienissimorum furoribus inflammata, magis hisce temporibus faces ardentes in Religionem veram intentat, et jactat. Testes denique omnes gentes, atque nationes Haereseos laqueis constrictae miserabiliter, et irretitae, quibus se nunquam illae solvent, nisi sapientiam Christi Iesu exfulē, et extorrem a suis finibus in patrias sedes revocaverint. Quā virtutē isti homines per hos annos coluerūt? quod Fidei simulachrū in illis regionibus stare visum est? quam speciem, et imaginem sanctitatis antiquae reliquam fecerunt? quae scelera? quae flagitia nō fuerunt a beluis immanissimis admitta? quā multa scimus bella fuisse cōcitata? quam multas, aut a Christianis relictas, aut ab hostib⁹ Fidei captas urbes esse Christianorū? quā multa sacrarū virginū aedificia fūdita, everfa? quot caedes factas? quot supra

T t t 4

quot

quot incesta commissa? fuit hoc, fuit commune hostiū Fidei nequissimorum novis quotidie rebus studentes tumultuari, et inaudita quaedam semper commiscere, et concitare mala, discordiam, et seditionem, seminaria malorum omnium in Remp. inducendo. In quorum urbibus, et populis ego seditiones per tot annos ab his hostibus deterrimis concitatas fuisse dicam, cum bella gravia, et periculosa, qualia nulla unquam barbaria cum sua gēte gessisse dicitur, moenibus ipsis, atque adeo intra moenia gesserint? Quid illos a Fide defecisse sceleratos homines, et obedientiam Romani Pontificis abjecisse clamem, cum ipsi nunquam graves eidem Religioni iniurias dictis, et factis sacrilegis, et in Romanum Pontificem omnia maledicta cōferre destiterint? Caedes privatorum hominum factas fuisse querar, cum a monachis, cum a viris religiosiis nunquam sceleratas manus abstinuisse sciamus? quid religiosorū, et virginum sacrarum domos, et alias innumerabiles aedes solo adaequatas fuisse lugeam, cū ministros divini cultus, milites religiosarum familiarum omnibus ignominis, et ferro crudeliter appetitos, sacris virginibus vim factā, et ad caedem, et cruorem innumerabiles abstractas acciperimus? An ignoramus vim infinitam sanguinis Christiani inspectante populo a carnificibus jussu Magistratum esse profusam? Ex oppidis autem celebrioribus, quoniā illorum nullus jam carcer multitudinem Christianorum capere poterat, in castella lōginq̄iora tractos viros splendidissimos et ornatissimos, atque hos bonis spoliatos, patriis laribus ejectos, aut necatos crudelissime, vel cum melius cum eisdem ageretur, in exsiliū missos esse nescimus? Nam quid ego everisionem bonorum, exsilia plurimorum, carcerem, custodiam, squalorem, et sordes reliquorum, afflictationem, vexationē acerbissimam, cruciatus corporum, et exquisita, quae nulli unquam Siculi, nulli tyranni dicuntur, excogitasse, generatim suppliciorum in infimos, in medios, in summos viros exercitata commemorem, cum a templis, ab aris, a rebus sacris impias

et

et nefarias manus nunquam ferae, et immanes belluae continuerint? Cum antiqua, et religiosa templa violaverint? simulachra divorū disturbaverint? aras pulcerrimas, et ornatissimas demoliti, fuerint? sanctissimas cruces in celebrioribus locis summa majorum religione collocatas comminuerint, et ritus, et caerimonias sacrorū ex hominum animis, et memoria delendas, et extinguendas furore, et amentia praecipites inimici Religionis Christianae procuraverint? Quid superiora comemorem, cum sciamus nullos ab hac gente jam dies festos coli sanctorum, nullum ab hinc annos jam multos fieri sacrum, nullas preces adhiberi publicas, patrocinia repudiari, contemnique beatorum, tolli sacramentorum, totius pietatis, sacrae Religionis, atque Fidei monimēta sanctissima, nihil autem hos impurissimos, et intemperantissimos hostes nisi caedes, nisi stupra, nisi sacrilegia, nisi flagitiorum omnium impuritates, et effusas in omni semper intemperantia libidines suscipere, nihil denique nisi de interitu, et pernicie Religionis tot actates, et saecula antea plurima cogitasse, nec finem adhuc fecisse exitium nobis, et pestem ultimam molēdi, terra marique bella crudelia, et exitiosa facientes. Atque haec mala, tot, et tam infinitas calamitates invexerunt nefarii quidam transfugae Religionis, desertores Fidei, quāquam litteris aliquot praediti, malis tamen moribus, et vitis omnibus depravati: qui si cum artibus, et litteris virtutem, et sapientiam solidam conjunxissent, nunquā illae gentes in tantas misérias, et aerumnas incidissent. Sed vidimus, quibus attributae sint academiae Germanorum, qui nunc etiam Galliae, qui Britanniae, qui reliquarum gentium in haereseos caecis tenebris, et caligine jacentium scholas occupatas teneat discipuli principum, et auctorum tantarum haereseō. Hi similes magistrorum immiserunt ad delendā, extinguendamque Religionem procellas, et turbines regnorum, faces provinciarum, praedones sacrorū, labem ac ruinam terrarum, omnibus sceleribus coopertos extinctores virtutis, quorum

V v v rum



rum interpretatione depravata errores praeceptorum, Lutheri, Calvini, et reliquarum furiarum alerentur, seditiosis, et turbulentis concionibus crescerent, defectione tot millium omnis generis, ordinis, et aetatis provinciarum, et regnorum maximorum corroboraretur, et multitudine tot saeculorum, et aetatum plurimarum inveterasceret. Agimus, summe, praepotensque Deus, maximas, et immortales tibi gratias, qui cum labentem, et cadentem quotidie multitudinem generis humanum infinitam in inferorum sedes videres, de caelorum regionibus Filium tuum in haec terrarum sola descendere volueris, ut nos ex ore Daemonis, et ex faucibus inferorum eriperet. Ille tres, et triginta nobiscum annos versatus, cum sacra caelestisq; disciplinam, quae in caelorum sedes, divinaque domicilia deducit, genus hominum docuisset, post flagra, post spinas, post tot dedecoris, et ignominiae maculas, post injurias, et contumelias innumerabiles tandem in crucem sublatus, extremum spiritum exhalans, nos in veterem, unde Adami ruina cecideramus, dignitatem vindicavit: ut illum intuentes Christiani omnibus sceleribus, et flagitiis abstinere, nihil facerent inspicientes speculum tantae sanctitatis, quod contrarium esset divinis legibus, et mandatis, mille mortes oppetere parati potius, quam ullo scelere violare Majestatem Dei immortalis. In tuum filium, in Iesum Christum assertorem nostrum volumus intueri scholasticos hujus academiae cum litteris virtutem percipientes, ita litteris Latinis imbui, ut virtutem ad litteras, ad eloquentiam adjungant. Cum praeceptores nequissimi in ipsis Haereticorum regionibus venena suorum errorum in puerorum animis instillent, Senatores Hispalenses magistros de Societate Iesu Romanorum Pontificum auctoritate comprobata ad pueros litteris, et virtute instituendos praeposuerunt. Haeretici, ut multitudinem in errores nefarios inducant, instruunt, et armant artibus, et dogmatibus suis puerorum gregem detestabilem, Senatores Hispalenses contra cohortes horum inimicorum milites valentes, et veteranos opponunt a pueri-

ritia in religiosorum disciplina versatos, qui cives suos a tantis malis eripiant. Haeretici, ut sacrorum annalium monumenta depravent, atque corrumpant, litteras addunt, detrahunt, commutant, et ad libidinem suam, cum commodum fuerit, sanctorum librorum sententiam detorquent, atque convertunt, nostri praeceptores ex tradita ab Apostolis disciplina, ex responsis Romanorum Pontificum, ex sanctorum Patrum oraculis, ex nostrae Fidei placitis, atque decretis sanctissimis sacros annales interpretando semper, et declarando, divinos, caelestesque discipulos sacrae theologiae litteris imbuent. Haeretici, ut superbos, et insolentes, ut invidiosos, et ambitiosos, ut iracundos, et contumeliosos, ut turpes, et libidinosos, ut vinolentos, et heluones, ut amentes, et furiosos, ut prodigia portentosa terrarum efficiant, ludos litterarios apertos habent, nos, ut filios Christianorum ad demissionem, et modestiam, ad amorem, et caritatem, ad patientiam, et tolerantiam, ad castitatem corporum, et animorum, ad sobrietatem, et temperantiam, ad omnem modum, et moderationem, ad omne virtutis, et honestatis studium hortemur, et inducamus, Senatorum Hispalensium liberalitate constructa mulierum patefaciamus. Mulieres, dum comuntur, dum poliuntur, specula ante oculos statuere solent, ne reticula aurea, diademata frontibus praeposita, Cylindri ex utraque aure pedetes, collaria acu picta, et mille inflexionibus intorta, muraenulae aureae, aliae, et aliae orbibus constantes, aut non aequaliter, aut parum decore ad muliebre cultum, et ornatum adhibitae fuisse videantur. Socrates discipulos, qui in scholas suas ventitabant, in speculum amplum, et crystallino splendore clarissimum mittere consuevit, ut formam oris, et lineamenta corporis intuerentur: qui si specie, et venustate haberet eximiam, excitareretur, et confirmareretur animis ad virtutum ornamenta pulchriora comparanda: si deformitatem, et maculas corporis exhorrent, darent operam, ut tantam foeditatem, tantam deformitatem, virtutum multarum, et maximarum cumulo, quasi tegumentis occulerent. Athenienses Minervam extulerunt in arcem editam, et excelsam, ut litterarum adipiscendarum facile, et expeditam esse viam integritatem

porū, et animorū nō ignorēt adolefcētes. Nō in spēcula mulierū, nō in Socratis speculū, nō in Minervam, quae si fuit, fuit muliercula quaedam, et similis illarum, quae pluma quavis, et vento leviores perhibentur, sed in Christum Iesum virgis caesum, spinis coronatum, et in Crucem sublatū, qui scholas has frequentaverint, adolefcētes intueri conditores huiusce iubent academiae. Quamobrem cum multa prudenter, tum istud monimētum Senatores ex hominum Christianorum more, atque disciplina statuerunt. Quos mentis oculis cernere quasi videor, et quidem secum cogitantes ex academiis huiusmodi mittendos esse, qui nostram Remp. qui honores saeculi, qui dignitates Ecclesiae gerant. Ex academiis cives patriae amantes, equites clari, et illustres, milites religiosarum familiarum, concionatores, et magistri, Consiliarii Regii, Cēsores sacrae Fidei, Praefecti rerum publicarum, denique lumina, et oculi terrarum, Pontifices, et Archiepiscopi prodeunt: demus, inquit, id negotii, id oneris his hominibus, quorum humeris Romani Pontifices de instituto suae Religionis provinciam huiusmodi imposuerunt. Fecerunt equidem, atque ita fecerūt, ut quod multi populi, quod multi locupletes, et copiosi homines, quod multi Magnates terrarum, quod Principes clarissimi, quod Reges potentissimi, quod ipsi Romani Pontifices fecerunt, ut nostrā huiusce rei causa Societatem evocandam, et collegia suis in sedibus aedificanda decreverint, id Senatores Hispalenses domicilio virtutis, et litterarum exstructo fecerint, tot Heroum, et Principum potētissimorum facta magnificentissima sequuti: atque tanta magnificentia, quantam praesentes vident, posterū nunquam admirari definēt. Multa collegia accepi, multa vidi, nullum ex praesenti saeculorum memoria tale cognovi, quod ad fabricam, et elegantiam operis huiusce pulcherrimi comparari possit. Decet istud amplitudinem, et dignitatem urbis Hispalensis: cuius si initia, si progressiones, si incrementa consideremus, quocumque nos oculis, et animis convertamus

mus, omnia quidē excelsa videbimus, plane Regia semper, et admirabilia. Urbis enim Hispalensis conditores, et parentes praecellentissimos: nulla unquam delebit oblivio saeculorum omnium, Herculem unum primum conditorem, alterum Iulium Caesarem victorem orbis terrarum: quam captam a Mauris Rex Ferdinandus in Christianorum ditionem potestatemque redegit. Sita est haec tanta civitas, in plano, et salubri loco, a montibus asperrimis, et altissimis disjuncta, nullis locorum asperitatibus, nullis difficultatibus, nullis offensionibus, quae cursus incitatos, aut progressiones moderatas retardēt, infesta, omnium, quae sunt Baeticae provinciae, civitatum peragrata facillima, et in omnes partes, quacūque rectis, aut de viis itineribus contenderimus, longe patens, et aperta. Cincta moenibus est etiā fortissimis, et ipsi muri turribus muniti celsissimis, qui in circuitu multitudine pinnularum adornati, pulchriorem, et illustriorem civitatem efficiūt. Quos cum primi conditores opere rotundo exstruxerint, an non urbis amplitudinem, et dignitatem futuram divinare visi fuerunt? non urbem Hispalim specie, et forma sua venustissimam, et anteferendam amplitudine caeteris Hispaniarū, et orbis terrarum civitatibus? quid, quod nulla quidem aetate, cum Hispalis tot fluctibus barbarorum hominum, et immanissimarum gentium allueretur, cum omni saepe obfusione premeretur, et oppugnaretur vehementissime, in tanta contentione bellorum, in tot incurSIONIBUS INIMICORUM, in tam assidua, et vehementi murorum oppugnatione, nunquā muri neque disjecti, neque solo aequati fuisse dicūtur? Muri etiam cum incredibili crassitudine sint, et fortitudine maxima, tum tantum in illis spatii patet in latitudinem, ut per muros homines duo simul progrediētes sine offensione ambulare possint. Vbiouneque autem locorum fuerint, his ipsis ante oculos suos obversabuntur multae templorum, et aedium amplissimarum turres, celebriora civitatis aedificia: quibus cum palmae procerae contendere videantur, atque de altitu-

dine quasi decertare. Quod si retulerint oculorum aspectum ad agros, et campos patentes, quam pulcritudinem, et amoenitatem statuit ante oculos prospectus hortorum plurimorum, qui omnes arboribus singulari arte, atque solertia confiti, tū cultura, diligentiaque feraciores, et uberiores, amoeniores efficiuntur, atque jucundiores? Adde Regionum hortorum amoenitatem, per quā liberi dantur introitus, et exitus ad delectationes aliarum amoenitatum, rusticationum, et hortorum capiendas. Quid? cum pateant spatia frugifera, et immensa camporum, tot uberrima pascua, tot nemora jucundissima, tot nitidissimi colles, tot valles herbis, et floribus stratae, tāta species, tanta jucunditas, et amoenitas agrorum, et illae, quae procul ab urbe eminent, et apparent montium altitudines, tot gelidae fontium perennitates, deductiones rivulorum, derivationes aquarum ad agrorum, et hortorum fertilitatem, et uni? fluminis Baetis latissimi, et altissimi undae perlucidae, et ejusdem riparum vestitus viridissimi, tot insulae, quas amnis ipse efficit, herbis, et floribus distinctae, pons ligneus ad amnem transeundum, quem parva navigia catenis compactum sustinet, tot sata, tot vineta, tot oliveta, villae bonae, bene neque aedificatae, nonnullarum praesertim, quas homines bene nummati exstruxerunt, villarum admiranda magnificentia? denique aquaeductus insignis a Mauris tantis sumptibus, et expensis opere fornicato constructus jucundam, et necessariam incolis aquationem praebens, tanta multitudo, pulcritudo, et varietas rerum, qua nulla insatiabilior species, nulla pulcrior, et ad aspectum jucundior, et ad usus necessarios utilior fingi potest, quam de muris circumspicere possumus ad animorum voluntatem, non oculos pascere, non animos explere mirum in modum videtur, verno praesertim tempore, cum ventus fiat lenissimus, et odorū suavitas, quae afflatur ex floribus, per aëris circumfusam Regionem diffusa fertur? Ingrediamur in civitatem. Quae viae? quam longae, quam patentes? plateae longissimae sunt, et latissimae, et in

eis fontes perennibus, et inexhaustis aquis defluentes. Aedes amplissimae, et ornatissimae, partim mercatorum locupletissimorum, partim equitum illustrissimorum. Quot domicilia Comitum, Marchionum, et Ducum praecellentissimorum? quam plena dignitatis Arx Regia? quae domus Consilii publici? quae consiliariorum quoque Regionum? quod Castellum Censorum sacrae Fidei? quae aedes sacrarum familiarum? quae multitudo templorum? quae venustas, et elegantia? quae pulcritudo, et magnificentia templi maximi? si divitiae valent ad commendationem civitatis, nulli neque locupletiores, neque potentiores Hispalensibus commemorantur: qui quaestus ex mercatura uberrimos faciunt. Hispalim tanquam in emporium, et nundinas publicas, et quaestuosissimas multi cum mercibus, et oneribus conveniunt, multa diversis ex locis importantes. Ex eadem civitate multa quotidie exportantur. Atque duae classes quotannis ex nostris portibus solventes in Indiam utranque, et totidem auro, argento, gemmarum multitudine, et rebus aliis pretiosissimis onustae Hispalim revertentes, quantopere cives Hispalenses, et alienigenas, qui cum Hispalensibus contrahunt, et negotiantur, et Reges Hispaniarum locupletare solent? Quid pecunias innumerabiles, quae in multorum aedibus appendi solent, ostendam? Quid proferam redditus annuos? census maximos? tributa, quae cadunt, et pensantur suis praestitutis temporibus, quibus exigendis multi domos suas alunt, et sustentant honoratius, quam ego demonstrare possim? quid opima praedia, fundos fertiles, et abundantes oleo, vino, fructibus reliquis, qui uberes, ac praestantes ad victus hominum percipiuntur? Si species et ostentatio magnifica conjecturam affert aestimandi praestantiam rerum humanarū gloriosam, memorabilemque, in tuere precor in vestitus hominum, et cultus usitatos. Quos cultus, et ornatus sericos, quam varios, quam multiplices, quam venustissimos, quam pretiosissimos? quas telas mu-

lierum ex filo aureo, et argenteo? quae decora, et ornamenta? quem ancillarum gregem? quae praeceduntium, et a tergo consequentium famulorum gregem videbis? quos audies strepitus equorum? crepitus lecticarum? fragores currum quadrigarum? ubi plures, et frequentiores omnis ordinis, et fortunae mortales aspicias? domicilia Regum potentissimorum, ipsam aulam Regiam specie, et magnificentia sua confirmare poteris ubique te locorum intueri. Ingredere in aedes privatas, ex quibus de caeteris facile judicare poteris. Quantum opere splendent sericis aulaeis, et peristromatibus filo argenteo, aureoque intertextis convestiti parietes? Temporibus prandiorum, atque coenarum abaci complures auro, et argenteo collucet ornati. Mensae coquissimis, et apparatussimis epulis exstruuntur: atque illae ritibus, et caerimoniis, munditia, et elegantia aulicorum quam venustissime ministrantur, et inferuntur in mensam. Quantum sit in eisdem aedibus pulcherrimae vestis, quantum variae, copiosaeque supellectilis, quantum signorum, quantum tabularum, et omnis generis ornamentorum, longum esset, et infinitum velle nos commemorare dicendo. In hac civitate plures, quam in universa Baetica provincia, Magnates Hispaniarum sedem, et domiciliu sibi collocarunt. Vultis Consiliarios Regios? Senatus hic Regius sua exercet judicia severissima. Desideratis ordinem Censorum sacrae Fidei sanctissimum? hic praesident defensores nostrae Religionis acerrimi. Appetitis cruciferos Divi Ioannis, divi Iacobi, reliquorum ordinum equestrium Comites, Marchiones, Duces praecellentissimos? plures Hispalis, quam aliae provinciae, et regna florētissima, suppeditare potest. Postulatis dignitatem ecclesiae portionariorum, canonicorum, et eorum, qui dignitates habent in ecclesia, splendore cohonestatam? secundam a Romana sede in nostra Religione appellare potestis ecclesiam Hispalensem. Omnia Deus optimus ac maximus, quae ad pulcritudinem, quae ad delectationem, quae ad divitias, quae ad potestatem, quae ad magnificen-

ficientiam spectare visa sunt, in urbem Hispalim liberaliter ornamenta coniecit. Itaque quae in caeteris civitatibus orbis terrarum sparsa sunt, atque diffusa, orbis ipse universus, quam maximus est, omnibus bonorum copiis circumfluens, in hanc civitatem illatus, et intromissus fuisse videtur. Quemadmodum in tabula bene picta, nitida, atque illustri terrarum situm, et circumscriptionem, portus, insulas, maria immensa, quaeque ambitu suo continentur, possumus ad animorum voluntatem agnoscere: sic in urbe Hispali, et magis clare, magisque perspicue non agnoscere solum, sed etiam oculis cernere, et quasi manibus atrectare divitias, et opes terrarum innumerales poterimus. Sic equidem urbem Hispalim ad locupletandos, et augendos homines si locupletem, et opulentam Indiam appellavero, non metiar: si decus, et ornamentum omnium gentium, atque nationum, verum dicam. Ut enim ad ornatum annuli aurei gemma magni pretii, et aestimationis instar ignis accensi, et inflammati eximio fulgore collucens in media pala inferitur: sic summus, praepotensque Deus, et ad ornatum terrarum, et ad venustatem, et ad splendorem huius fabricae magnificentissimae, quam oculis intuemur, tanquam in anulum aureum gemmam, urbem Hispalim in hac infimam, et globosam sedem inclusisse visus est. An non praesidium, non arcem, non tutissimum portum, tantam civitatem omnes gentes, atque nationes recognoscunt, atque profitentur? Quoties, quoties civitas Hispalensis populis, et urbibus regnorum, et imperiorum nostrorum laborantibus, et in extremum discrimen adductis multitudine pecuniarum suarum occurrit? Quoties praesidia Philippi Regis Hispaniarum potentissimi comeatu liberaliter oblato aluit, atque sustentavit? Quoties grandem pecuniam Regibus nostris, qua ad bellum contra hostes Fidei uteretur, de suo aerario locupletissimo, refertissimoque contulit? Oppidum, oppidum inquam Gadianum hoc ipso tempore, suis sumptibus, una postulatione, una significatione sui periculi, moenibus cingendum, sepien-

dumque Senatores Hispalenses decreverunt. Ut omittamus ad Religiosorum victu, ad illorum aedificia, ad inopiam sublevandam, quas quotidie pecunias expromitis, et erogatis liberalissime, an factum est in ulla unquam Repub. quod in inopia, et caritate maxima rei frumentariae praeterito anno fecistis, et multos quidem dies, et per Praetorem illustrissimum et per Senatores nominatos, ut panem, quantum satis esset ad illum diem, cum nummis erogaretis pauperibus vagis et errantibus per vias, per fores civitatis, neque Hispali solum ageribus, sed etiam ex oppidulis finitimis huc misericordiae celebritate loca viciniora pervadente confluentibus. Vita profecto ipsa, qua respiramus, qua spiritum ducunt Hispani, Hispalis appellatur. Cor dicitur, unde sanguis per venas in totum corpus, id est in universam Hispaniam ipsa vita diffunditur, quo exhausto spiritus exhauriretur Hispanorum, et nihil haberent, unde se alerent, unde animam de caelo ducerent. Frustra haberemus Indiam utranque, nisi aurum, et argentum, quod ex utraque India exportatur, delatum Hispalim, factum, et ob signatum illa distribueret, et cum Castellanis, et cum reliquis gentibus, et nationibus communicaret. Quam obrem aerarium Hispaniarum, aerarium Regum nostrorum, caput, quo caetera membra, id est provinciae aluntur, et sustentantur, urbem Hispalim semper omnes appellarunt, maximis, justissimisque de causis. Vos vos appello Romani victores orbis terrarum, qui ex civitatibus Hispaniarum, nullius majorem rationem habuistis, quam Hispalensis, urbem Hispalim municipium frequentissimum, et augustissimum auctoritate Senatus, jussuque populi decernentes: quod suis se legibus, suis moribus, et institutis regeret, omnibus tributis, et vectigalibus liberum, et immune. Vbi de quattuor conventibus hujusce provinciae unus esset juri dicundo praestitutus, Gadicitano, Cordubensi, et Astygitano praestantior? Quid plura? Voluistis Romani, ut daretur aditus Hispalensibus ad honores, et dignitates Reipublicae vestrae, quae minime

paterent stipendiariis, non coloniis, non foederatis civitatibus. Te secundo appello, Iuli Caesar, quam in ardore bellorum civilium egregie fidelem, et amicam reperisti, caeteris, quas habet Baetica provincia, fidiorem. Illa tua, tua inquam illa dextera in bellis, et in pace firmissima, ingenti pecudum strage facta cruentata quidem visa, sacrificium faciens publicum, atque solenne pro fortitudine tuorum Hispalensium impetranda, quem animum, quam voluntatem, quam opinionem de fortitudine Hispalensi habitam testabatur? vos iterum, atque tertio appello, Romani, qui, quod nulli benemeritae civitati concessistis, quod nullam praeripere sibi gentem, atque nationem passi estis, cognomen urbis Romae Hispali tribuistis, Romuleam vestro nomine, et honore honestantes. Vos quoque nominare non desinam, Vbisi Gotthorum Reges immanissimi, qui bello captis tot nationibus, et bellicosissimis gentibus domitis, atque compressis, cum tot provinciarum, tot regnorum, tot imperiorum sedibus occupatis rerum potiremini, in Hispaniam ferro, et armis invadentes, non in urbe Hispali fortunatissimam, et florentissimam vestrorum imperiorum arcem esse voluistis? non in eadem collocari sedem Regiam? non domicilium, et Aulam Regum ad posterorum memoriam immortalis? non huc omnes, in hac civitate, tanquam in receptaculum, et commune perfugium terrarum convenire ad conventus populorum, et urbium amplissimarum agendos? non ex hac urbe Reges orbi terrarum praesidere? non dare leges, et jura? non deferre magistratus? non demandare praefecturas? non omnia ab hac urbe, tanquam a capite proficisci, quaecumque opus fuisset, ad gubernacula rerum publicarum tractanda? At fautor Arrii Leuvigildus ab hac urbe discessit, et Toletum Aulam Regum transtulit. Quid ad nos Regem unum magis cupidum fuisse unius, quam alteri loci, ac propterea magis illum urbs Toletana delectaverit, quam Hispalensis? Quasi vero plurius Leuvigildum, quam alios Reges aestimare debeamus, ac non illa causa fuerit domicilii mutandi, quod cum Leuvigildus Ermenegildum Principem natu ma-

ximū, tanquam alterum se Regem constituendū decrevisset, et in meliore Regnorum parte magis omnibus Regiis ornamentis augendū, quod parētes faciunt cupidissimi filiorū dignitatis augendae, id Leuwigildus nō fecerit, ut Hispalim, quae nihil melius erat in orbe terrarum, domicilium imperii, et gloriae Ermenegildo id tēporis filiorū carissimo reliquerit: cum ipse quia Regno se non abdicaverat, et in Castella regnare cōstituerat, Toletū, quae urbs princeps est utriusque Castellae, aulae suae sedem transferendā iussisset. At videte, quemadmodum haec causa fuerit loci mutandi. Nam Leuwigildus tandiu se finibus Castellae tenet, quandiu filius in Arrianorum errore versatur: ubi disiectis ignorationis, et inficitiae tenebris errorē filium deposuisse cognovit, primū via pervulgata patrum, blanditiis, et pollicitationibus, deinde precibus, et admonitionibus multis, tum Principum suae aulae maximorum allegationibus, denique minis, et terroribus injectis a proposito, susceptoque consilio colendae Religionis avocare conatur. Sed cum ille tot viis, et rationibus, nihil proficeret, belli gerendi consilium init. Non illum cerne re videmini Hispalim accelerantem, et properantem? nō ducentem exercitum maximum, et fortissimum ex invicto genere veteranorum militum? non diurnis, et nocturnis itineribus in Baeticam indies propius, et propius accedentē? non ingressum in fines huiusce regni iter paucorum dierū ab urbe Hispalijam abesse? denique post paucos dies in conspectum Hispalensium venire Leuwigildum? quid deinde? antequam Castra non longe a civitate ponerentur, non cōditiones offert plurimas? non mittit filium Recaredū, fratrem tantī Principis cum mandatis ad Ermenegildum, ut in Gallaeciā abeat? ut in alia proficiscatur regna? relinquat Hispalim lucem terrarum, arcem regnorum suorum? filius in sententiā perstat, non vult in Arrianorum sectam recidere gentem terrarum ornatissimam, et amplissimam. Quid Leuwigildus agit amplius Hispalis recuperandae causa? maxima multitudi-

ne

ne civitatem obsidere constituit, et bellicis omnibus instrumentis, et machinationibus maximis oppugnare vehementer: sed cum urbem ille capere non potuisset ad amnem avertēdum se totum pater impius, et detestabilis contulit, ut omni cōmeatu filium prohiberet. Quid plura? nefariam proditionis pactionem, societatemque sceleratam cum Romanis Ducibus, proditoribus tantae majestatis Leuwigildum constasse non vos ignorare certo scio. Cū igitur Ermenegildus eduxisset exercitum ad pugnādum, proditus a Romanis, et desertus capitur a Recaredo, et in vincula jussu Leuwigildi conjicitur. Hic pater deterrimus palam exsultare laetitia, et triumphare gaudio coepit: qui civitatem orbis gentium florentissimam, splendorem suorum superiorū recuperavisset. Arbitror satis verborum me fecisse, ut quod de Leuwigildo dixerim, id confirmare liquido possim. Ad alia igitur testimonia properet, et festinet oratio. Vos etiam obtestor Mauri barbari, et immanes, qui quo tēpore (pro dolor) Majestas Dei immortalis nostris sceleribus violata majores nostros vestrae crudelitati tradidit, atque imperio superbissimo, ubi sedem posuistis superiorum vestrorum? quam urbem aliam ad domicilium Regium collocandum nisi Hispalensem arce aedificata magnificentissima delegistis? Vos denique imploro populi omnes, vos urbes, vos oppida Hispaniarum florentissima, quorum situs, et sedes Europae latissima non Hispania, sed Hispalia primis, et antiquissimis temporibus ab urbe fuit Hispali nuncupata. Te non praeteribo, Rex Ferdināde sanctissime, qui nullas Maurorum condiciones accipere voluisti: nisi totam illi salvam, et incolumē dederent, et traderent in potestatem tuam, et imperium urbem Hispalensem, interminatus, si turrim diruerent, aut partem aliquā demolirentur, te vindicaturum graviter. Te quidem cum intueor pro monumentis, et operibus magnificentissimis huiusce civitatis, cum diademate Regali in capite, cum gladio districto in una manu, in altera cum effigie sanctissimae Crucis, cultu

XXX 3

et

et ornatū Regio, in folio magnificētissimo, specie, et majestate visenda confidentē inter divum Leandrum, et inter sacrum Isidorum, utrunque Pōtificiis infulis, et insignibus ornatum, ardeo quidem, et incredibili cupiditate flagro percōtandi, quid tuus ille districtus in acie confertissima gladius agebat? quorum latera ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, vultus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? totus ardere visus eras Fidem, et Religionem defendens, et hanc Hispali florere praecipue volebas. Laudo laudo vos, Senatores clarissimi, et majores etiam vestros, quod gratissimis animis prosequimini memoriam Patronorum sanctissimorum. Nota est vestra fides, noti mores, nota religio. Cui porro, qui modo populi Hispalēsis nomē audiverit, vestra propensio, vestra religio in Patronos sanctissimos non sit audita? quorū imagines pro vestrae civitatis insignib<sup>9</sup>, et stemmatibus clarissimis habetis, et pro portis omnibus, pro aedibus vestrae Curiae, pro monimētis publicis, et privatis ad immortalem, et nullo unquam aevo perituram gloriam multo auro caelatas, in claro lumine visendas, spectandasque proposuistis: ut qui nullis nō fortunae donis, et muneribus redundatis, qui nullo non genere laudis excellitis, quātō opere virtute, et religione virorum sanctissimorum praestiteritis, nulli nō generi mortaliū testatū relinquere. O nomen tantae civitatis. O populi Hispalēsis excellēs dignitas. O caput Baeticae. O Regina Hispaniarū Hispalis. O Senatorum Hispalensium longe lateque diffusa laus. Illustre vestrae gloriae domiciliū iis, quibus Solis cursus, regionibus, et terminis continetur. Gratulor vobis, Senatores clarissimi, de tāta majestate, de tāta gloria, de tāta dominatione civitatis. Gratulor de fortunis, et opibus suis, de suis omnib<sup>9</sup> ornāmētis, de tāto principatu terrarū. Gratulor de praesenti vestrae civitatis monumento magnificētissimo: ex quo tanquā ex equo Trojano prodituri sunt moderatores Reip. omnib<sup>9</sup> officiis, et munerib<sup>9</sup> saeculi, vel Ecclesiae perfuncturi,

ri: qui si bonis moribus praediti fuerint, praeclare Remp. gerere poterunt: sin malo cultu, nefariisq; vitiis depravati, perdere totā, et funditus delere non desinent. Habēda quidē est tanta gratia divo Ermenegildo, quantam maximā animi nostri capere possint: quem a Deo tantum beneficium suis precibus impetrasse, qui Christiana pietate praediti fuerint, facile sibi persuadere debent. Quem enim tam expertē humanitatis, nullius mentis, nullius consilii fuisse dicemus, cui veniat in mētē dicere Senatores Hispalēses. amicissimos Reip. studiosissimos Patronorū suorū, tā in Leādros, in Isidoros, in Iustas, in Rufinas affectos fuisse, oblitos autem per tot annos Regis Ermenegildi, Patroni sui, et Martyris invictissimi. Occubui dicere potuisset Beatus Ermenegildus pro Christi gloria, et Iesu honore defendēdo, pro sua sanctissima Religione tutāda. Occubui nō in acie praelians cū hostibus, ut urbē aliquam imperiorum meorū obsidione, et omni bellorū impetu liberarem: sed oppugnans impiam, ac deterrimā Arrianorū sectam. Occubui non ulciscens inimicos meos, non parentis jugulū, et sanguinē sitiens, ut quae me Leuvigildi manerent, et jure haereditario obvenire potuissent, plures regnorū urbes occuparem: sed ut gloriam mei Iesu, et honorem immortalem nefariis hominum linguis, et ore sacrilego violatum tuerer, atque defenderē. Quod sectam Arrii depulsam et extinctam videtis, quod tantam pestem ex finibus Baeticae provinciae jam tandem abiisse, quod tot capita praecisa hujusce serpentis venenatae, in cujus potestate tot millia hominum inciderant, quod exsultantem ac serio triumphantē, ut in reliquis, et in hac sede Religionis nostrā Fidē aspicitis, meā fuisse post Christi Iesu virtutē, et gratiā caelestē merita, meū in urbē Hispalim, et in universam Baeticā provinciā beneficiū collatū, meā esse gratiā ne dubitetis Hispalenses. Obsecro, Senatores clarissimi, repetite memoria sordes, et squalorē carceris. Audiistis ne dignitatē oris, cōformationē corporis, lineamēta mēbrorū omniū tāto lepore, et suavitate cōgruē

tia. Ubi dignitas oris? ubi suavitas coloris? ubi nitor purae  
 purae fulgētis? ubi sceptrum, et diadema Regale? ubi torques  
 de collo pendentes, ex auro facti politissimo? ubi strepitus, et  
 ostentatio aulicorum? ubi palatia Regiae majestatis? ubi ebo  
 re, et auro fulgentia laquearia? jacui Ermenegildus in sordi  
 bus, et squalore, a patre comprehensus, vincētus, et oppressus  
 gravi pondere catenarum, et in custodiam datus obscurissi  
 mam, et angustissimam. Quid dicam amplius? mortem pro  
 Religione fortis, et invictus oppetii. Quam mihi gratiam re  
 tulistis? Quid aliud potui facere nisi pro Religione bella gra  
 via, et periculosa contra patrem suscipere, nisi regno me, ni  
 si vita, quam omnes carissimam habent, spoliare. Impetrem  
 gratiam aliquam beneficiorum. Si gratam animorum volū  
 tatem praestiteritis, hanc unam impetrem, ut domicilia vir  
 tutis, et litterarum excitetis: ut Fidem, quā ego sanguine meo  
 defendi, qui ex his scholis prodierint litteris, ac virtute praed  
 diti, tueantur, atque defendant. Et quoniam Christi Iesu glo  
 riam, et honorem defendens occubui, ejusdem Iesu Christi  
 socios, et ministros appeto, atque depono. Aspiciate Er  
 menegildum in genua procumbentem, tensis manibus, subla  
 tis oculis in caelum, summo studio, atque religione mortem  
 singulis momentis expectantem. a tergo carnifex, Deum im  
 mortalem, quam impudens, et ferox, qui diductis cruribus  
 bipennim in Ermenegildi caput intentat: tandem aliquando,  
 quanta potest brachiorum contentione demittens, medium  
 caput bipennis diritate discindit. Continuo Martyr sanctis  
 simus a vertice in caput usque sanguine profluere visus est, cu  
 biculum caelesti claritate circumfusum splenduit, loca illa sua  
 visissimis divinorum spirituum cantibus personare coeperunt:  
 ipse autem exultans, ac vere triumphans, Martyris lauream  
 accepturus in caelorum gloriam ascendit. Ecce duos caelestes  
 spiritus, quorum unus palmam, alter coronam lauream, quae  
 sunt insignia Martyrum invictissimorum, affert. Nam cum  
 carnifex negotium transgisset, videre esset beatum Ermenegil  
 gil-

gildum in caelorum sedes ingredientem in curru triumphali,  
 in lectica plusquam deaurata, quam virtutes clarissimae  
 circumfisterēt, a fronte, a tergo, et a lateribus antecederēt. Cō  
 tentio sui ipsius, et despicientia rerum humanarum, patien  
 tia, et constantia consequerētur, reliquae a dextra, et a sini  
 stra, singulae suis insignibus ornatae, inter quas caritas in me  
 dio, celsioreque loco currum cohonestaret: ipse autem divus  
 Ermenegildus immortalis gloria circumfusus, Solis splendore  
 clarior per vias, per plateas caelestium Hierosolymarum ad  
 tabernaculum usque sanctissimae Triados incredibili plausu  
 et acclamatione veheretur, triumphum agens gloriosissimum.  
 Nitebāt pavimenta caelorum auro strata purissimo, parietes  
 gestire videbantur, et ipsi Ermenegildo gestientes quasi velle  
 occurrere, arcus triumphales opere mirabili effecti, titulis in  
 signibus rerum a se praeclare gestarum distincti splendebāt:  
 quorum hi demissionem, illi patientiam, alii reliquas virtutes,  
 et lauream Martyris adeptam restantur. Qui cantus divino  
 rum spirituum? qui concentus, et harmonia caelestis? quae gra  
 tulationes quae celebritas? qui splendor, et eorum, qui comita  
 bantur, et eorum, qui cohonestabant, et ejusdem sanctissimae  
 Triados, quae laurea Martyris Principem, et Regem Erme  
 negildum fuerat affectura? Inter Sebastianos, inter Laurētios,  
 inter Stephanos, inter reliquos Christi Iesu Martyres invi  
 ctissimos sedem amplissimam obtinet, ornatus diademate cae  
 lesti, cum palma in una manu, in altera cum insignibus cru  
 ciatuum suorum, immortalis gloriae splendore clarissimus,  
 illustri bulla, quae Martyrum est insigne pretiosissimum de  
 collo pedente. Pro diademate Regali coronam Martyris, pro  
 cultu, et ornatu Regio decora, et ornamenta sanctorum, pro  
 divitiis fluxis, atque caducis opes veras, et solidas caelorum,  
 pro deliciis, et voluptatibus saeculi jucunditates, et gaudia bea  
 torum sempiterna, pro comitatu aulicorum societate Mag  
 natum aulae caelestis, denique pro regno hujusce saeculi bre  
 viter perituro regnum nullis, neque locorum, neque tempo  
 rum



rum regionibus circumscriptum, in omnem saeculorum memoriam permanens obtinebit. Sanguis iste pro Religione profusus, haec gloria Martyris invictissimi, ejusdem praesces, et immortalia merita vos in hanc sententiam impulerunt, Senatores clarissimi, ut omnes optime convenientes nomine beati Ermenegildi litteris, et virtuti musaea recentiora consecraretis, et eidem Antesignano, et acerrimo Christi Iesu defensori socios, et comites Christi Iesu quasi vigiles, et custodes assiduos praeberetis. Nimirum hoc illud est, quia Reges habere solent custodes suos, et stipatores corporis armatos, quibus dormientibus, et vigilantibus semper adesse possint, et quocumque locorum contenderint, elatis in sublime fascibus circumstant, nulla neque custodiarum, neque vigiliarum intermissione facta. Felices illi conventus, qui de scholis erigendis ab Hispalensi Senatu acti fuerunt. Felices illae sententiae, quas mirifice congruentes talem ac tam felicem exitum habuisse vidimus. Felices illi, qui cum initia dedissent hujusmodi, suo consilio, sua sententia, sua auctoritate rem in hunc, quem videtis, statum adduxerunt. Non enim populeum urbanum ad oppidanorum delectationes, sed viridaria ad plantas divinarum virtutum conferendas, non telonium ad portoria mercium, et onerum exigenda, sed scholas ad animos adolescentium peccati tributis, et vectigalibus liberandos, non domum monetae ad aurum, et argentum, quod ex Indorum Regionibus exportatur, cudendum, et obsignandum, sed domum ad aurum, et argentum purissimum, nullis terrarum sordibus infectum, caelorum insignibus poliendum, atque caelandum, non aedem negotiationis ad Indiae negotia expedienda, sed aedem ad res virtutis, et litterarum agendas, non vias lapidibus stratas ad lustrandam, peragrandamque civitatem, sed viam rectam, et Regiam ad obeundam caelorum regionem, non plateas ad taurorum agitationes, ad ludos Trojanos, sed theatra magnificentissima, ad musarum ludos, ad spectacula virtutis exhibenda hoc tanto, tam pulcherrimo, tam mag

magnificentissimo opere decrevistis. Quod opus quam habet speciem? quam elegantiam? excelsam, et plane Regalem. Aditus ipse praepositus est ejusmodi, qui stemmatibus Hispalensium Regalibus, quae sunt imagines patronorum sanctissimorum, illustretur. Frons, quae vulgo dicitur aedificii, magnificentia summa confurgit, et eminet insubdiale usque ambulationem, quae absolvit, et perficit magnitudinem operis hujusce clarissimi. Cum latissimi sint parietes, et ingenti altitudine sublatis, tum omnes pulcritudine, et varietate mirabili distincti confurgunt, et protendantur. Cernere etiam est pilas aequali longitudine, et latitudine factas, fenestras suis antepagmentis exornatas, et illarum duplicem ordinem superiorem, et inferiorem clathris politissimis obstructum, fascias venustissimas, et longissimas, ductas semper atque directas ad prospectum magis honestandum, pulvinos pulcherrimos, qui venustiore efficiunt, et digniorem totius operis amplitudinem. Adde triplicem coronidem, et aliam alia superiorem, et ampliorem, subdiale ambulationem ex aliquot locis in celebriores urbis partes, in rusticationes jucundissimas, et amoenissimas, in vestitus agrorum, in planitiem camporum, in colles editos, et excelsos, in verticem, et in summa juga montium altissimorum, in oppida, quae circum urbem Hispalim posita sunt, finitima spectantem. Bacilli autem politissimi praebentes speciem marmoris clarissimi, et albenti nive candidiores consequuntur extremam coronidem ad tectum usque perductam, ultimum operi fastigium imponentem. Ab hoc aditu datur ingressus in peristylum, quod longe lateque patens, totum ex omni parte quadratum est, porticibus amplissimis circumdatum, quae cum opere arcuato factae sint, arcus ab utroque latere suis incumbis sustinetur, pilae fortissimae, et altissimae, ante eadem altitudine praeditae politae nimium, et elaboratae in sublime tolluntur: atque inde porticus superiores eodem opere arcuato factae unde prolatis capitibus totum peristylum, et porticus inferiores

circúspicere possum<sup>o</sup>. Porticus auté circundatae gymnasiis, et theatris in lógitudinē, et latitudinē mirabilē patētibus prae-  
bēt deambulationē longissimam, capacem admodum, et ni-  
hil amplius intervalli ad usitata spatia desiderantem. Gym-  
nasia vero ita aedificata sunt, ut singula singulis adversa sint,  
et e regione prospiciantur, valvis, et fenestris in eundem mo-  
dum ad verso prospectu oppositis, et objectis. Quae valvarū  
amplitudo? qui fenestrarum ornatus? quae venustas parietū?  
valvae arcubus in speciem mediae lunae factis coronatae, fe-  
nestrae summae, et infimae, et ab utroq; latere suis antepag-  
mentis exornatae, parietes in circuitu fasciis longissimis, et  
politissimis venustate mirabili praecincti cernūtur. Sic uni-  
versum aedificium conscēdit, et in sublime tollitur, ut arcu-  
um venustatem, et elegantiam epistylum in signe consequa-  
tur: cui proxim<sup>o</sup> cōsurgit zophorus admirabilis ad extremā  
usque coronidem, quae ad deambulationē subdialem, quae  
summum est totius operis fastigium, perducitur. Quae venu-  
stas? quae elegātia? quae magnificētia totius operis? Sive sum-  
mum, sive medium, sive infimum intuearis, admirabilis quae-  
dam est continuatio, seriesque rerū, ut aliae ex aliis nexae, et  
omnes inter se aptae, colligataeque videantur, adeo concin-  
nae, adeo perfectae: ut omnes inter se partes ejusdem generis,  
et ordinis, fenestrae ipsae fenestris, valvae valvis, pilae pilis  
objectae, et oppositae cernātur. Quid futurum putatis? quid  
erit, cum absolutum, et perfectum fuerit aedificium? cum val-  
vae gymnasiolorum venustate solita laminarū, et ordine prae-  
fixo clavorum stratae concludantur? cum totum peristyliū,  
aut lateribus Malacitanis, aut lapidibus quadratis sternatur?  
cum parietes, cum pilae ipsae niteant, et splendeant opere te-  
ctorio ornatae, bitumine ejusmodi oblitae, ut praebeant spe-  
ciem CrySTALLI clarissimae? Excelsum sane opus erit, admi-  
rabile, stupendum, Hispalensium majestate dignissimum. Quid  
dicam amplius? Altius ascēdere nō potest oratio, nisi Philip-  
pus Rex Hispaniarum potentissimus suam manum admo-

verit. Soleo saepe ante oculos ponere, idque libenter crebris  
usurpare sermonibus omnes aliarum urbium, omnes aliorum  
oppidorum, potentissimorumque populorum, omnes clarif-  
simarum provinciarum laudes cum Hispalensibus nec ope-  
rum magnitudine, nec multitudine aedificiorum, nec varie-  
tate monimētorū, nec ullo genere laudis posse conferri. Nec  
vero urbibus aliis, atque oppidis florentissimis urbē Hispa-  
lim suis operibus magnificētissimis dicam dumtaxat excel-  
lere, sed antiquissimis suis monumentis orbi terrarum uni-  
verso praestare. Quae quidem ego, nisi ita magna esse fatear,  
ut ea nullius mens, neque cogitatio capere possit, amēs sim.  
Sed tamen sunt ista theatra multo majora. Nam proxime  
numerata solent quidam extenuare verbis, attribuire tēpo-  
ribus, dedere fortunae, ne propria videantur virtutis. Et cer-  
te in his operibus, et monumentis temporum ratio, contētio  
multorū, preces, sollicitudo, industria, studium, assiduitas mul-  
tum juvāt: maximam vero partem quasi jure suo Regū gra-  
tia sibi vindicat, et quidquid est praeclare factum, id paene  
omne ducit suum. At vero horum gymnasiolorū gloriae, quā  
estis nūc Senatores maximam adepti, socium habetis nemi-  
nem. Totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximū  
est, totum est inquam vestrum. Nihil sibi ex ista laude depre-  
cator aliquis, nihil gratiofus homo, nihil ambitiosus, nihil  
Princeps decerpit. Quinetiam illa ipsa rerum humanarū do-  
mina popularis ostentatio in istius se gloriae societatem non  
offert: excedit ex hoc loco, vestram esse totam, et propriam  
fatetur. Fecistis opera multitudine innumerabilia, sumtibus  
et expensis illustra, specie, et aspectu venustissima, et omni  
genere laudis redūdantia: sed tamē ea fecistis, quae ea, quibus  
corpus istud vestiri, sustētariq; posset, habebāt. Verū domi-  
cilia litterarum excitare, aedes virtutis erigere, tabernacula  
utriusq; rei, virtutis, et litterarū collocare, adolescētes aequi-  
velle virtutibus, et bonis morib<sup>o</sup>, ac litteris, et disciplinis im-  
bui, haec quia fecistis, non vos cum liberalissimis dumtaxat


hominibus comparo, sed simillimos parentibus virtutis, et litterarum Hispalensium judico. Quamobrem vestrae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed omnium posterorum litteris, atque linguis, neque ulla unquam aetas de vestris laudibus cōticescet. Atque haec gaudeo dum a me dicuntur, dum audiuntur, quod accipi plausu videntur, atque acclamatione circumstantium. Quod si cum aliquid liberaliter, munifice, sapienter, misericorditer factum, in nonnullorum praesertim intercessione, quae est inimica misericordiae, et in temporum angustiis, quae liberalitati frequenter aditū praeccludunt, aut audimus, aut legimus, nescio quo studio incendimur in his factis pulcherrimis, atque praestantissimis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus: vos modo, quos auctores tanti operis, quos principes tantae liberalitatis praesentes intuemur, quorum mentes sensusque, et os cernimus, ut quidquid operi desit ad absoluteionem, id perficiendū plane significare videamini, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? quae benevolentia complectemur? parietes hujus academiae vobis gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa, quam exoptamus, virtutis, et litterarū majestas in his studiis, et sedibus vestris. Alloquar igitur scholasticos nostrae Societatis. Adolescentes ornatissimi, qui studia humanitatis, qui dialecticam, qui Rethoricam, qui sacram Theologiam colitis, qui frequentatis scholas, et gymnasia nostrae Societatis desiderio, et cupiditate flagrantes animos et litteris, et virtutibus imbuēdi, vestrae sunt istae scholae, vestra gymnasia. Quando magnitudinem beneficii in vos collati ignorare non potestis, date operam, ut omni genere virtutis, et litterarum, et vobis, et Reipublicae Hispalensi et laudis, et utilitatis plurimum afferatis. Vt id praestetis, ingredimini felices, et fortunati in tantam academiam post vetera gymnasia vetustate exesa, ruinosam, et male materiata, post rotas, et deformes parietes, post angustias gymnasiarū maximas, quibus compressi sine molestia consistere non pote-

ratis. Nimirum jam diu a vobis optata fuerunt, et appetita: tandem aliquando adepti feliciter, fortuna fausta, felicique perfruemini. Gaudete hoc tanto, tāque excellenti bono. Perfruemini vos etiam, Senatores Hispalenses, haec tanta benignitate et liberalitate vestra: ex qua tantus erit fructus filiis vestris, et scholasticis in hanc academiam confluentibus: tanta propter quaestus animorum factos, et faciendos in posterū communicatio recte factorum: tanta, quae vos manet in caelorum sedibus magnitudo, multitudoque praemiorum immortalium. Quoties scholas has audieritis nominari, quoties in tantam academiam homines ingressi de pilis ad perpēdiculum factis tanta altitudine, pulchritudine, et opere Romano sublatis loquatur, quoties de peristylio ex omni parte quadrato, de porticibus longissimis, et amplissimis, quoties de gymnasiis, studiis humanitatis, dialecticae, et eloquentiae, et sacrae theologiae consecratis, de fabrica, et elegantia operis hujusce pulcherrimi, quoties de concursu, et celebritate scholasticorum frequentissima, de progressionibus virtutis, et litterarum habitis loquantur: toties de sollicitudine, de studio, de vigilantia vestra, toties de benignitate, et liberalitate tanta, toties de singulari in divum Ermenegildum pietate, toties de vestris maximis, et clarissimis virtutibus, ac propterea de praemiis beatorū, de gloria, qua perfruemini, sanctorum immortalium cogitare debetis. Quam ut impetretis, et tanta academia majora virtutum, et litterarum indies incrementa capiat, te dive Ermenegilde precamur, et obsecramus, nomine patrum, ac sociorum nostrorum, nomine scholasticorum cujuscunque ordinis, et aetatis, nomine tantae nobilitatis, et floris auditorum, ut apud Deum optimum, et maximum te deprecatores adhibeas. Precamur autem, et obsecramus per Fidem Christo Iesu servatam, per caput bipennis diritate discissum, per Regnum immortale consequutum, per lauream Martyris adeptam, et ut progressiones hujus academiae, et cursum admirabilem ad obsequium

omne divinae Majestatis tuis precibus, et intercessione, tuo patrocinio provehas, et academiã nostrae Societatis in eum statum efferas, ut grati videamur esse, memores accepti beneficii, semper simus industrii, semper solliciti cultores plantarum, quas sanguine suo Christus Iesus jucundas, et amoenas, et omni tempore tam valde florentes servare potest. Sic eque idem nõ solum divitiis, et honoribus hujusce saeculi, sed etiã donis, et muneribus animorum clarissimis alumnorũ, et filiorum suorum virtutibus eadẽ, quae semper fuit, caput Baeticae provinciae, Princeps Hispaniarum clarissima, secunda ab urbe Roma civitas Hispalensis, et ejusdem civitatis tantus, tamque potes Senatus, Princeps omnium gẽtium, et nationum praecellẽtissimus toto terrarum orbe celebrabitur: et nos, quam maximã poterimus, et homines expectare poterunt, gratiam retulisse videbimur. In qua referenda, Senatores illustrissimi, hoc vobis Societas Iesu repromittit, semperque praestabit, neque in curriculo litterarũ, neque in studio virtutis, neque in utriusque rei progressionibus, neque in magnitudine tanti beneficii praedicanda, neque in precibus pro Republica Hispalensi ad Deum optimum, atque maximum adhibendis socios, et comites nostros defuturos esse. Atque haec cura erit infixã semper animis patrum, ac fratrum nostrorum, ut cum vobis, qui apud nos parentũ, ac patronorum nostrorum, jus, et potestatem tenetis, tum posteris vestris, cunctisque Hispalensibus dignis scholis, et gymnasiis in hac civitate videamur: cujus potentissimus ordo divo Ermenegildo nõ posse gratificari se, nisi hãc fortunatissimã, et pulcerrimã academiã excitasset, cunctis suffragiis judicavit. Hoc autem tempore post gratias vobis actas maximas, et immortales, pro tanto in nos, et in Remp. beneficio collato, eadẽ Iesu Societas cupit, et exoptat vivere vos felices, et fortunatos ad urbem Hispalim, ad Baeticam provinciã, ad Hispaniarum regna florentissima, ad orbem terrarum, et quod caput est, ad Christianam Religionem juvandam, et amplifican

candam in posterum: ut post istius vitae curriculum tantae benignitatis, tantae liberalitatis, hujus academiae, monimentorum omnium, et virtutum maximarũ debita praemia accepturi in caelestem beatorum aulam ascendatis. Quod meritis, et precibus divi Ermenegildi Virgo Maria, a Filio suo Christo Iesu, Christus Iesus ab aeterno Patre precabitur.

ORATIO PRO BIACENSI ACADEMIA de Natalitiis Virginis Mariae ad studiorum instaurationem.



EM litterariam. P. G. Viri, et litteris, et virtute praestantes, progressionẽsque nostrorũ studiorũ, liberales artes, scientias, disciplinasque omnes, confessum magistrorum, doctorumque omnium, atque istud theatrum orbis gentium, fortunatissimam, pulcerrimamque academiã Biacensem hodierno die sacro feriis, statis atque solennibus tantae Reginae caelorum summo erga nos amore, indulgentia, patrocinio, custodiaque praestanti ex tarda ac languida pecude desidia ereptam, et tantis indies virtutis, et litterarum accessionibus auctam, amplificatamque videtis. Et si non minus jucũdi nobis, atque illustres sunt ii dies, quibus augentur, quam illi, quibus fundantur academiae, quod fundandae academiae una ratio est, augendae anceps, et incerta: et quod alieno foetu excitantur, si crescant, multa prole, foetuque filiorum, et alumnorũ mirum in modum amplificantur: profecto quoniam illam, quae hanc academiã ad tantam amplitudinem suis meritis, et virtute provexit, Matrem Assertoris nostri, custodẽ, atque Patronam studiorum adoptavimus, quemadmodũ fuit in gloria summa apud majores nostros, et esse apud vos, et apud posterum vestros in honore debet is dies, quem propter beneficia

ficia ab hac praepotenti Domina musaeis Biacensibus tributa ad studiorum celebritatem instaurandam inter nosque recolendam praestituimus. Nam populis, urbibus, templis, atque sacerdotiis, et dignitatibus ecclesiarum nostrae ditionis, cum illustrissimo, quem praesentem intuemur, Pontifice adjuvante, tum Virgine Maria favente, doctrinam, pastus animorum, atque ob hanc causam, vitam, spiritumque sacerdotum dari, et impertiri perspicuum est. Quae quoniam nova tantae Virginis in academiam nostram beneficiorum accessione patent magis, et illustrantur quotidie, agamus meritas Virgini Mariae gratias, et laudem, et honorem anniversarium tribuamus verbis paucissimis, sed plenissimis mysteriorum, et suarum laudum, et omni tempore, quae congeri possunt, ornamentorum cumulo abundantibus: ea vero sunt, quae sequuntur. de qua natus est Iesus. Haec mihi paucula verba tacite cogitanti multitudo, praestantiaque ornamentorum, quibus abundant, afferunt admirationem incredibilem: nam usque eo. progressum Evangelistam fuisse video, ut in tam immensum atque profundum pelagus ingressus ego, ante quam vela panderem navigationis, si non demadata fuisset ab illis, quibus demandari potest, oratio, cederem sine dubitatione tempori, neque inter tantam vim ornamentorum, quibus minime caelestes spiritus sufficerent, ingenio humano locum esse putarem. Sed me reficit ac recreat legitimum istius horae tempus, in cuius exiguum gyrum compulsus, quae potuerim, ornamenta dum adducenda curavero, nihil est, quod a me expectetur amplius: nam si omnia, quae de Virgine dicenda fuissent, dicere vellemus, nec anni sufficerent, nec libri multitudinem, et immensitatem virtutum suarum capere potuissent. Atque me Pontificis humanitas, et comitas in nostrae academiae professores, et ad favendum rebus, et studiis nostris animus, et voluntas perspecta reficere profecto non desinent. Nuntium igitur vobis porto jucundissimum, nuntium plenissimum laetitiae, atque voluptatis, nuntium optatum ve-

teris Testamenti Patribus, et efflagitatum eorum assiduis precibus, et lacrymis equidem plurimis: quod si allatum Davidi fuisset superstiti, et inter mortales versanti, ante arcam hanc detracto de capite diademate, et Regiis insignibus abjectis prae gaudio, et laetitia exsiliret, saliēdo, et choreas ductitando. Patres ipsi legis antiquae, si tantum boni nancisci potuissent, lacrymas prae gaudio tenere non possent: quae sponte suis oculis oborirentur, et tensis in caelum manibus agerent immortales gratias aeterno Patri, quod tempus jam adfuisset et illuxisset illa dies optatissima, et felicissima generi hominum in hanc lucem exeunte Virgine Maria: de qua non multos post annos in hanc vitam proditurus esset Messias, Assertor humani generis. Quid Abraham, quid Iacob, quid Isaias, quid caeteri divini Vates dicerent? qui tam assidue nubes has percurrere precatione vehementi assidua constantique consueverunt, et orare divinum Numen, per fidem datam, per mansuetudinem, atque clementiam, per opem, et expectationem suorum in populum carissimum beneficiorum, ut adesset illa jam virgo, nasceretur tandem aliquando, in cuius utero naturam humanam Messias exoptatus induiturus erat? Erat orbis, Patres, terrarum propter peccati tyrannidem in Daemonis imperio, atque potestate, tanquam belluarum immanissimarum feritate vastatus, deformitas, et effigies mortis, caligo, et horror tenebrarum, sepultura cumulo cooperata mortuorum, sanie multa, ac tabo terrifico manans. Viae patebant inferorum faucibus ad profundum usque patefactis, quae genus hominum devorabant, et absorbebant. Iter virtutis erat praecclusum, obductum undique vepribus, atque dumetis, quod illud pauci faciebant, et persequebantur. Viae Sion squalidae, ac luctuosae, tanquam vastae solitudines desertae, atque derelictae, homines exanguēs, et enervati ad virtutis actiones suscipiendas, tanquam in caecis tenebris, et profunda noctis caligine jacentes, idolorum multitudinem colebant: et in hac infinita humani

generis societate, flos ipse, atque splendor populi Iudaeorum tuae deliciae, et amores, sancte Deus, obscuratus, atque deformat<sup>9</sup>, multis sceleribus coopert<sup>9</sup>, se ad idolorum superstitiones saepe abiciebat prosternebatque. Sedes erant caelorum praecclusae, multis vectibus, atque seris fortissimis: neque quisquam erat in terrarum sedibus meritis ullis, atque virtute munitus, ad aditum patefaciendum exsulibus, et extorribus a caelorum domiciliis filiis Aevae miseris, et aerumnosis. Nemo etiam erat in caelorum regione praeter Deum immortalem ad eluendam animi labem infinita virtute praeditus. Daemolatus indies crudeli dominatu orbem terrarum occupaverat, delectus habebat, et comparabat exercitus, et copias ex impurissimis hominibus, ex libidinibus, ex stupris, ex avaritia, ex invidia, ex ignavia, atque desidia, ex omnium vitiorum colluvione conflatis satellitibus. Tympanorum sono percrepabant omnia, signa Daemonis explicabatur ubique locorum, Venus dominabatur, Bacchus regnabat, Goliath superbissimus, et immanissimus in funeribus exultabat omnis generis mortalium. Nulla spes levandi mali, depellendaque pestilentiae huiusmodi erat in terris, nisi cum Messias, verus David in habitum, atque figuram pastoris Goliath crudelissimum pestem, et interitum animis afferentem lapidis ictu resupinum prosternens conficeret. Adest illa dies, et praesens est natae Virginis Mariae Parvulae Davidis veri consecrata: ex qua hic non multos post annos tantus, tamque praepotens Dominus in hanc vitam exiturus est. Gratias agimus tibi, Deus immortalis, meritis ac debitas, aeternas, et immortales. Nuntius est ejusmodi, quo laetior nullus, neque magis profecto salutaris post natalitia Assertoris Iesu generi hominum afferri posset. Natalitia mulierum praedicta fuerunt misera, et calamitosa. Neque gaudio concelebrare solemus diem natalem virorum: quod simulatque in hanc lucem eximus, a ploratibus, et lacrymis initium vivendi facimus. Atque cum caeteras animantes aliquo praesidio muniret natura, solum hominem membris om-

nibus praepeditum, inermem, atque destitutum reliquit, et indigentem ope multorum, et auxilio, ut nutriatur, et alatur. Illud denique innumeris fortunae telis expositum undique multae miseriae premunt, et aerumnae, quibus mors passim, tanquam saxum Tantalos, impendere videatur. Sed cum labe Adami aspersus, si sacro fonte non eluatur, fuerit ille natus, diris equidem tristissimis obnoxius, in quam miseriam sempiternam, in quos inferorum cruciatus propter maculam Adami, in universum posterorum genus transfusam, nasceretur? Satius esset non in utero conceptum fuisse, quam ad harum acerbissimum aeternitatem miserum hominem reservari. Excipiantur natalitia tua, Praeco divine Iesu Christi, et ejusdem Iesu Christi gloriosa natalitia, quae tanta cum voluptate, tam communi hominum gaudio, tamque incredibili laetitia concelebrantur: tu enim Ioannes divine hoc dono, atque munere affectus fuisti, ut labe communi nostrorum parentum expiatus exieris in hanc lucem. Tu vero Iesu mitissime, nostra salus, et perfugium tutissimum, cum fueris splendor, et effigies expressa Patris aeterni, Deus verus, et immortalis, neque naturam exsueris divinam, hominis formam, naturamque suscipiens, nec peccati sordes contrahere poteris, nec culpae communis labem tuae dignitati aspergere, qui tuae sanctimonia, tua virtute, tuis meritis ad eluendas Adami infitas, et inhaerentes maculas posterorum generi veniebas. Excipiantur denique natalitia Virginis Mariae, quae soluta communi lege mulierum, et expers omnis culpae, omnique peccati, in matris visceribus concepta fuit, et ad hanc lucem aspiciendam post novem menses hodierno die, in gratia, et amicitia Dei immortalis, donis virtutum immortalibus affecta, nata fuisse praedicatur. Desinat jam tandem Salomon investigando rogare, mulierem forte quis inveniet? Fuerit fortis Delbora Iudaeorum memoria, quae populum Hebraeorum ab inimicorum impetu, atque furore defendit. Celebretur invictissima Iudith, quae caput Holofernis Ducis Assyriorum a cervicibus abs-

cindens, exercitum urbis obsidionem solvere, et ignominio-  
sa fuga terga vertere coegit. Afficiatur eximia laude Ester,  
quae populum universum mortis poena liberavit. Summa  
prudencia, summoque consilio praedita exornetur Abigail,  
quae Davidem ardentem iracundia, et virum ulciscendi cu-  
pidum ad misericordiam traduxerit. Sit illa in aeterna gloria,  
quae ubertate, et facultate orationis, accuratis, et exquisitis  
sententiis vasa colligere, et castra movere fecit adversarios.  
Nec vero de mulieris spectata virtute silere debemus, quae  
non hasta vi brachiorum contorta, non mucrone gladiorum  
adversario in pectus infixo, sed uno dumtaxat clavo Ducem  
adversariae gentis fortiter, et animose confecit. Sed horum  
omnium fortitudini obscuritatem Mariae laus attulit: de qua  
divinum hominem satis liquido constabit loquutum fuisse.  
Nam cum ille reperiundae mulieris fortissimae cupiditate  
flagraret, quae serpentis venenati, in cujus potestatem genus  
humanum inciderat, caput illideret, atque comprimeret: illam,  
quod felix, faustumque sit generi hominum, hodierno die sor-  
titi sumus: ut quod Aeva damnum fecerat, illud Maria fructu  
ventris sui sanctissimi refarciret. Aeva virum in arboris ve-  
ritae epulas illiciens, damna invexit orbi terrarum infinita,  
Maria hujusce arboris damna facta, filium Dei in sola terra-  
rum trahens a nostro genere avertit. Aeva peccati tyranni-  
dem introduxit in orbem universum, Maria a nostris cervi-  
cibus repulit. Aeva luctum, et moerorem maximum, Maria gaudium  
attulit, et laetitiam optatam. Aeva crudelissima bella hostili odio  
imbuta, inimicitias, dissidia, crudelitatem, Maria otium, quietem,  
tranquillam pacem, atque misericordiam tulit. Aeva defectio-  
nem a Deo, et a caelitibus alienationem, Maria detulit reditum  
in gratiam cum aeterno Patre, et in caelorum sedes restitutionem.  
Aeva inscientiam omnem, et ignorantiam veri, et solidi appeten-  
di boni, Maria scientiam, et cognitionem Dei attulit immortalis.  
Aeva errores omnes, atque superstitiones idolorum, Maria  
cultum, et religionem veri, atque sempiterni Numinis inve-  
xit

xit. Aeva scelere, atque perfidia fores praecclusit caelorum,  
Maria patefecit aditum hominibus in beatorum domicilia.  
denique nihil non mali Aeva fecit, virum in fraudem indu-  
cens, Maria quidquid boni fuit, et est, et erit impertitum hu-  
mano generi, in nos dono ac munere filii sui contulit. Quam  
licet hodierno die nasci videtis, nondum tamen fabrica haec,  
existiterat, et elegancia totius mundi, quam oculis aspicimus,  
rati ipsi, et immutabiles siderum cursus, Lunae pulcritudo, at-  
que varietas, Solis splendor, et claritas eximia, nodum terrarum  
situm, atque circumscripcio, quaeque illarum complexu coer-  
centur, nodum immensitas, et altitudo maris, gelidae peren-  
nitates aquarum, cursus fluviorum lenes, aut incitati, motuum  
altitudines, humilitas vallium, planities caporum, quaeque usi-  
bus, et deliciis hominum mari, terraque continentur, procreata  
fuerat, et iam illud in mente divina infixum, et collocatum in sede-  
rat, tantam vim, et multitudinem, pulcritudinem, et varietatem, et ad-  
huc Virginis, et ad Filii gloriam, et decus immortale conferendam.  
Ipsi etiam Reges clarissimi, tot potentissimi Principes, tot Va-  
tes divini, tot Patriarchae, Patresque sanctissimi, lumina, et or-  
namenta veteris Testamenti, tam longa serie sua, profapiaque  
Regia, et excelsa ad gloriam, et splendorem Virginis pertineant,  
necesse est. Infideat in animis vestris arbor pulcerrima, et ve-  
nustissima, consita propter perennes, et inexhaustos aquarum  
liquores, quarum humoribus procreata, cum radices altas ege-  
rit, atque infra terram latissime propagaverit, tum trunco eri-  
gatur cortice obducto contra frigorum appulsus, et contra  
Solis ardores: deinde patulis in omnes partes diffusa ramis, fo-  
liis vestita virentibus opacam reddat, et amoenam loci, quem oc-  
cupaverit, amplitudinem. Quo pertineant haec omnia, ex qui-  
bus arbor constiterit, aspicimus. Ut flores scilicet lectissimos  
et fructus suo anni tempore maturos, et suavissimos ferat. O  
dignitatem Matris Iesu Christi celsissimam. O gloriam ab ipsius  
Dei, atque Filii celsitate, honore, atque maiestate secundam. Ad  
arboris similitudinem Deus immortalis creavit Davidem,

Abrahamum, radices maximas, et altissimas, unum Isaacum, et ejusdem similem Jacob, truncos suis innixos radicibus, deinde ramos, et folia Regum clarissimorum, Patriarcharum, et Vatum divinorum, atque hos omnes ad florem huc spectantes lectissimum, et pulcherrimum, tantam odoris suavitatem affatē, ut generis nobilitas, Regia et excelsa Mariae claritas cognita sit, et explorata mortalibus. Sic autē haec se habēt, quemadmodum Magnates, et clarissimi terrarum Principes suis in aedibus amplissimis, atque adeo intra arcem Regiam habere solent unum, et amplissimum armamentarium, gladiis, et telis, scutis plurimis, galeis fulgentibus, et omnibus armis refertum, et instructum, palatium etiam plenissimum, et ornatissimum omni veste, supellectili, gaza elegantissima, et aulaeis pulcherrimis, et magnificentissimis, praeterea tertium, quod appellari solet generis, et profapiae majorum, in quibus imagines majorum suorum nitidae, et illustres pro antiquitate sua in similitudinem arboris effictae longo ordine atque serie vetustissima videri possint a Principe, et ab auctore familiae ad filios, ad nepotes, ad pronepotes, et ad posteros usque omnes. Probro vertebāt Iudaei Iesu Christo fabri Iosephi inopiā, et humilitatem: eidē objiciēdam curarent, si possent, matris obscuritatem. Recito testimoniū litteris sacris, commendatum, quod inficiari nequeant invidi homines, et malevoli in Iesum, in Virginem Iudaei manu obsignatum Evangelistae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Cū istud audimus, cum recognoscimus, atque profitemur, omnes veterum Patriarcharum, omnes divinorum Vatum, omnes Regum clarissimorum, omnes fortissimorum veteris legis Ducum, omnes egregie fidelium, et carissimorum Deo amicorum, omnes novae legis Cōfessorum, omnes invictissimorum Martyrum, omnes castissimarum Virginum, omnes Sacrorum Doctorum, omnes Iesu Sociorum, et Comitū, omnes omnis generis, ordinis, et dignitatis Ecclesiae Equitum, et Magnatum illustrissimorum gloriae honore florētium vir-

tu-

rutes, laudes eximias, et ornamenta clarissima, quae in singulis dispersa sunt, atque diffusa, in Mariam unius Matris Iesu Christi nomine, et honore congesta fuisse testimoniis sacrorum Evangelistarū ducti profiteri debemus. Cui cedāt Angeli, omnes caelestes spiritus concedant, et tanta Virgine se inferiores multo fuisse fateantur: neque meritis, neque dignitate minima ex parte ad Virginem Mariam comparandi sint. Quamobrem mirari desinamus nihil de fortitudine, nihil de misericordia, nihil de fide, nihil de sapientia, nihil de caeteris ornamentis tantae Virginis speciatim sacris litteris reliquisse consignatum Evangelistas: cum tria verba faciendo, omnia complexi fuisse videātur. An ego cum Ciceronem, cum Caesarem, cum Alexandrum aliquem dixero, majus ad oratoriam hominis vim, ad liberalitatem, et magnificentiam ejusdem, ad istius bellicam laudem invicta fortitudine commendandam quovis genere orationis consequar, quam horum trium nomine, et honore virorum? Quamobrem si sanctorū omnium donis, atque muneribus, si dignitatibus, et honoribus omnium affectam, ornatamque Mariam contemplanur, quod spectaculum erit in caelorum gloria tāto ornatu, et insignibus divinae claritatis circūfusam intueri Mariam? O divinum spectaculum. O miraculum stupendum. O monimentum Divinorum operum, atque ornamentorum Mariam. O simulachrū Filii Iesu Christi in Matre Iesu expressum, atque perpolitum. Quae castitas Mariae, cum Angelo nūtiante societatem naturae divinae cum humana in utero suo copulandam, minime de facto dubitavit, de ratione tamen percontanti interventu Spiritus divini Angelus ipse respondit naturam humanam in suis visceribus Filium Dei induturū esse? quam incredibilis, et inusitata demissio, cum eodem nuntio accepto, mysterii jam tandem magnitudine cognita, te ipsam abjicis, atque demittis, et usque eo, ut nō Matrem, qua dignitate nulla clarior, neque illustrior tibi deferri potest, sed ancillam te tanti Domini professa es? Quae misericordia,

A a a

et



et benignitas inaudita, cum in nuptiis in vini inopia summa, hospitem te miseret tuorum, et Filii misericordiam imploras ad aliorum inopiam sublevandam? Quae modestia, et moderatio tam singularis, cum post triduum, quo puerum e conspectu oculorum amissum quaesiveras, cum in templo disputatem, et sermones cum Doctoribus veteris Testamenti conferentem reperisti, ad anxietatem, et dolorem ostendendum, quem ceperas ex amisso Filio, quaerens, atque percontans ab hoc eodem Filio, plura verba non facis, quam ecce pater tuus? Testes egestatis, inopiae tuae cunabula pueri Iesu fuerunt, quem Reges ipsi e remotis Indorum regionibus adoratum venientes, in porticum ingressi infimam, et contentissimam, totam rimas agentem, expositam tepestatibus, nimbis, imbris, et aquis, et reliquis injuriis hyemalibus puerum indumentis amictum, in praesepio jacentem inter duo animalia supplices, et prostrati divinis honoribus affecerunt. Vbi quaeso, id temporis Reginae celsissimae palatium? ubi aulicorum strepitus, atque tumultus? ubi concursus, et frequentia Magnatum? ubi lectus conchyliatis ornatus peristromatibus? ubi puerorum, et ancillarum operae? ubi comitatus Reginae celsitate dignissimus? ubi jaectatio, et ostentatio tantae dignitatis magnificentissima? Testes fuerunt patientiae tuae tormenta. Filii tui acerbissima, virgae ipsae, spinae, mortis acerbitas, quam in praecordiis ipsis conceptam a Simeonis praedictione, ad illud usque punctum temporis habuisti, cum in crucem sublato Iesu Christo; clavorum diritate transfixo, interdios latrones morienti summa cum patientia adfuisi, nullum verbum faciens cum fel, et acetum sibi sitienti porrectum esset, tacens etiam, cum in aspectu tuo hasta, vi tanta brachiorum in latus sanctissimum intorqueretur. In tantis injuriis Filio factis, in tot verborum contumeliis, in spoliatione vestitum, in plagis aspectis, cum animam postremo exhalasset, tacebas semper, et tuam cum divina voluntate conformabas. Sed quid reliqua testimonia persequar? redeo, Patres ad illud, quod

mea confertur oratio: quam cara fuerit immortalis Deo, quam immensum suarum virtutum pelagus exsisterit, dignitas Matris Iesu delata declaravit. Cives omnes aulae caelestis ad Mariam comparati fontes sunt, et rivuli divinae gratiae, Maria mare immensum, atque profundum. Quamobrem nomen Matris Dei honorificentissimum, celsissimumque regium, et excelsum, a divinitate Dei, et dignitate Iesu Christi, secundum in regione caelorum, quibus laudibus effereamus? quibus studiis prosequemur? qua ratione complectemur? Parietes profecto istius templi, caelum ipsum, et terrarum loca istius diei celebritate gestire visa sunt, aves etiam garritu demulcere aëris circumfusi regionem, mare cursus patefacere navigationis secundo ventorum spirante flatu, terra fructus ferre uberes, atque praestantes, profundere suas opes atque divitias ad cohonestandas ferias hujusce diei celebriores, caelum largiri liberaliter ac donare suum ornatum, et insignia luminum clarissimorum, ut sidera ipsa, Luna, Sol princeps astrorum nascenti Mariae serviât, effundere se coetus omnes divinarum Mentium, ac beatorum civium ad spectaculum apparatusissimum tantae Dominae, atque ex omnibus locis plausus excitare tantos, quantos nascentis Reginae caelorum, et Matris Dei immortalis dignitas fieri postulat, atque deposcit. Cum tabernaculum magnificentissimum jussu Dei immortalis summa arte, et opere mirabili, ad divinae Majestatis gloriam ges Solymorum Deo carissima extruendum, aedificandumque vidisset, sic ad fabricam operis faciendam perficiendamque omne genus hominum exardere coepit, ut nullus esset, qui non de suo largiretur opes, atque divitias, quas haberet. Atque mulieres natura sua in benignitate propellae, emblemata pretiosissima, muraenulas aureas, in aures, et cylindros, torques, atque monilia, et omnia capitis decora, et ornamenta magni pretii, et aestimationes large satis, atque liberaliter conferebant. Tabernaculum istud fuit species, et adumbratio Virginis Mariae sanctissimae, quae tabernaculum est,

et sacrarium Christi religiofissimum, et augustissimum: quod adeo politum, et ex omni parte perfectum Mater Ecclesia oculis suorum filiorum hodierno die visendum, spectandumque proponit, ut omnes in hoc templum convenerint ad ferias Natalitiorum recolendas, qui sunt academiae filii, et Antesignani litteris, et virtute florētes, flos civitatis, et equestris ordinis, et caput academiae, Praesul ecclesiae nostrae praecellentissimus, qua est in litteras, et in litterarū studiosos liberalitate, de quocunque genere litteratorum benemeritus ad hunc diem sua praesentia Solis splendore clariore cohonestandum, et ad nos excitandos, ut studiorum curriculum alacres, et erecti repetamus. Terra fructuum suorum ubertate, et copia, vestitu amoeno, atque vario, aēr flatu puro satis, et tenui, aves concentu, et harmonia jucundissima, aquae liquoribus perlucidis, et crystallinis, mare pacatis fluctibus, ac sedatis, caelum pulcritudine, et varietate luminum suorum, atque ipsi Principes aulae caelorum observantia in Reginā suā, et obsequio mirabili, Spiritus divinus ornamentis in Virginem collatis, Pater aeternus Filiae dignitate tributa, Filius Matris honore, caelestem ac divinam puellam decorans, nos beneficio Natalitiorum immortaliter devinctos ad justū, et debitum honorem tribuendum adhortatur: atque ut id debito cultu, et pietate faciamus, ad gratiā a Filio, ope Virginis Mariae de qua ipse Iesus natus est, semper ineundā. Laudo laudo vos Biacensis academiae fundatores insignes, et praecellētes dominos, ac dominos Lopezios, qui summo consilio, atque prudentia Patronam vestris sanctionibus hanc virginē nascentem nunc primum, et in ipsis cunis jacētē Ducē, et Principem studiorum adoptastis: ut in ipso ortu, atque in primo statim aditu lucis hujusce, vestris scholasticis, et alūnis spectandam proponeretis. Vos vero magistri, doctoresque praestantissimi, nihil magis contendere, et efficere debetis, quam morem hunc laudabilem in hisce feriis repetendorum tantā celebritate, concursuque studiorum retinere. Ut in hanc

ma-

magistri singularū artium, et scientiarum ad litteras cum virtute tradēdas inspicerēt, fuit in animis aeterna memoria dignissimis fundatoribus. Cum illi veram Minervā vobis scholasticis caelestem atque divinam Mariam, immensum, et infinitum sapientiae, et virtutū pelagus proposuerunt, tales vos esse voluerunt, qui vestris in actionibus, in moribus egregiis in vita praeclara Matrem Iesu Christi studeatis imitari: cujus verecundiam in oculis, in vultu modestiam, in ore continentiam, in verbis parsimoniam, in motu dignitatem, in incessu gravitatem, in actionibus religionem, in vita sanctimoniam, in corpore, et animo castitatem, in cogitationibus integritatem, omni loco, ac tempore vitae curriculum ad Filii sui gloriam, ad illius obsequium, ad illius decus immortale instituta studia, litterarum cursum, progressiones, et incrementa, praeceptores praelegendo, discipuli discendo, et audiēdo conferre nunquam desinant: ut non Athenas, aut Alexandriam, quae quondam veterum academiae fuerunt, non in Minervae officinas, sed in scholas, et in domicilia Matris Iesu nos ingredi cogitemus, nec litterariā solū, sed virtutis nos praecipue ré acturos esse alacres, et erectos. Itaque Remp. litterariam, quod majores nostri fecerunt, auditores pro virili parte contendentes, studio, atque diligentia, praeceptores eruditione, atque scientia, omnes exemplo vitae, morum honestate, virtutum cumulo excitandam magis, et augendam curemus in posterū. Id etiam omnes efficiamus, ut dignam, sapientia Christianorum, dignam nomine, et honore Virginis Mariae, dignam praestantia, et celsitate Matris Iesu Christi nostris laboribus, virtutibusque celebremus. Conflatur in academia verum argentum, conflatur aurum purissimum, aurum, et argentum virtutis, ac litterarū purum, et exploratum in fornace laborū, atque tolerantiae. Cogitate fructus animorū, quos afferre debeatis Ecclesiae, quae vos ad confessiones audientias, ad conciones habendas, ad spargēda divini seminis verba, ad informandos, instituendosque praecipitis, et cōsiliis fa-

Aaaa 3

lu-

luberrimis homines expectat. Cum vos sacerdotia templorum, vos ecclesiarum munera, et officia, vos honores, et dignitates, vos curam omnem, et administrationem cum auctoritate tueri, atque sustinere necessarium sit, cum vestris humeris inclinatae recubant omnes ecclesiae istius, et multarum Hispaniae civitatum, nisi cum litteris virtutem junxeritis, quas vos utilitates praebere, quos afferre pastus vagis, et errantibus ovibus, et ab ovili disjunctis, honestatis, et castitatis, passim in foveas incidentibus altissimas, et in ore jam, et prope faucibus Daemonis haerentibus, quam opem, et auxilium afferre posse dicemus? haec si non feceritis, si non fueritis illi, qui debetis esse, si non tales vos praebueritis, quales vos appetit, atque deposcit Virgo Maria, vos ut putem alumnos istius academiae, vos ut filios Matris Iesu Christi dicam? passim sunt litterati homines, passim docti, et eruditi, passim cunctis artibus, atque disciplinis instructi, sed litterarum cum virtute societas a vobis expetitur, et effragitur. Instituite vos, optimi scholastici, litterarum curriculum, repetite studia vestra Duce, et Principe Virgine Maria. Vos praeceptores vestris laboribus, vigiliis, studio, et omni diligentia mutuas operas praestate, virginem animis, et cogitationibus Mariam complexi. illa in electis agit radices altissimas, id est, in bonis, in virtutis amantibus, in castis, et honestis hominibus, in verissimis divinae legis cultoribus, in beatorum civium imitatoribus sedem atque domicilium sibi collocat: hos diligit, hos amat, hos carissimos, et jucundissimos ducit, hos delicias, et amores, hos suavitate, et requiem plenam delectationis, et jucunditatis habet. Utinam recordemur majores nostros, atque illos parentes, qui hanc academiam non condiderunt solum, sed etiam suis laboribus, suis litteris, et virtutibus conservarunt, stabilierunt, ad summam evexerunt amplitudinem, et inter Complutenses, inter Salmanticenses effecerunt nomine ac fama celeberrimam academiam Biacensem. Utinam recordemur Carlobalios, nostros Avilas, quorum propter eximia in academi-

miam

miam nostram merita ab hinc tot annos recens memoria manet, et in omnem saeculorum posteritatem propagabitur. Utinam Pericii ex nostris mentibus non excidant. Quilabores istorum? quae studia? quae vigiliae? quae virtutes? quae exempla honestatis? quae tempestates? qui fluctus temporum turbulētissimorum in illos multorum invidia concitati fuerunt? Illos fructus et audiistis, et vidistis multi. Atque in auctores, qui pestem tantam machinabantur, Dei bonitate redundarunt mala. Hanc illi sane academiam, et alii, quos commemorare non est necesse, pulcherrimam, et florentissimam vobis reliquerunt: quorum mens, et cogitatio, verba, actiones ad Virginis imitationem conferbantur. Hisce temporibus instaurationis, quos conatus, quos impetus ab illis factos, ut initia daretur, ex quibus progressiones, et exitus felicissimos expectarem, recordari possumus? Sed quid ego Carlobalios, et Pericios appello, cum paratem habeamus, cum Mecoenatem liberalissimum, cum studiorum nostrorum, et academiae Patronum litteris, et virtute tam admirabilem, talem quidem qualem expectare potuissemus: qualem a Deo precati fuimus omnes. Te ipsum dico, te nomino, Pontifex illustrissime, deus, et ornamentum Praefulum, et Antistitum Ecclesiae sanctissimorum, cui curae maximae fuisse semper audimus, atque videmus res ex pietate, et ex Christiana disciplina optime, sanctissimeque constituendi. Te profecto cum video, intueor equidem fasciculum ex omni pulcritudine, et varietate florum constructum, mirifica odoris suavitate Pontificatus hujusce sedem, dignitatemque perfundentem, de cujus litteris, atque eruditione nihil ita dicam maximum, quod majus non fuerit, quam a me verborum luminibus excolatur. Habet in memoria scientiam jurisperitiae Salmanticensis academia, quae te praeceptorum sortita fuit omni laude cumulatam Jurisconsultum, inter Papinianos, inter Ulpianos, inter Sulpitios jure optimo numerandum. Non tui obliviscerur unquam aula Romana, quae suum habuit consiliarium de supremo Romani Pontificis

ficus Consilio. Scripta tui ingenii divulgata, et foras emissa, tanta cum approbatione doctissimorum virorum, et utilitate juris civilis studiosorum acumen ingenii tui, eruditionem summam, intelligentiam variam, atque multiplicè commendant, atque testantur. Quid illae dignitates, quas non virtute solum, sed litteris adeptus es? An parvo nobis incitamento fuerint ad res litterarias agendas, ad labores omnes suscipiendos, ac perferendos tua maxima, clarissimaque virtutū, et litterarum ornamenta? non in his solum jurisperitiae litteris, sed in liberalibus studiis, in dialectica, in Philosophia, in sacra Theologia omni laude commendatus es. Quae studia multitudine varia, difficultate ardua, dignitate sublimia, sic omnia cōsequutus es, ut in singulis praestitisse maximis hominibus summa cum laude videaris. Tu tu inquam calcaria nobis, et stimulos adhibebis, ut in uno studio eorum, ad quae aspiramus, et enitimur, omni contentione desudemus. In virtutem ingressus, exitum non reperiam, quam omni aetate magnopere coluisti: qua Duce, atque Principe honores, atque dignitates obtinuisti, obtētas subsidiis maximis, atque firmissimis demissionis, misericordiae, honestatis, diligentiae, patientiae, atque liberalitatis muniisti. An vero diligentiam, et studiū in officio Pontificis praestando non recognoscent omnes, qui te tanquam unum de privatis sacerdotibus audientē cōfessiones alumnorum, habentem conciones ad populum, et advocantem a vitiis, excitantem ad virtutem, privatim, et publice tuae Fidei, curaeque cōmēdatos homines aspiciunt, et audiūt quotidie? Pietatis, et misericordiae facta cōmemorare contendam, cum te parentem pauperum, perfugium inopum, receptaculum afflictorum universa multitudo compellet? Speras scilicet, ut inopes misericordiam tuam implorent, cum te misereat illorum semper, qui opem tuam pudore, vel animorum angustia non effragitant? cum egestas alicujus ad aures tuas pervenit, miseris, et calamitosus statim occurris, atque ipse quaeris occasionem inopiae sublevandae

miserorum, quid ego privata haec facta commendem misericordiae, cum publica existant monimēta tuae pietatis, et Baeciae, et Mentefae, et Saldubae, et Burgis, et aliis in locis plurimis, et celebrioribus Hispaniarū? Viduas in matrimonio collocatas, captivos tuis pecuniis ex hostiū servitute liberatos, nomina egētium persoluta, defensionem virginum castitatem, pecunias donatas monialibus, religiosorum familiis auxilia data, collegia aedificata patribus Societatis Iesu, et excitatā in urbe Biacensi sacris virginibus domum, et redditus annuos constitutos, et eidem domui adjūctam ad virginitatē servandā aedem laxam, atque magnificam quis pro dignitate praedicare possit? quemadmodum haec omnia praesentes admirātur, et omni saeculorum memoria posteritas obstupescet. Iam vero tantam in cultu famulorum honestatem, tantam in administrorum vestitu moderationem, tam incredibile modum atque temperationē, in domesticis institutis, atque disciplina vigilantiam, et assiduitatem, praesidia virtutis colendae, retinendaeque gratia foris, et domi parata, tantam parsimoniam, in cibo, potuque temperantiam incredibilem, nos admiramur, et praedicare nunquā desinemus. Non enim in specie inani, non in vestitu parietum serico, non in mensis exstructis varietate ciborum, nō in saeculi inanitate, et infania non ferenda, sed in Apostolorum, in Virginis Mariae, in Iesu Christi imitatione ponendam, et collocandam Pontificum Ecclesiae dignitatem, et majestatem ostēdis. Sed imitandae tuae demissionis testimonium, quocumque litterae comaeaverint tuae, quocumque pervolaverint, satis honorificū accipiemus: quae non signo hujusce saeculi pervulgato, non majorum insignibus caelato, ut Principum, atque Pontificū omnium consuetudo fert, ob signatae perlegētur. Quod quis non admiretur, cum nulla claritatem majorum illustriorem, neque antiquiores generis, et profapiae imagines habuerit, quam testatā Sarmientorum nobilitas, quam gloriosa Mendoziorum familia, quorum splendore illustratus Ponti-

fex clarissimus, si via saeculi contenderet, claritatem Regiã, et excelsam passim litterarũ testimonio consignatã ostenderet? Sed qui se totũ Deo dedit, res humanas, fluxas, atque perituras aspernatur. Videte, quem Pontificem Deus optimus, ac maximus dederit, quẽ Mecoenatẽ nostrae academiae Virgo Maria suis precibus a Filio impetraverit: qui nihil inter liberalitatis opera, nec antiquius, nec prius sibi faciendũ putavit, atque proposuit, quam ut hanc academiam, quam ut ejusdem alumnos, quam ut magistros, atque doctores omnes omnibus beneficiis cumulet, atque complectatur. In qua Republica litteraria omnibus ornamentis, et beneficiis afficienda propter liberalitatem Pontificis eximiã, atque praedicandam nisi terminos ad dicendum praestitutos nostram transiisset concio, eodem audiente, et praesente te, Pontifex illustrissime, quãtam mihi alacritatem praesentia tua, et concursus scholasticorum, atque doctorum confessus frequentissimus ad agendas gratias attulisset? Quis meae orationi tanti Pontificis laudes praedicanti non faveret, cujus immortalem in hanc Remp. litterariam, et in ejusdẽ professores, atque magistros meritorum magnitudinem excitare cognovisset? Appellarem academiam per te auctã, et amplificatam, patronos cohonestatos, et majoribus indies honoribus affectos a mortuis excitare, professores aliquos nominatim compellarem, sermones etiam omnium de te habitos, et gratam, quae tui nunquam obliviscetur, posteritatis memoriam praedicarem, caelum denique testarer ipsum, quod te cum propter tua in nos, et in academiam collata beneficia, tum propter alia plurima, maximaque virtutum ornamenta manet. Qua in re materies copiosa non modo mihi non deesset facultasque dicendi, sed tanquam in libero patentique campo nostra exsultaret, ac serio triumpharet oratio. Quae quoniam angustiora laudes de Virgine Maria habitae fecerunt, tuum est, Antistes praecellentissime, qui pro Dei gloria, et honore agendo beneficia

ficia quotidie cumulare, et adaugere non desieris, pergere quemadmodum facis, ut nos excites, et inflames ad labores omnes suscipiendos, ad hanc academiam benignitate, liberalitateque tua magis amplificandam. In qua quid quid contuleris, quod si tuum est, non potest non esse maximum, quod ad suum commodum, quod ad honorem, quod ad dignitatem pertinet, Deum, cujus dignitatis ornandae causa fecisti, cumlatiore mensura tibi relaturum esse sperabis. Nos cum tantam gratiam habeamus, quantum maximam animi nostri capere possint, quas possumus, et debemus, gratias agimus immortales, tui nunquam memoriam intermissuri, quam ut retineamus Virginẽ Mariam precabor. Ad quam rediens, ut unde orsa fuit, in eodem terminetur oratio, absolvam concionem in hunc modum. Te modo appello, obtestorque, Virgo Maria, Regina caelorum, Imperatrix Angelorum, summa praepotensque Domina totius mundi, Mater Assertoris Iesu Christi, communis Parens humani generis, nostrarum rerum Anchora tutissima, Parens, et Patrona Biacensis academiae: quã solita fuisti cunctis in rebus opẽ nobis, et auxiliũ ferre, id ut feras hodierno die ad repetenda bonarum artium studia supplici, humilique obsecratione precamur, tensis manibus, sublatis in caelum oculis, quam maxima religione possumus. Quia nos filii tui, quia alumni sumus, quia nos tibi, nostrasque res, nostram academiam, progressiones studiorum, et eorum studiosos alumnos tibi dedimus, devovimusque. Si parentes filios, si patroni clientes, si Domini servos, si Principes famulos adjuvare solent, his maximis, justissimisque nominibus, si te Patronam, et Principem nostrarum rerum profiteamur, si nostris in studiis, si in secundis, et prosperis rebus eventus tibi felices semper retulimus acceptos, si gratias agimus, exstruimus aras, sacra fecimus, et ritu, atque caerimoniis Ecclesiae honores tribuimus, et tribuere perseverabimus in perpetuũ,

te nostrorum, quae instituimus studiorum, nostrorum te  
 scholasticorum, nostrorum rerum, ne ulla unquam oblivio ca-  
 piat, habeas potius in memoria tuos famulos, et alumnos, ad  
 ingenia acuenda, ad excitandam industriam, ad voluntates, ad  
 animos in litteras, et in virtutē tuis precibus, et apud Filiam  
 intercessione infamandos. Nata nunc es, hodierna die feli-  
 citer in hanc lucē claritate Solis illustrior existi. Hāc unam  
 gratiam tuam esse volumus, ut a te defensa dicatur, et novis  
 indices incrementis amplificata Biacensis academia. Si pueri  
 uno oblato pomo, rebus ludicris ante oculos cōstitutis, uno  
 verbo facto, et hilaritate vultus ostensa facile capiuntur, va-  
 leant apud te nostrae preces, valeant praesentis coronae fen-  
 sus intimi, valeat animus, atque voluntas fundatoris, valeant  
 pietas, atque religio, qua te Infantem jacentem in cunis, Ma-  
 trē Dei futuram colimus, veneramur, atque suspicimus. Nō  
 divitias, sed litteras, non inanes saeculi honores, sed virtu-  
 tem cum litteris, ad Ecclesiam Dei tutandam, ad nos ex fau-  
 cibus Daemonis eripiendos effragitamus. Id a Filio tuo, cui  
 proxima fedes in caelorum regionibus, Solis aeterni splen-  
 dore circūfusa, in folio Reginae beatorum Spirituum, caelesti  
 majestate augustissima, facile uno nutu, significationeque tua  
 impetrabis. Ut litterarum studium repetamus, litteras sem-  
 per cum virtute conjungentes per Natalitia tua sanctissima,  
 per gaudia natalitiis orbis terrarum, et aulae caelorum allata,  
 per dignitatem Reginae caelorum, per celsitatē, unde tot in-  
 te maxima, et immortalia merita conferuntur, Matris Chri-  
 sti Iesu tibi delatam, precamur, et obsecramus. Sic diligentia  
 litteras, et virtutem, litteris, et virtute fructus animorum, et uti-  
 litatem Ecclesiae, his meritis, et sanguine Iesu Christi beato-  
 rum gloriam consequemur.

DEMONSTRATIO IN DELIBERATIONE

tionem cadens ad illustrandas orationes  
 quantum valeat.


Quae-



Vemadmodum in superioribus exornationis  
 orationibus Demonstratio viguit, et jactavit  
 sese, velim intelligat eloquentiae studiosus in  
 deliberationem quoque hoc tantum eloquen-  
 tia ornamentum venire cum omni sua dilatā-  
 di multiplici varietate. Petetur exēplum ex subjecta oratio-  
 ne de labore in litterarum studia cōferendo: quae illustratur  
 sermocinatione florentis academiae, Protopopoeia viri sa-  
 pientissimi, et affectibus concitatis in peroratione vehemē-  
 tibus exhibiti Hieronymi studii, et ex aliorum Ecclesiae Pa-  
 trū laboribus in percipiendis litteris feliciter impensis: Ne-  
 que minus illustris est orationis aditus ab otio ex academiis  
 ejecto praepositus confirmationi summa cum magnificentia,  
 quam consequentium, et effectorū frequentatio cum illustri  
 schematum vestitu distinguit.

ORATIO DE LABORE, VITA, ET

spiritu litterarum.



TINAM, Auditores Optimi, quo-  
 niam anno vertente vacationes praer-  
 terierunt, et studia renovantur, instau-  
 ranturque pridie calendas Octobris,  
 atque adeo feriis beato Hieronymo  
 sacris, veram vobis comprobantibus  
 mittere vocem ex istius loci celebra-  
 te potuissem. Tandem aliquando de-  
 sidiam torpentem otio, languorem afferentem scholasticis,  
 pestem studiis nefarie molientem, atque huic academiae exit-  
 tium, et mortem minitatem e gymnasiis ejecimus, emisimus,  
 atque ipsam egredientem e musaeis omnibus diris execratio-  
 nibus devovimus. Abiit, excessit, erupit. Nulla jam pernicies  
 a monstro illo, atque prodigio rebus ipsis litterariis, atque  
 adeo intra officinas cujuscūque generis, et ordinis facultatū,

et disciplinarum comparabitur. Atque torporem studio-  
rum hostem intestinum sine controversia depulimus. Non  
jam intra subsellia nostra perniciēs illa versabitur. Non cum  
studiis humanioribus, non cum dialecticis, non cum Philoso-  
phicis erit. Nō deniq; intra ipsum sacrae theologiae gymna-  
sīū pertimescemus. Academiis omnibus desidia mota est, cū  
est a nobis propulsata. Palam jam cum litteris, atque virtute  
nullo impediēte societatem coibimus. Sine dubio abjeci-  
mus desidiam, fortiterque propulsavimus, cum illam ab in-  
staurationis tempore studiorum in exsiliū proficisci quo-  
dammodo, et abire coegimus. Quod ab hoc die non cruentū  
pugionem, ut vellet, efferet, quod nobis dicentibus instau-  
rata studia sunt, quod ad laborem suscipiendum scholasti-  
cos adhortabimur, quod multos adolescentes ei de manibus  
extorquebimus, quod laborantem juventutem, quod delu-  
dantem multitudinem videbit, quanto illam moerore affli-  
ctam, et profligatam putavistis? jacet illa nunc prostrata, Pa-  
tres, et se percussam, et abjectam luget, et execratur eadem  
diem hunc, atque detestatur: cum academiam hanc ex suis  
faucibus ereptam esse timet. Quae quidem laetari omnibus  
videri debet, quod tantam pestem evomuerit, forasque pro-  
jecerit. Atque equidem si quis est talis, quales esse om-  
nes oportebat, qui in hoc ipso, unde instituitur, et inchoa-  
tur oratio mea, felicitatem academiarum praedicet, quod  
tam capitalem adversariā relegatā viderit potius, quam me-  
tuendam in posterum: non est ista minima felicitas studio-  
rum, sed magna admodum, Auditores. Ejectam equidem  
esse desidiam, et omni ratione semper amandatam esse o-  
portebat, idque, et res litteraria, et virtus, et bonarum dis-  
ciplinarum progressiones jam diu tulerunt: sed quam mul-  
tos fuisse putatis, qui propter rei difficultatem in otio,  
languereque jacebunt? his ergo succurrā oratione mea,  
reliquos alacres, et erectos aspiciam. Atque uno solum  
Aegyptiorum simulachro, quod vitam praefert, mortem

nes-

nescit, fugat vitium, parit virtutem, quo vult, homines sui  
spectatores provehit, id quo modo praestare videar, at-  
tendite. Ad eam igitur Aegyptios, et cum illorum imagi-  
nes, tum cordis effigiem inspiciamus, quae de bulla pendens  
suorum ornabat virorum pectora, in hanc speciem, et simi-  
litudinem, qua torques aurei, qua muraenulae speciosae, qua  
bullae Magnatum Hispanorum, cum agniculo de collo pen-  
dente cernuntur, et ipsa mulierum emblemata gemmis illu-  
minata fulgentibus. Nonne cum viri bullam, tanquam in-  
signe gererent, illos ea de vitae rationibus admonebat? eos-  
dem ad laborem, ad sui status, atque fortunae leges, eosdem  
ad virtutis studium, ad quam contendere deberent, hortaba-  
tur? Cumque illos de officio suo moneret, ubicunque lo-  
corum fuissent, nonne etiam consilii, prudentiaeque, qua  
praediti debebant esse, ne tanquam mente capti furere, et de-  
bacchari viderentur, partes ostendebat. Sic equidem agere  
rem litterariam, sic in studiis versari debent adolescentes, ut  
vitam ipsis studiis impertiantur, et spiritum, quibus artes a-  
luntur, et sustentantur. Quid enim est vita? quae corpore,  
et spiritu continetur. Quandiu remanet in nobis? quandiu  
spiritus ipse remanserit, atque animus in corpore. Quid agit  
animus inclusus his corporis compagibus? ut fungamur cor-  
poris muneribus, et non mortuorum videamur similes, qui  
spiritu carentes, nullas possunt actiones suscipere. Quo  
plus igitur animi fuerit in homine, eo majorem conten-  
tionem adhibebit ad res agendas? nullus est hac de re dubi-  
tandi locus. Atque hic spiritus, qui viget in homine, qui  
nā, rogo, fuisse diceretur a nobis? vis illa, contentioque cor-  
poris, et animi, qua suscipiuntur exercitationes, et agun-  
tur negotia, quae nobis demandata sunt. Diligentiam igitur,  
et laborem si constituerō principem agendaē rei lit-  
terariae, non aberrabo? Imo vero haec est vita studio-  
rum, sine qua bonae litterae jacebunt. Age igitur, quo-  
niam id certum est, neque ulla ratione controversum, o-

pus est adhibere curam, et diligentiam in litterarum studio scholasticos, ut vitam, quam volumus, et litterae postulant, cum eam auferant negligentibus, et desides, nos studio, diligentia, laboribus, et vigiliis afferamus? Atque id Aegyptii significare voluerunt bulla de collo pendente, cum appenso corde: quo simulachro, et ad Reip. administrationem, et ad magistratus gerendos, et ad ostendendam majorum nobilitatem, et ad rem bellicam, et litterariam usos fuisse cognovimus. Quod vel nomen litterarum indicat, rem significans plenam laboris, plenam difficultatis, et infestam plurimis periculis, et gravissimis bonae valetudinis offensionibus, sive legendo saepius, sive scribendo, munus praestemus litterarum. Cujus non dissimile videtur, sed magis in promptu laborem statuens nomen usitatum, et commune studiorum. Quid enim est aliud studere, quam operam alicui rei dare, atque hoc quidquid est operae, quidquid studii, quod ponendum est, incredibili cura, et assiduitate semper impedere, ut quidquid ex eo, quod quis poterit, etiam si aliquantulum remittat, jacturam faciat non exiguam? Quod si nos retulerimus ad artium familiare nomen, an ulla erit ars de maximis non solum sed etiam de minimis, quam sine labore juvenes exercendam, colendamque putent? Ita tempora partimur et audiendis, et recolendis bonis artibus, atque disciplinis, ut nunquam non laborare, nunquam non sudare debeamus. Quod disciplinae, quod doctrinae nomen non minus ostendet, quorum unum ad praecceptorem de suggestu, et in magno conventu discipulorum, quam inteta voce disciplinam, doctrinamque tradentem, alterum ad discipulos summo cum silentio percipientes, mandantesque memoriae, quaecunque ex ore praecceptoris exeunt, non obscure confertur: atque utrunque non exiguum laborem suscipere necessarium est, suis in muneribus, officiisque faciendis. Cum autem tria nobis animi munera sint ab immortali Deo donata memoriae, voluntatis, et intelligentiae, non voluntate nos in studia conjicere?

cere? non dies noctesque laborare? non versare libros? non multa mandare litteris? non describere de libris? non interesse disputationibus? non argumentari? non respondere? non ad argumenta, non ad responsionem scientiam, et artium bonarum supellectilem comparare debemus? Mens equidem commentabitur secum subtiliter, et acute, quae proferat in lucem, claritatemque gymnasiorum, et varias, et multiplices intelligentias, obscuras, et difficiles animo concipiet, enudabitque, quibus illustrata per omne genus artium, atque disciplinarum, cum utilitate permeabit. Atque ut infideant infixae, neque deleantur ad specimen ingenii litterarumque capiendum, ad occasiones, opportunitatesque necessarias, memoria, cum opus sit, quemadmodum sociae comitesque, suas partes laboriose praestabit. Videmus formicam parvulam, et imbecillum aestivo tempore areas petere saepius, ac repetere grana deportantem, abdentem, congerentemque infra terram frumenti plurima, quibus hyemali tempore vescatur: sic equidem adolescentis in flore juventutis, dum per tempus, per vires licet, ad reliquam vitam tranquille, et honorifice degendam opes sapientiae cumulabunt. Nam errant illi sine dubitatione, et toto quidem caelo aberrant, si putant se divitias habituros esse multas, et domum ornatam, et instructam, quae litteratos homines manent, aut saeculi, vel Ecclesiae dignitates, et honores amplissimos consequuturos esse, nisi suis in artibus, praecleari fuerint, et excellentes. Non jurisperitus ad caularum patrocinia, ad Consilia Regum, ad Praeturam ullam ascendet. Non theologus efferetur ad Ecclesiarum sacerdotia, ad aliquam sedem Pontificiam, nisi scientiam habuerit suae facultatis plurimam, et exquisitam. Quam quomodo se consequi posse putat, nisi labore multo, nisi sudore, nisi vigiliis nocturnis, atque nulla corporis ipsius requie, semper multis, et assiduis se frangendo, conficiendoque laboribus. Quemadmodum terram arare videmus agricolam, et iterare diligenter perferentem gelu, pruinas, et aquas hyemales, et arationis, atque



laboris ferre fructus uberes, atque praestantes: sic etiam studiorum ferent litterati laborumque pretium suorum dignissimum. Demus esse aliquam academiam dono ac munere divino praeclare constitutam, exquisitis etiam de toto terrarum orbe praeceptoribus, et scholasticorum ingeniis acerrimis diligentia, studio, assiduitate florentem, nihil scholasticos agentes, nihil cogitantes nisi de litteris, atque praeceptores praelegendo, discipulos audiendo, tantam, et tam strenuam operam navare, ut cum vocibus magistrorum gymnasia personent, et auditorum multitudine compleantur, tum dies omnes maxima frequentatione celebrentur. Demus etiam pro poste (quod vulgo dicitur) quaerere discipulos, multa percotari de praeceptoribus, argumentari, objicere, non a praeceptoribus discedere nisi veritate perspecta, cum fuerit factum satis dubitationi suae, binos aut ternos convenire, in peristylio inambulare, conferre praelectiones, recollere vicissim domibus suis, atque adeo intra parietes cubiculi domesticos, nullum abire sibi tempus a litteris vacuum, laborare, desudare, dies nostesque nulla capere requietis intervalla, cumque litteris se totos dedant, virtutem unice colere, hanc principem ducere ad cursum persequendum, confiendumque litterarum, non plateas viasque lustrare civitatis, nullum agnosci vitium, nullum persentiri scelus, summam esse virtutem, summamque morum integritatem, castitatem dominari, florere virginitatem, et ob eam causam ex hac academia prodire doctos, et maxime litteratos ad illam ex omnibus orbis terrarum partibus magis, quam quondam Athenas bonarum artium inventrices, bonorum morum, ac litterarum causa convenire adolescentes, nullum ordinem singularum facultatum, atque disciplinarum magis frequentem, magis esse florentem, et ornatum magistrorum, et doctorum celebritate, et splendore clarissimo. Quid clarius hac pulcherrima, florentissimaque academia? Cum laurea quis donatur magistrorum, vel insigni-

nibus afficitur doctorum, lumina te dicas videre sapientiae, magistros, et doctores pileis, et suis insignibus ornatos, et illustratos intuendo, tantam in ore dignitatem, tantam in oculis, et fronte gravitatem, in corpore compositionem, et majestatem non tacite solum tecum commendando, sed etiam prae magnitudine multum ac diu quibuscumque cum aliis admirando. Demus manere hos clarissimos homines dignitates maximas, appeti ab ecclesiarum Praefectis, ad sacerdotia deposci, ad Praefecturas sacras, ad regimen, et clavum orbis terrarum universum, et ob eam causam Regibus maximae curae fuisse semper, et esse litterarum hujusmodi domicilia. Quid si illorum humeris urbes omnes, provinciae, atque adeo regna terrarum inclinata recumbant? et ipsae sacrarum familiarum aedes ab hac academia non parum adjunctae fuerint, adolescentibus maximae spei, et expectationis in suam societatem cooptatis, qui disciplina sua, bonis moribus tales evaserunt milites Christi Iesu, quales Ecclesia florentissimis quondam temporibus, et litteris, et sanctitate singulares, et admirandos tulit? Quid hac academia felicius? quid fortunatius esse potest? non Athenae tantopere celebratae silebunt? non tacebit Alexandria, tum etiam, cum plenissima doctissimorum hominum erat? non Rhodus, cuius invisendae causa Imperatores multi, terras, et maria transmiserunt? non denique Italia plena bonarum artium, atque disciplinarum in oblivione sempiterna jacebit? Quae cum ita sint, quaero ab omnibus, cur laborem non excipiemus, qui suppeditat nobis, ut animus hac litterarum cognitione imbuatur, et his omnibus ornamentis illustratus splendet? An vero existimamus suppeterere litteratis posse, quod quotidie proferant in tanta varietate scientiarum, nisi animos suos doctrina excoluerint? et eadem doctrina posse perficere, quod voluerint, nisi corporum, et animorum adhibeant contentionem? Sapiens

si loqueretur ex hoc loco, sic vobiscum ageret, et hunc iniret sermonem. Ego quidem fateor me laborem nullum subterfugisse pro sapientiae dono, ac munere consequendo, meque ita litteris tradidisse totum, ut nihil non studuerim temporis impertiri studiis, et noctes ipsas ad dierum labores adjungere. Ita totos annos in litteris posui, ut ab illis nullo me unquam tempore, aut commodū, aut otium abstraxerit, aut voluptas avocaverit, aut denique somnus retardaverit: et his gradibus ad hanc sapientiae amplitudinem, ad nominis gloriam illustrem, ad afferendas Rebuspub. utilitates perveni. Quamobrem qui progressus hujusmodi concupierit, seipsum colligat, et otio bellum faciat perpetuum. Quantum hominibus ad rusticationes suas, quantum ad dies ludorum celebrandos, quantum ad honestam voluptatem, et ad ipsam requiem corporis, et animi conceditur temporis, quantum alii tribuunt reficiendis corporibus, et animis a labore sublevandis, quantum denique congressionibus, quantum colloquiis, tantū ipse cum caeteris justis, legitimis, ac necessariis temporibus ad studia recolenda litterarum, secumque, vel cum aliis hominibus litteratis repetenda sumet. Quod Christianis hominibus hoc faciendum est magis, quod ex his laboribus virtus quoque crescit, et honestas, quae quantacunque in sanctis hominibus fuit, nunquā animorū comodis defuit. Qui cū librorū assidua lectione, multisq; sanctorū litteris, cū horum cognitione monumentorum sibi persuasissent, nihil esse invita magnopere expetendum, nisi virtutem, atque sanctimoniam, in ea autem persequēda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, et exilii parvi esse ducenda, cuncti se pro virtutis tantae petendis exemplis in sanctorum res praeclare gestas legendas, atque in ipsorum ingenii monumenta perscrutanda nunquam non conjecerunt. Plenae sunt omnes aetates, pleni profani libri, plena sanctorum monumenta: quae non ita legerentur frequenter, nisi laborum, et vigiliarum fructus ostenderentur. Et quidem mul-

ta Fidei cultoribus incitamenta non solum ad legendum, verum etiam ad imitandum laboris, et diligentiae clarissima scriptores, et veteres, et recentiores reliquerunt: quae sibi semper viri praestantes in virtute colenda proponentes ad labores omnes excipiendos corporum, et animorum vires omnes, nervosque contenderunt. Ac ne quis quaerat, omnes illi, quorum virtutes insignes fuerunt, his laboribus, quos tu tantopere commendas, vigiliisque omnino fregerunt sese? Non est difficile quidem hoc de omnibus confirmare: sed tamen est infinitum singulos persequi: quare, quod nunc dicam, animis, memoriaeque mandato. Ego quidem multos homines excellenti ingenio, ac judicio fuisse, et sine multo labore, rerum scientia non exigua, et laudabiles, et spectatos fuisse fateor: etiam illud adjungo saepius ad scientiam rerum habendam ingenium sine labore multo, quam sine ingenio valuisse laborem. Atque idem ego contendo cum ad ingenii praestantiam, et acumen acerrimum accesserit constantia quaedam, perpetuitasque laboris, tum illos homines admirabiles, ac plane divinos existisse. Ex hoc video fuisse illum numero, quem homines Graeci dixerunt principem eloquentiae, Demosthenem: qui dolere se agebat, si quando opificum antelucana victus esset industria: ex hoc Aristotelem, et Platonem, parentes Philosophiae habitos, atque praedicatos: ex hoc fortissimos viros, et illis temporibus eloquentissimos Iulios, atque Scipiones: qui profecto si ad labores impendendos pro eloquentiae studiis nocturnas vigiliis non suscepissent, nunquam unus commentarios suarum rerum praeclare gestarum reliquisset, alter in armorum medio strepitu, et in omni ornando, struendoque militari apparatu nunquam neque Philosophorum invisisset academias, neque libros eorum versandos, relegendosque curasset. Itaque libri labores deposcunt, vigiliis desiderant, quietis temporibus apti sunt, bellicis et turbulentis non intermittuntur, adolescentes colunt, senes non-

omittunt, secundis, et adversis rebus leguntur, prandiis ipsis intermiscuntur, atque coenis, mentem non derelinquunt in negotiis agendis, cum Imperatoribus in lecto sub pulvinis jacent Alexandri, litteratos semper comitantur, rusticantur, peregrinantur. Quod si ipsi, neque tantos labores suscipere, neque virium nostrarum imbecillitate perferre potuissemus, tamen eos excipere conari deberemus: maxime cum ab Imperatoribus susceptos fuisse videremus. Quis vestrum tam alieno animo fuit a musis, et a vero, qui Alexandri in litteras labore non commoveretur, qui cum esset Imperatorum fortissimus, et orbis terrarum victor, mortuus tamen propter gloriam rerum bellicarum comparatam videbatur omnino mori non debuisse? Ergo ille Homeri carminibus tantum amorem, et voluntatem ostenderat in poemate, ut sub pulvino libros unius poetae cum pugione dormiens haberet, nos et poetas, et oratores, atque jurisperitos, medicos, atque theologos non multo cum labore versabimur? Quoties vos legistis, Auditores, utar enim vestra benignitate, quoniam me de litterarum spiritu, atque vita dicentem tam attente percipitis, quoties vos legistis Archimedem, cum urbem expugnassent hostes, neque magnum numerum aedium, atque multitudinem tectorum horribili fragore cadentium auribus suis accepisset, in ipsis inhaesisse libris infixum, atque desudantem? Quoties in cubiculum ingressos milites non exaudiisse? neque fulgorem micantium vidisse gladiatorum, donec ab ipsis captus, et comprehensus fuit, stupens, atque inficiens adhuc evertae, direptaque patriae? Quoties multos contra debilitatem, infirmitatemque naturae contendisse philosophos, ut dies noctesque ad litterarum studium incumberet, eosdem morbis, et aegrotationibus confictatos adduci non potuisse, ut ad litteras, et ad studia morte jam jam imminente non redirent, ut cum ipso extremo spiritu libros de manibus expressos, et extortos eisdem fuisse legamus? Hos non imitabimur? non sequemur? non omni ratione complectendos

dos curabimus? Atque sic a summis, et sapientissimis hominibus accepimus, rerum bellicarum artem, et disciplinam summo cum capitis discrimine adiri: litteratos homines nasci, et nullis adhibitis laboribus fieri, et quasi nulli pretii, neque aestimationis homines in otio atque desidia creari, alii doctos, et sapientes putabimus? Non immerito Philippus quondam Imperator, et filius eidem carissimus in equo vehebatur uterque celeri admodum, et veloci. Et ipse Bellerophon chymeram monstrum superasse deterrimum, in equum sublatus alatum ferebatur: quod res arduae nullae geruntur, neque conficiuntur unquam sine labore, sine diligentia summa. An vero ad majorum nobilitatem conservandam, et ad illam nunquam ex mentibus abjiciendam pueri, quam bullam pendentem decollo gerunt, nunquam intueri desinent? An etiam ipsi Imperatores subactis hostibus, domitisque provinciis, quod vitam impertiti fuisse suis militum fortitudine, diligentia, consilio, et assiduitate viderentur, in urbem bulla donati triumphantes ingrediebantur? nos litterarum studium non laboribus, vigiliis, constanti perpetuitate excitandum, augendumque curabimus? Sit apud vos, Auditores optimi, litterarum honos magni existimatus, quas nullae unquam gentes ejecerunt, nulla non tempora tulerunt, quae nullorum hominum non fuerunt, atque adeo regum, et Imperatorum clarissimorum. Saxa, et solitudines litteratorum vocibus responderunt? ferae saepe gentes, et immanes mansuefactae fuerunt, atque subjugatae? Ipsi Imperatores suam vim submiserunt, majestatemque celsissimam? inter arma regnarunt, et gladios hostium internecione cruciatos? nos litterarum alumni earum praeceptis, et doctrina exculti, non sapientiae dignitate movebimur? Anaxagoram relinquentem patriam suam audiemus? et se abdicantem parentum jure haereditario obveniente patrimonio? nos, quos, ut litteris operam demus, patrium solum vertere necessarium non est, in patria litterarum studiis operam non navabimus? Pythagoram illum summum quondam philosophum, ut aliquantum

lum adderet ad philosophiae cognitionē, varias orbis terrarū partes peragrasset, maria navigasset multa legimus, nos nullo itinere, nec navigatione defatigandi in otio, atque torpore jacebimus? pericula magna, atque gravia, et in multa varietate terrarum marique obita, nulla recusata fuerunt a Democrito, quē homines non modo Philosophiae appetentissimum, et avidissimum, verum etiam nomen illius clarum, et insigne celebrant. Democritus patria, parentibusque relictis praeteriit populos, civitatesque diversas locorum intervallo distinctas, et immanitate barbaras, et efferatas. Democriti laus est se immensa profundaque maria nullo timore tempestatum, amore scientiarum maximo sulcavisse, ex omni maris perturbatione, atque fluctibus concitatis ereptum atque conservatum fuisse. sua semper feretur, et praedicabitur litterarum memoria manente patrimonii contemti repudiatique laus gloriosa, et incredibilis. Laboris haec sunt trophaea, diligentiae monumenta, et utriusque triumphii gloriosissimi. Illustris fuit Euclides, et disciplinae Socraticae tantopere cupidus. Itaque is Socratem adisse noctu dicebatur, atque propter odium Megarensum, et Atheniensium inveteratum mutata veste Athenas nullam non noctem adibat. In caelum tollitur Gordianus Imperator magnus, in cuius Imperatoris persona litteris honos adjungitur. Multi etiam alii Reges, et Imperatores, Caesares, Scipiones, et consequutis temporibus Adriani, Taciti, Augusti, et de Christianissimis Regibus Caroli magni Reges Galliarum, Boris ferrariensium Principes, de nostris Principibus Ildelfonsi Reges non sine magno in litteris posito labore decorantur. Ergo illi, qui Reges erant, litteras tantopere fuerunt amplexi, nos scholastici in hanc academiam ascripti, litterarum cultores habendi diligentes, et strenui, non eandem diligentiam adhibebimus? Quousque enim per omnia, quae nobis carissima sunt, negligentiam patiemur in nostris regnare gymnasiis? An non satis desidia datum est ipsis studio-

rum

rum intermissionibus? Quid agebatis id temporis scholastici (et cum improbis loquor) quemadmodum partiebimini horas dierum matutinas, et vespertinas? Nam nocturnā omitto tempora, neque volo vos confici laboribus, non absumi vigiliis: quoniam sunt calores immoderati, quoniam aestus tempora gravissima, quoniam vos estis teneri, atque delicati, quoniam non annos multos nati: periculum autem est, ne contra infirmitatem imbecillitatemque vestrā contendatis. Deducti fuistis a parietibus in gymnasium, dedistis vos in disciplinam nostrorum hominū, venistis perceptum bonas litteras, bonasque disciplinas: an cū vocibus praeceptorum personare gymnasia, tot horas mane, totidem vespere praelegendo ponere quotidie praeceptores, audiendo bonos, diligentesque scholasticos aspiciamus, vos languere videbimus otio? et ferant, sinant, patiantur illi, quorum curae traditi, commissique fuistis? nō satis otio, satis corpori, satis deliciis, atque adeo putidae, foetidaeque carni ipsis in vacationum diebus indulistis? Quae vita vestrum fuit, cum obliti litteras, obliti libros, obliti finem, in quem vacationes dantur, vos nihil eorum, quae decursu anni praeteriti audieratis, recolueritis? siccine tempus insumebatis, ut otii servi, mancipia libidinis, sectatores veneris, et omnium vitiorum ministri videremini? Quid habet boni lustratio matutina, vespertinaque viarū, frequentatio ludorum, otio, reditioque, quo, et unde, vos scitis, me autem de hoc loco nominare turpissimum est? Quid commemorare pecunias in ludis consumtas? Quid proferre pactiones transiliendi sepimēta non semel hortorū, vineas clam, ac per vim aditas, ablata poma, reliquos fructus surreptos, percussos custodes, et ad vos defendendos, ad vestra furta facienda (sic enim palam jam loquor, et suis scelera nuncupabo nominibus) vim allatam, factos impetus, alias injurias, contumelias, probra, dedecora partim illata, partim accepta? levia illa fuerunt perferre calores, perpeti Solis

D d d d ar-

ardores, acustus gravissimos tolerare, redire domum tostos, et adustos Sole, tanquam operarios, tanquam ruri semper vos inserviētes. Quod si, quam Deus pestem avertat ab his scholasticis, libidines captatis aliquas, et corporis voluptates non praeteriistis, si verba turpia, si cogitationes obscenas, si carnis contrectationem, si libidinosorum congressus, si muliercularum consuetudinem non vitandam fugiendamque curastis, vos ne litterarum alumni, vel libidinum mancipia? studiosi litterarum, vel Cupidinis, et Veneris scorta spurcissima? Iesu, vel daemoneis administri? honestatis, an turpitudinis amantes? quo nostrorum praeceptorum disciplina? quo labores? quo vis, et contentio redacta fuit? Quos fructus laborum tulerunt, quos instituerunt, adolēcentes? quos nihil Societatis Iesu recordatio, nihil sui muneris, et officii ratio, nihil audita conciones publicae, nihil adhortationes privatae, nihil offensiones animorum, nihil progressiones, et in litteris, et multorum in virtute bonorum, nihil benignitas praeceptorum, nihil minae, terrores, suppliciaque a scelere revocare potuerunt? O nequitiam inauditam. O pravitatem intolerandam. Hos in scholas redire? hos repetere gymnasia? nostris cum scholasticis versari? hos respicere, et ad rationis gyrum adduci velle explorata spes erit, atque certa? Quid mea praelegere praeceptores, mane, vespereque scholasticis imbuendis, instituendisque desudare, si vel absunt a praelectionibus isti? si cum bonis non se conjungunt? si languent? si jacent? neque spiritum ad litteras sibi datum, neque impertitum vellent? Camilli equites Romani, nec infaceti, et satis litterati: qui cum in hanc academiam otandi causa, non litteris vacandi venerint, ut illi syracusis hortulos, et gymnasia ad suas delectationes Hispali habere velint. Quid enim aliud sua negligentia contendere velle videntur? Nam aut scholastici sunt, vel non: si sunt, laborent, desudent, vi-

gilent in litteris. Si non, quid nostras in scholas ventitant? secedant ab scholis, a nobis excedant, abeant, contendant, quo voluerint, et tam tetra nostris e gymnasiis exhauriatur sentina malorum. An vero, cum Latinos suis historiis, et poësi, rhetores suis orationibus, et exercitationibus eloquentiae, dialecticos artium liberalium studiis, philosophos arcanis naturae indagandis, ipsos denique theologos sacrae caelestique disciplinae videamus operam navare, desides inter diligentes, improbos inter bonos, libidinosos inter castos versari patiemur? et quod aliarum academiarum praefecti, quod urbium moderatores suis in civitatibus non patiuntur, nos in virtutis domicilio, in honestatis officina perferem? Vita, vita inquam, id est labore semper in studiis opus est, atque diligentia. Quod si quis minorem gloriam, aut fructus non praestantiores putat ex nostris laboribus petendos, vehementer errat: propterea quod antiquorum labores philosophiae, poëseos, aut eloquentiae finibus continebantur, nostri, quos supra nominavi, sancti Doctores in sacram disciplinam, in animorum decus, in caelorum gloriam spectant. Quare si litterae, quas colimus, cum virtute cultae caelorum praemiis compensabuntur, quo nostrorum immortalitas animorum spectat, eodem laborum nostrorum curriculū, et exitum spectare aequum est. Quod cum litteratis hominibus, quorum laboribus terrarum orbis illustratur, haec ampla sint, tum iis certe, qui sacerdotii, sacrarum familiarum, et concionatorum status obtinendi causa, artibus student, et disciplinis, hoc maximum, et diligentiae incitamentum erit, et laboris. O fortunate Hieronyme, qui labores omnes pertulisti pro litterarum absoluta cognitione consequenda. Cum reliquisti patriam, cum adiisti tot disjunctas orbis terrarum partes, cum ab oculis parentum in solitudinem concessisti, cum maria vastissima hyeme transisti, quae te, pater

sanctissime, praeter vitae sanctitatem, nisi litterarum, ac sapientiae cupiditas infinita in tantos labores conjiciebat? fuit etiam illud commune consortibus laboris, et gloriae tuae, caeteris Ecclesiae sanctissimis Doctoribus. Pudet me quidem mei, et pudeat etiam unumquemque nostrum, cū confecto litterarum curriculo, non magnis, ac multis laboribus lauream licentiati, vel doctorum decerni studueritis ab academiarum Decanis. Sancte Gregori, beate Ambrosii, dive Augustine, cur non vos accipimus inspiciendos contemplandosque, tam doctos, tam sapientes, adeo in libris laborantes, atque vigilantes? O felicem Bonaventuram. O fortunatum Thomam. O praecellentes Basilios, Isidoros, Laureanos, Leandros, laborum omnium patientes, nullius quietis conscios, cunctisque carentes delectationibus, qui sic laborastis, sic desudastis, ut ad religionem, et ad litteras nervos omnes intenderetis. Si vestrū omnium dignitas ad labores subeundos excitaret juventutem hanc, et coronam auditorum florentissimam. Si vestrum illustri memoria flagraremus, et arderemus cupiditate magni, et justī laboris: quo de nunc cum agimus, vestrae dignitatis ornamenta miramur. Quibus modis potestis, jacentes nostros animos excitate. Valebitis apud Societatis nostrae scholasticos in studia ingrediētes viri sanctissimi, atque religiosissimi, litterati, et docti apud litterarum cupidos, et amantes, sacri Doctores apud viros laureae gradū decursu temporis postulatuos. Audient omnes cupiditatem studiorum animis injectam ope vestra, motus ab auctoritate tanta factos persentient. Facietis non solum fidem, cum mentem injeceritis laborandi, sed movebitis animos, et duos quanvis, atque ferreos mollietis. Vertetis vos ad Ecclesiae utilitates, ad gloriam vestrorum laborum similem: sic quasi facibus excitati cogitabunt adolescentes de praemiis, quae justos labores manent. Quid habeant boni labores pro virtute  
sus-

suscepti, quid pro religione, pro Christo Iesu tolerati, quid pro iuvandis proximorum animis tolerantia, quid sacrorum honos doctorum, quid laurea tantae dignitatis, quid splendor, quid nomē, quid excelsa, qua sacri Doctores fruuntur, sedes, et immortalis gloria, cogitabūt. Caelestia sunt ista, mihi credite, adolescētes, et divina decora beatorū, vos labores sanctorum suscipere, illorum vestris in studiis vobis finem proponere, postea consequi gloriā eorum caelestem, suis in sedibus collocari, suis interesse spectaculis, suis annumerari coetibus: quibus ex rebus nihil est, quod non verum ac solidum tenere, nihil, quod non referre ad caelorum immortalitatem possitis. Quin vos hanc urbem incolitis, vos hanc frequentatis academiam, qui, ex quibus domiciliis tot scholastici, tot quondam optimi adolescentes, et praeteritis, et nostris temporibus Pontifices facti numerantur, ut ipsi cum eisdem tanta gloria ornatis ad portum tam fecūdum appellatis, cupere semper, ac velle debetis. Quare incumbite ad studium litterarum adolescentes optimi, ea diligentia, quam tot rationibus videtis, et argumentis comprobari: tum ipsius similitudine formicae, tum academiae descriptae felici fortunatoque statu, et Romanorum insignibus, et Aegyptiorum hieroglyphicis, auctoritate tanta, quantam convenit existimari, quam veterum Philosophorum, et Regum, et Imperatorum vigiliis, et laboribus confirmatam esse videtis: necessitate vero ejusmodi, et honestate, quae commodis Reipublicae Christianae, gloria Doctorum Ecclesiae sanctissimorum, vigiliis, et monumentis suorum ingeniorum ostendatur. Sic diligentia vestra, vestro labore vestrae res crescent, augebitur status Reip. et vobis praemia non in his solum terrarum, sed in caelorum sedibus cum immortalitate nunquam interitura consequimini.

## PERORATIO DEMONS-

trationis.




Exempla iudicii libens praeterii, quod in hoc genere dicendi, mutato iudiciorum ordine, nullam nostri rethores orationem elucubraturi sint. Quod si forsan ingenii acuendi gratia causam aliquam forensam velint adumbrare, ex superioribus Demonstrationis exercitationibus cujuscunque formam, et similitudinem habebunt.

*Finis Demonstrationis.*

HISPALI.

*Excudebat Rodericus Cabrera.*

*Anno 1598.*



INDEX EXERCITATIONVM DEMONSTRATIONIS.  
 nis. numerus paginam indicat.

Index primi libri.	56	Pharaon insectans Hebraeos.	56
Quam late pateat descriptio.	1	Abrahami obedientia.	58
Immortalis Dei Majestas.	2	Laurea doctoris.	59
Urbs a praetore gubernata.	3	Index libri secundi.	
Conscientiae vis.	7	Schemata Demonstrationis.	62
Progressus viri docti.	9	Fuga Pompeii post bellum Pharsalicum.	62
Virtutis dignitas.	12	Abaci descriptio.	63
Cupidinis facies.	12	Abaci pontificii ornatus.	64
Fenestrae speculares.	13	Laus beati Laurentii.	66
Palatium.	13	Homini ostentatio.	67
M. Antonii ad Caesarem concio.	14	Elisabetha Reginae Angliae impietas.	68
Sacrificium rei divinae.	15	Liberalis homo.	70
Finis boni sacerdotis in faciendo.	17	Loci infelicitas.	71
Virtutis fructus. (sacro)	17	Misericordia Christi Iesu.	72
Fructus litterarum.	21	In vituperatorem Concionatoris exercitatio.	72
Animus templi est spiritus sancti.	22	Perfidia proditoris Iudae.	74
Vana huius saeculi species.	23	Praeceptor deferens cathedram.	75
Concionatorum in reprehendendo. modus.	25	Demonstrationis ornatae varii argumenti ratio.	76
Virtus bonorum. (modus)	27	Comprehensio viri nobilis.	76
Dei in hominem beneficia.	29	Haereseos vituperatio.	77
Ingratus hominis animus in Deum.	29	Libidinosi adolescentis vituperatio.	78
Religio hominis in ecclesiam ingredientis.	31	Arrogantis hominis vituperatio.	79
Mercaturae labores.	33	Inopia hominis extrema.	80
Christus expulso e templo venditores, et numularios.	34	Religio accedentis ad sacram Eucharistiam.	82
Licenciatu appetens Collegium salmanticense vetus.	35	Labores litterarii.	83
Ascensus Virginis Mariae in caelum.	37	Peregrinatio in urbem Romam.	84
Regum advenus in urbem.	40	Rixae Duorum.	87
Adventus Christi Iesu in terrarum solatia.	41	Iactura unius in foliorum pictorum ludo.	88
Labores litterarii.	42	Virtus boni adolescentis.	91
Praetoris Hispalensis adventus in academiam.	46		
Sacrarum concionum fructus.	48		
Triumphus Romanorum.	50		

\*



Genera descriptionum.	92	Officium Demonstrationis in odio au-	
Cathedra delata.	93	gendo.	117
Adventus Archiepiscopi primus		Odium in Iudam.	117
Cardinalis insignibus orna-		Officia Demonstrationis in timo-	
ti.	95	re.	118
Demonstratio cum mimefi.	96	Terror in haereticos.	118
Parentis severitas in filium.	96	Officia reprehensionis in Demons- tratione.	119
In filium parentis indulgentia.	96	Reprehensio M. Antonii.	119
Demonstratio cum dialogismo.	97	Officiū augēdi in demōstratione.	120
Adolescentis nequitia.	97	Praetoris potestas ad augendum.	120
Demonstratio cum Prosopope-		Simulachrum Hispalense sanctissi-	
ia.	99	mae Virginis Mariae del Anti-	
Daemon lucis Angelum ementi-		gua.	121
ens.	99	Officia Demonstrationis ad imminuē-	
Officia Demonstrationis.	100	dum.	122
Officium laudandi per Demons- trationem.	101	Hominis imbecillitas.	122
Eaus Romanorum Imperatorū.	101	Officia Demonstrationis in confirma-	
Eaus Apostolorum.	102	tione.	123
Eaus Martyrum.	103	Praestantia Romanorum.	123
Officium vituperationis in Demons- tratione.	104	Societas bonorum ad virtutē quātum valeat.	124
Vituperatio militis aedem invaden-		Officia Demonstrationis ad miseri-	
tis.	104	cordiam captandam.	124
Praetor male officio fungens.	105	Anglorum haereticorum crudeli-	
Pravi hominis actiones.	105	tas.	125
Officium Demonstrationis in adhor-		Factum Servii Sulpitii in Antonii Ca-	
tratione.	111	stra proficiscentis.	125
Vanitas rerum humanarum.	111	Peccator ad se rediens, et lugens vi-	
Felicitas bonorum.	112	tas praeteritae scelera.	129
Officium Demonstrationis in conje-		Obitus Romani Pontificis.	136
ctura.	113	Caroli Principis Hispaniarum obi-	
Conjecturae caedis factae	113	tus.	131
Supplicium de Rege Balthasara sum-		Fortitudo Martyrum.	133
tum, in conjectura tractatū.	114	Officia Demonstrationis in precatio-	
Officium invidiae conflagandae in De-		ne.	133
monstratione.	115	Quem locum obtineat Demonstratio in oratione.	136
Crudelitas L. Syllae.	115	Exordium per Demonstrationem in laude beati Ermenegildi.	136
Idem exēplum L. Syllae brevius tra-			
ctatum.	116		

Notatio adolescentis Hispalim veniē-	
tis, et discedētis ab urbe per De-	
monstrationem eorum, quae ei-	
dem acciderunt.	138
Caedes fabritii adolescentis narra-	
etur.	142
Conclusio Demonstrationis.	144
Index libri tertii.	
De varia Demonstrationis specie, et	
imprimis de sermocinatione.	145
Quid sit sermocinatio.	145
Praeceptiones sermocinationis.	146
Sermocinatio damnatorum in die ex-	
tremitudinis Iudicii.	146
Sermocinatio Beatorum in die extre-	
mi Iudicii.	149
Sermocinatio secundigenae.	153
Innocentia adolescentis.	153
Sermocinatio tertii generis.	153
Comitia Pop. Romani.	153
Sermocinatio quarti generis.	154
Nuntius fratris venientis.	154
Sermocinatio quinti generis.	155
Pater cum filio loquens ut in littera-	
rum studio perseveret.	156
Sermocinatio sexti generis.	156
Hominum Avaritia.	156
Sermocinatio septimi generis.	157
Verba hominis testamento haeredis	
relictī.	157
Sermocinatio octavi generis.	158
Scholasticis praeposuntur hominibus	
aliis huius saeculi.	158
Sermocinatio noni generis.	160
Provocantur adolescentes in littera-	
rium certamen.	160

Sermocinatio decimi generis.	160
Sermo hominis avari.	160
De Dialogismo.	161
Praeceptiones Dialogismi.	161
Querimoniae pueri delati ad prae-	
ceptorem.	161
Dialogismus secundi generis.	162
Iniquae discipulorum quere-	
lae.	162
Dialogismus tertii generis.	163
Modestia discipuli cum praepatore	
agentis.	163
Dialogismus quarti generis.	163
Iniquitas querelae.	164
Dialogismus quinti generis.	164
Praesidium bonorum in pericu-	
lis.	164
Dialogismus sexti generis.	164
Pactiones duorum sceleratae.	165
Dialogismus septimi generis.	165
Homo reus agitur ob divinam legem	
violatam.	165
Dialogismus octavi generis.	165
Factum adolescentis nefarium alteri	
manus afferentis.	166
Dialogismus noni generis.	166
Querela hominis iniqua de cocio-	
natore.	166
Dialogismus decimi generis.	166
Adolescens omni laude carens.	167
Dialogismus undecimi generis.	
	167
Nequitia scholastici.	167
Iniquitas querelae.	167
Dialogismus tertii decimi gene-	
ris.	168
Injusta querela.	168
Dialogismus quarti, et decimi gene-	
ris.	169
Observantia in praepatore.	169

Gratia pro beneficio referenda.	169	Mutati mores quid mala afferat.	203
In manus praedonum incidentes.	170	Fabritii improbitas.	203
Quid sit Prosopopoeia.	170	Mores adolescentis Marcelli.	204
Quotuplex sit prosopopoeia.	171	Arrogantia haereticorum.	206
Fundator academiae loquens cum scholasticis.	171	Antonii terrores, minaeque facta- tae.	207
Resp. Christiana cū cōcionatore.	174	Quid sit mimefis.	209
Hispalis cum civibus.	176	Vituperatio ingrediētis domū alea- toriam.	209
Pop. Romanus cum Antonio.	178	Fratris cum praecceptore verba prop- ter fratrem ab aliis male tra- ctatum.	210
Praeceptor cum Scholastico.	179	Verba Ioannis de nobilitate gene- ris.	211
Pater cum filiis improbis loqui- tur.	181	Index Libri quarti	
Divitis dolor ob misericordiam inopi nō impertitam.	182	Quid sit Ethopoeia.	212
Adolescens commendans generis no- bilitatem.	184	Quibus capitibus constet.	213
Homo pravis rationibus pecunias cō- parans.	185	Verba Leuigildi ad Ermenegil- dum.	213
Christus Iesus cum homine colloquēs ut ad se redeat.	186	Verba Ermenegildi ad Leuigildum.	215
Pauper misericordiā divitis implo- rans.	187	Quid sit pathopoeia.	218
Candidatus de Cathedra contem- dens.	188	Species pathopoeiae.	218
Christus peccatorem alloquitur.	190	De laetitia, et dolore.	219
Humilitas hominem alloquitur.	191	Laetitia ex Natalitibus Domini.	219
Parens a filiis officia pietatis depof- cens.	193	Laetitia Martyrum in supplicis per- ferendis.	221
Sermo boni viri.	193	Spes, in adventu Regum Magorū ex- pressa.	223
Severitas unius patris, et facilitas al- terius.	195	Scholasticorum in Doctorem studi- um.	224
Quid sit notatio.	190	S. Ermenegildi in caelorum gloriā ar- dor.	225
Vnde conflatur notatio.	190	Exemplum Pharaonis, et Solymon- um.	227
Mores, et vita unius hominis.	157	Adolescens iter litterarum ingres- sus.	227
Gladiatoris ostentatio.	197	Quid sit pudor.	228
Laus hominis.	108		
Vituperatio alterius hominis.	199		
Fraudes unius, ut haeres instituere- tur.	199		
Nequitia famuli.	201		

Affectus ex consideratione pueri Iesu Circuncisi.	229
Verba candidati.	230
De amore.	231
Quibus rebus amor conciliatur.	232
Amoris in Deum variae multiplices- que causae.	232
Affectus odii constlandi.	234
Odium in Iudaeos, qui Christum cru- ci affixerunt.	234
Odium in iudicem extrahentem ali- quem ab ecclesia.	235
Crudelitas Iudaeorum ad odium con- flandum.	236
Odium in proditorem Iudam.	237
Odium in peccatorem.	238
Odium in improbum scholasti- cum.	238
Avaritia Fabritii ad odium.	239
Scelerata Praetoris improbi ad odi- um.	241
Nequitia Pilati.	242
Quid sit invidia.	243
Officium boni scholastici.	243
Caesar regnum appetens.	244
Invidia in Leuigildum.	245
Quid sit misericordia.	245
Causa Beati Thomae Cantuarien- sis.	246
Mater Ecclesia preces religiosorum efflagitat.	246
Exilium Divi Leandri.	248
Prima nascentis Ecclesiae tempo- ra.	248
Laus beati Leandri.	249
Ruina primae parentis.	252
Dolor Hispalensium in Sancti Leandri discessu.	253
Doctor deposcens Cathedram.	253

Exequiae Domino Ioanni ab Austria concelebratae.	254
Adversariorum nequitia in Beati Leandri aedibus exultanti- um.	255
Oculi Christi Iesu in Petrum conse- cti.	256
Dolor ex gratia Dei immortalis a- missa.	257
Leandri reditus in urbem.	258
Nequitia Iudaeorum deposcendum Christum ad crucem.	259
Benignitas Christi Iesu in natalitibus apparens.	259
Sacerdos ex auguratus movens spe- ctatores.	261
Quid peccator Christo Iesu debe- at.	263
Quid sit postulatio.	266
Postulatio competitoris in Cathe- drae petitione.	266
Alterius competitoris postula- tio.	267
Doctor Cathedram Rethoricae pe- tens.	269
Constantia Divi Laurentii.	270
Postulatio Sacerdotii.	271
Ratio postulationis constlandae.	272
Postulatio Dei immortalis ad homi- nem.	272
Carnis, et Spiritus postulatio dissimi- lis.	273
De obsecratione.	276
Obsecratio ad veniam ab immortali Deo petendam.	276
Obsecratio peccatoris ad Christum Iesum.	277
Obsecratio Hispalensium ad sanctū Ermenegildum.	278

Obsecratio peccatoris.	279	Progressus petri in litteris ex adju-	
Obsecratio hominis implorantis mi-		ctis.	299
sericordiam Christi Iesu.	280	Daemonistecnae.	300
Obsecratio ad Religionem Christia-		Suffragationes iniquae.	301
nam retinendam.	281	Cura in animi salute conferrada.	302
Quid sit obtestatio.	281	Paedagogus fratri datus a fratre.	304
Obtestatio concionatoris, ad caeli-		Perfidia Iudae.	305
tes, ad Virginem Mariam, et ad		Praemunitio ad castitatis laudem.	305
Christum Iesum.	282	Laus Beati Hyacinthi.	306
Obtestatio in caede Beato Thomae		Crudelitas patris in filiam. S. Barba-	
Cantuariensi allata.	284	ram.	306
Obtestatio altera ad Deum, ad Vir-		De expolitione.	306
ginem Mariam, et ad alios caeli		Differentia expolitionis, et commo-	
tes.	286	rationis.	307
Obtestatio concionatoris ad audito-		Concionatoris munus, et officium.	307
res.	287	Curviam vitiorum tam multi ingre-	
Obtestatio adversus Herodem	287	diantur.	310
Obtestatio in hominis misericordis		Cura Dei optimi, ac maximi erga	
obitu.	289	bonos.	310
Quid sit metus.	289	Vis litterarum, et honoris.	311
Metus, in peccatore, ut a peccatis ab-		Improbitas scholastici.	312
stineat.	290	Vituperatio haereseos.	313
Metus in nefarios homines, ut a sce-		Modus parentis in restituendo fi-	
libus revocentur.	291	lio.	314
Metus ex aliorum morte miserima		Virtutes, et mors Beati Ermenegil-	
in peccatorem.	292	di.	314
Metus in illum, qui occasiones peccan-		Beati Thomae Cantuariensis ad hor-	
di non fugit.	294	tatio ad virtutem.	316
		Academia sermo in malos suffraga-	
		tores.	317
		Laus Beati Ioannis Evangelistae.	318
		Quae vera gloria sit appellanda.	318
		Loci communes, qui sint.	319
		Quotuplex sit locus communis.	319
		Malum dare nemo patiens cuiquam	
		vult.	320
		Cura praeceptorum in discipulis in-	
		stituendis.	320

Index Libri Quinti.

De commoratione.	295
Commorationis dilatandae variae	
formae.	296
Fuga scelerati hominis.	296
Contentio Collegium appetētis.	296
Studium, et ardor Beati Ermenegil-	
di in Religione defendenda.	297
Pravitas hominis.	299

Commune periculum omnium ope	
depellendum.	321
Officium boni moderatoris.	321
Majestas Dei quanti habenda.	322
Laus eloquentiae.	322
Verum iter gloriae caelorum.	323
Laus sacrae Synaxeos	326
Reprehensio Avaritiae	329
Scholastici purgatio apud praecep-	
tozem.	329
Officium monachi.	330
Dies sacer Beato Hyacintho.	331
Qui nam amici diligendi.	331
Principes qua in re praestent ali-	
is.	332
Quibus rebus majestas immortalis	
Dei concilietur.	333
Laus eloquentiae.	333
Splendor eloquentiae.	334
Labor in litteris ponendus.	335
Ingratorum labes discipulorum.	335
Testis officium.	337
Magistratus officium.	338
Honoris jactura.	340
Praeceptoris officium.	341
Iudae vituperatio.	341
Conscientiae vis.	342
Laus paupertatis.	343
Laus nobilitatis.	343
Laus Regiae dignitatis.	347
Regiorum laus Consiliariorum.	351
Laus Censorum Fidei.	355
Laus Cruciferorum diversorum no-	
strae gentis ordinum.	363
Laus Divinorum Spirituum.	366

Index libri sexti.

Orationes integrae demonstratio-	
nis ope.	371
Oratio de Gloria beatorum.	372
Oratio de morte hominū generi sem-	
per imminēte.	394
Oratio funebris in exequiis nobilis	
Laurentii Mendozii.	406
Oratio in laudem Beati Hierony-	
mi.	413
Oratio ad Cathedrae petitionem	
in Academia Compluten-	
si.	428
Oratio ad collegii maximi petitionē	
in academia Complutensi.	432
Oratio ad Archiepiscopi Toletani	
collegium Salmanticense peten-	
dum.	438
Oratio ad licentiae gradum.	439
Responsio Cancellarii ad superiorem	
orationem.	444
Oratio ad lauream petendam in aca-	
demia Hispalensi.	446
Oratio doctoris deferentis laure-	
am.	450
Oratio pro Biacensi academia in bac-	
chalaureorum laurea.	452
Oratio appetentis sacrum beati Do-	
minici ordinem.	460
Oratio appetentis sacra beati Fran-	
cisci Religionem.	463
Oratio ad dedicandas disputatio-	
nes.	467
Altera Oratio ad theses alias dicen-	
das.	469
Oratio in adventu Archiepiscopi Val-	
lentini in academiam.	470
Oratio in adventu Ducis Sidonii in	
collegium societatis Iesu.	477

Index Libri Septimi.

Oratio in laudem beati Thomae Cantuariensis. 487  
Oratio ad Senatores Hispalenses pro Academia Sociorum Iesu bonis

litteris et virtuti exstructa. 509

Oratio in laudem Natalitiorum Virginis Mariae. 545  
Oratio de labore, vita, et spiritu litterarum. 565

FINIS TABULAE.

